

R-127

PALANCO, FRANCISCO (1657-1720)

CURSUS PHILOSOPHICUS . . . Pars
Prima . . . / auctore . . . Francisco
Palanco . . . — * Salmanticae: Ex
officina Gregorij Ortiz Gallardo,
1695

CURSUS PHILOSOPHICVS

IVXTA MIRAM ANGELICI PRÆCEPTI
DOCTRINAM DIGESTVS, ET PRO COMMUNI
STVDIORVM UTILITATE TRIBVS
TOMIS ABSOLVTVS.

TOMVS PRIMVS,

COMPLECTENS

MINOREM, ET MAIOREM DIALECTICAM

AD EXCELLENTISSIMVM DOMINVM

D. IGNATIVM

EMMANVELEM VELEZ LADRON
DE GVEVARA ET TISIS,

COMITI DE OÑATE, VILLAMEDIANA
ET CAMPO-REAL, &c.

AVTHORE

R. P. FR. FRANCISCO


PALANCO, CAMPO-REGALENSI,

IN SVO SACRI ORDINIS MINIMORVM S.

Francisci de Paula Salmantino Collegio nuper Sacra Theolo-
gia Professore Primario Studiorum Præfecto, & Correctore

ac in presenti Iubilationis Laurea insignito, & R. Adm.

P. Provincialis vtriusque Castellæ in
officio Collega.



R.

Salman




CURSUS
PHILOSOPHICUS,

IUXTA MIRAM ANGELICI PRÆCEPTORIS
DOCTRINAM DIGESTUS,
ET PRO COMMUNI STUDENTIUM UTILITATE
tribus Tomis absolutus:

PARS PRIMA,
COMPLECTENS

MINOREM, ET MAIOREM DIALECTICAM:

AD EXCELLENTISSIMUM DOMINUM
D. IGNATIVM EMMANVELEM VELEZ
LADRON DE GUEVARA ET TASSIS,
COMITEM DE OÑATE, VILLAMEDIANA,
& Campo-Real, & c.



Anno

1695.

AUTHORE R. P. FR. FRANCISCO PALANCO,
Campo-Regalensi, in suo Sacri Ordinis Minimorum Sancti Francisci
de Paula Salmantino Collegio nuper Sacrae Theologiae Professore Primario,
Studiorum Praefecto, & Correctore, ac in presenti Iubilationis
Laurea insignito, & R. Adm. P. Provincialis utriusque
Castellae in Officio Collega.

CUM PRIVILEGIO:

SALMANTICÆ: Ex Officina Gregorij Ortiz Gallardo.

1945

...

...

...

...

...

...

...

EXCELLENTISSIMO DOMINO, AC
SEMPER D. MEO.

D. IGNATIO EMMANVELI
VELEZ LADRON DE GVEVARA,
ET TASIS,

COMITI DE OÑATE, DE VILLAMEDIANA, ET
Campo-Real. Villarum de Pozuelo, Valverde, Zalduen-
do, & Salinillas Toparchæ, Catholicæ Maiestatis Regiæ
Camerae Apparitori, eius Generali Grammatopho-
ro, Illustrissimi ordinis Aurei Velleris
Nobilissimo Equiti, &c.



Præveram Diu, EXCELLENTIS. PRIN-
CEPS, aliquos mei litterarij, & assidui la-
boris ad aras Celsitudinis Tuæ libare ma-
nipulos. Non equidem, vt mos est, Tanti
Her. i allectus generis claritate, àc vir-
tutis splendore; his enim potiùs animus deterreri posset,
quàm allici, vtpote quibus ità fulgentissimus, àc excel-
sus promicas Orbi, vt nostræ exilitati inaccessibleis vi-
dearis; quinimò & quodammodo inefabilis. Nàm quis
pro meritis fari queat, aut eloquentiæ coloribus exprime-
re Procerum, àc Illustrium, quorum ex intermina serie
genus dū is clarissimum, ingentia pro pace, àc bello pa-
trata facinora? Quis item egregias illas tui animi dotes,
àc virtutes, quibus longe clarius rutilas, vel animo com-
prehendere audeat? Hæc sanè coercere possent, non alli-
cere: nàm reverentiam quidem, àc timorem extorquent,
illum comprimunt, àc retardant. Aliud igitur ti-

morem depulit, & affectum impulit ad huius operis exiguum munus tanto sacrandum Principi: humanitas namque illa, & largissima benevolentia, qua cum Clientibus agis, necnon & gratitudo nostra pro natali solo, qua libenter obstringor. Conspiciebam siquidem Patriam matrem, oppidum nempe Campo-Regalensem, gloriari felicem, quod se sortita fuerit faustissimum Comitem, magnificum Herum, ac humanissimum Principem: nec immerito; haud facile enim erit municipium ita fortunatum invenire, quod tantis sit a suo naturali Hero donatum muneribus, favoribus honoratum. Exultat sane quotannis Tua faustissima praesentia, qua natorum omnium animos exhilaras, quantumvis maeritudine ante gravatos; templum magnificis exornas muneribus, egenos munifica subvenis manu, tanta, ac vere regia liberalitate, ut constans sit incolarum sententia, plus esse quod profusa largitate distribuis, quam quod iure servitutis pro vectigalibus exigis. Talia demum prestas humanitatis, ac benevolentiae munimenta, ut ab ipsis non iam timore servili formideris ut praepotens Arbitr, sed reverenti, filia ique amore diligaris, ut piensissimus, ac humanissimus Pater, atque ideo ut potentior Dominus; dominaris namque non tam opibus, quam animis, non tam redditibus, quam voluntatibus, quas aeterno vinculo tibi devincis. Haec dum meditarer optaveram enixe Patriae natos aliquod perpetuum benefactori tanto rependere gratitudinis signum. Quorum, licet re ipsa, ac professionis nomenclatura Minimus, onus hoc praesidenter suscepi; grati namque filij est Patriae suscipere onera, exolvere pro posse debita. Huic igitur oneri, mihi sane gratissimo, ut satisfaciam, huius mei Philosophici

curfus priorem partem , vti mei scholastici laboris primi-
tias, ad limina protectionis Tuæ humilimè defero ; Reor
namque vix aliud Tibi gratius fore munus , vtpote
Sapientissimo Principi , cui nihil arridet placidius , quàm
si ab aliquo ex Clientibus prodire videat sapientiæ
opus , ac ingenij monumentum. Haud leve sanè fo-
ret obsequium , licet aliàs acceptis favoribus non impar,
si Clientes Tui proprios genitos Tuo dicarent imperio pa-
rituros ; sed præstantius munus in hoc opere Tuo nomini
sacro , dum proprii ingenij primævum hunc partum re-
pendo, pro Patria gratus ; prolis enim mentis naturæ sobo-
li longe præstat, sapientique animo gravior habetur, vtpo-
te à nobiliori portione naturæ, id est , ab ingenij vena pro-
genita. Nec gratitudini Patriæ tantum consulo ; prote-
ctionem etiã ex Tanto Principe ambio, imò , & secure
polliceor ; qualiter namque non faveas Tuæ clementiæ
beneficis radijs, humili Clientulo , suprâ vires pro patria
gloria litteraria promenti volumina, qui neminem Patriæ
incolam ope destituis ? Qui omnes humanissima pietate
prosequeris ? Fave igitur , & vive foeliciter per millenos
annos , hoc enixe à Supremo Numine flagito , vtque
Excellentiæ Tuæ conatus fortunet semper. Salmanticæ
idibus Octobris, Anni Domini 1695.

Humillimus , ac obsequentissimus Excell. V. Clientis

Fr. Franciscus Palanco.

APPROBATIO COLLEGIJ S. ANNE COMPLUTENSIS ORDINIS
Minimorum S. P. N. Francisci de Paula, ex commissione R. A. P.
Provincialis utriusque Castellæ.

ALACRI, Reverentique animo annuentes præcepto RR. P.
N. Fr. Marci de Villa-Real, Lectoris in Sacra Theologia
Iubilati, Archiepiscopatus Toletani Examinatoris Syno-
dalis, & in hac Castellæ utriusque Provincia Minimorum Corre-
ctoris Provincialis, opus, cui inest titulus: *Cursus Philosophicus*
à R. P. Fr. Francisco Palanco, Sacræ Theologiæ Iubilato Lecto-
re, in dicecesi Salmantina Synodali Examinatore, ac in Salmanti-
censi nostro Collegio Correctore, studiorumque Regente, dige-
stum, iucunde vidimus, seduloque perlegimus: & nihil in eo à
Chatholicis dogmatibus devium, moribusve christianis, adver-
sum reperimus; sed per omnia (vti Angelici Præceptoris doctri-
næ consonum) summa modestia, eruditione, utilitate, & perspi-
cuitate concinatum inspicimus.

Modestia equidem, nam Auctoris sapientia, non terrena,
& animalis, quæ desursum non est, sed quæ desursum descendit,
pudica, & pacifica, in hoc opere viget. Eruditione item eminet,
vrisui Auctoris foelix, & legitimus Phœnix: *Magna illud*
Plinius fama præcesserat, maius tamen inventum est; summa namque
Epistol. in eo est facultas, copia, ubertas; præmiatur aptè, narrat
22. apertè, pugnat acriter, colligit optimum, ornat excelsè, po-
stremo docet, delectat, & afficit. Utilitate pariter egregium
hoc opus Minervæ Ascleclis evehitur, & claritate conspi-
cua, vt merito Auctori liceat Salomonis Hispanici verbis
Senecaⁱ alloqui: Ede quam plurimum; quam celerrime cude, vt tuo
lib. 12. nomini celebritas, & nostris temporibus claritas, & studiosis
omnibus pariatur utilitas.

Mirabamur sane in prædecentibus aureis operi-
bus de *Providentia*, & de *Conscientia* mentis acie perspicua-
cissima, sublimi ingenio, aquilinisque oculis insignem hunc Ma-
gistrum ad suprema, ac difficilima Sacræ Theologiæ conscende-
re, nunc autem ad inferiora, ceu ingeniosam, & artificiosam
apem, doctrinæ favum ex floribus philosophicis elaborantem par-
vulis lato conspiciamus animo: illic cum Angelico cælum petit,
hic cum eodem terram prospicit, vt ima iungat summis. In om-
nibus sectatur sapientiam, quæ non est in folijs, ac flore verbo-
rum, sed in medullis, ac fructibus sensuum, quæ non autem præ-
tervolat, sed animam reficit: pulchra sunt, quæ scribit, sed for-
tija floribus, æque ac fructibus redimita. Qua propter hoc opus
can-

anti Auctoris nomine inscriptum, aliena commendatione non
eget, sed prælo, & cedro dignum ex ipso met nobis probatur. Sal-
vo, &c. Compluti in Collegio S. Annæ Ordinis Minimorum. S. P.
N. Francisci de Paula. Die 5. mensis Iulij Anno Domini 1695.

Fr. Bernardus de Cerraton,

Corrector.

Fr. Melchior Perez,

Sacrae Theologiae Lector Primarius, & Studiorum Regens.

Fr. Ioannes Montoya,

Sacrae Theologiae Lector vespertinus,

Fr. Emmanuel Sanz,

Studiorum Magister.

Fr. MARCVS DE VILLA REAL, IN SACRA THEOLOGIA LECTOR

*Iubilatus, Diœcesis Toletanae Censor, necnon utriusque Castellæ Or-
dinis Minimorum S. P. N. Francisci de Paula Provinciae Corrector Pro-
vincialis, Facultate ad id præstita per RR. P. Nostrum fratrum Ber-
nardum Serponti nostræ Religionis Correctorem Generalem.*

PRÆSENTIVM Tenore concedimus RR. P. Fr. Francisco Pa-
lanco Sacrae Theologiae Iubilato Lectori, in Diœcesi Sal-
mantina Examinatori Synodali, ac in nostro Minimorum
Salmanticensi Collegio Correctori, studiorumque Regenti, vt li-
bros, quorum frons est, *Cursus Philosophicæ* examinatos, & approba-
tos à nostri Collegij Complutensis D. Annæ dicati Theologis,
quibus eorum examen commissimus, prælo edat, servatis prius
de more, & iure his, quæ circa librorum excusionem servari de-
bent. In cuius fidem præsentem literas manu nostra subscriptas, &
sygillo nostro munitas expedivimus, ac per infra scriptum in offi-
cio Collegam, & Secretarium referendari iusimus. In hoc nostro
Mariæ Vitricis Matritensi Conventu. Die 6. Iulij Anno ab Orbe
redempto 1696.

Fr. Marcus de Villa Real,

Provincialis.

De mandato R. admodum P. N. Provincialis,

Fr. Petrus Eugenius de Camargo,

Collega, & Secretarius,

CENSURA EX COMMISSIONE ORDINARIJ LATA A RR. P. M.
Fr. Ioanne de Montalban in Alma Salmanticensi Academia Theologiae
Laurea insignito, Sacri sui Ordinis Praedicatorum Generali Magistro,
& eiusdem Academiae Vespertinae D. Thom. Cathedrae Moderatoris.

IVSU D. D. Georgij de Cardenas, & Valençuela in Maiori Ar-
chiepiscopi Toletani Salmantinae Academiae Hospiti Collegae,
in eadem Academia Vespertinae Iurisprudentiae Cathedrae
Moderatoris, Provisoris, & Vicarij Generalis eiusdem Diocesis
Salmantinae, legi, & attente consideravi *Cursum hunc Philosophicum*
elaboratum à R. P. Fr. Francisco Palanco, Sacrae Theologiae Libi-
lato Lectori, ac Salmanticensis Minorum Collegij Correctore,
& Studiorum Praefecto, & certè, non solum nihil correctionis, aut
censurae dignum in eo inveni, sed praecipua laudis, tum à metho-
do ordinata, clara, vberi, & concissa: tum à substantia operis, utpo-
te quod ingenuam veritatem continet: Angelici Doctoris sua vis-
simum odorem spirat: eius miram, quam devotè sequitur, doctri-
nam, solidissimè fundat, clarissimè explicat, & à contrarijs, qui-
bus nihil difficultatis dissimulat, validissimè, sed modestè vindic-
cat. Sed (nihilominus inquires:) Quid post tot, tantosque Philosophi-
cos Cursus à Sapientissimis elucubratos Viris, & de D. Th. egregie
benemeritis, novissimus iste conatur? Certè post tantos viros so-
lum colliget acinos post vindemiatores. Sed audi, quisquis sis, vi-
neam Thomae vineam latam esse, quae non solum fructificat in
palmites, hoc est, in eos, qui religione ac instituto sibi adhærent,
sed & fecundissimos emittit propagines, qui, si cura vigili ac sin-
cera excolantur, in novos in dies suavitatis, & maturitatis race-
scimus erumpant. Audi de vinea ista posse usurpari, quod de
Orat. de Sacra Scriptura S. Ephrem: Quotidie vindemiatur, sed
Transf. botri eius nunquam minuuntur. Et, qui sic reprehendis, ait Am-
Ep. cō- brosius, *reprehende messem, quia à sera fecunditas est, repre-*
tra St- hende vindemiam, quia in occasu anni est. Extat & alius ab
math. Authoris nomine operis commendatitius titulus, cui
Numinis largitas in ætatis flore honorem senectutis dedit:
cuius prudentiam supra canos tomus de Conscientia demonstrat:
cuius sapientiam, magis opus gratiae, quam naturae & ætatis,
alter de ipsa Dei Gratia & Providentia ostendit. Videat ergò
lucem opus, tot titulis benemeritum: fruantur omnes has nova
sapientiae vena, quae, utinam, ut dum altioris Theologiae propinat e
pocula disponit foelix vivat. Sic Sentio in hoc Proto Martiris Ste-
phani Conventu. Die 3. Iulij Ann. Domini 1695.

M. Fr. Ioannes de Montalban.

CEN-

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS El Licenciado Don Jorge de Cardenas y Valencuela, Collegial Huesped en el Mayor del Arçobispo de Toledo de la Vniversidad desta Ciudad de Salamanca, Cathedratico de Visperas de Leyes de dicha Vniversidad, Governador, Provisor y Vicario General en dicha Ciudad, y Obispado, &c. Por la presente damos licencia à qual quiera de los Impressores de esta Ciudad, para que guardando las leyes, y pragmaticas de estos Reynos de España, pueda imprimir è imprima, vn Libro intitulado *Curso Philosophico tripartito*, compuesto por el R. P. Fr. Francisco Palanco, Lector de Theologia, y Corrector de su Colegio de los Minimos de San Francisco de Paula, de esta dicha Ciudad, sin por ello incurrir en pena, por quanto de nuestro mandado ha sido visto, y examinado, y no tener cosa alguna contra nuestra Santa Fee Catholica, y buena doctrina, y costumbres. Dada en Salamanca à 3. de Agosto de 1695. años.

D. Jorge de Cardenas y Valencuela.

Por mandado de su Merced;

*Por Sanchez:
Manuel Sanchez.*

*CENSURA EX COMMISSIONE SUPREMI CASTELLÆ SENATUS,
Lata à RR. P. M. Fr. Emmanuelli Navarro, Sacri sui Benedictini Ordinis Generali Magistro, Hispanice Congregationis Diffinitori, in Salmantina item Academia Theologiae Sacrae Laureæ insignito, Vesperarum in Cathedra Moderatore, Regio Concionatore, &c.*

IVSSV Regij, àc Supremi Castellæ Senatus, sedulo evolvi, ac lubens perlegi *Cursum hunc Philosophicum*, tripartitum, à R. Admodum P. M. Fr. Francisco Palanco, à Sacra Minimorum Sancti Francisci de Paula, Familia, & sui Salmantini Collegij, emerito Sacrae Theologiae Lectore, atque Ordinario Prælate, elaboratum: nihilque in eo offendi, quod vel Sacram Fidei, & morum disciplinam, vel severam Philosophiæ solidiorem doctrinam offendere possit. Quinimmo opus vividum, vegetum, elegans, sui Authoris præstantiam, & nostris Salmanticensibus, & Chalcographiæ Typis, notam, gratam; spirat, àc refert. Eaque propter censeo prælo dignas, luculentas hæc de vtraque Philosophia rationali, & naturali lucubrationes, quia vniuersæ

Reipublicæ litterariæ pervtiles. Matrivi in hoc Benedictinorum
D. Martino Sacro Alcaetrio. Die 16. Augusti. Anno Domini 1695.
M. Fr. Emmanuel Navarro.

SVMA DEL PRIVILEGIO.

TIENE Privilegio del Rey Nuestro Señor, el R. P. Fr. Francisco Palanco, &c. para poder imprimir este *Curso Philosophico Tripartito*, por tiempo de diez años, como consta de su original. Fecho en Madrid à 19. de Agosto de 1695. Ante D. Pedro Cayetano Fernandez del Campo.

SVMA DE LA TASSA.

TASSARON Los Señores del Real Consejo este Libro à seis maravedis cada pliego en papel, como consta de testimonio dado en Madrid à 20. de Octubre de 1695. años.

D. Manuel Negrete y Angulo

FEDERRATAS.

Fol.	Col.	Linea	Errata	Correctio.
8.	1.	9.	definito	definitio
8.	1.	10.	definitio	definito
35.	2.	42.	possit	possis
40.	2.	42.	multi	simul
71.	1.	15.	desint	desinit
89.	2.	25.	secundo	secundum
105.	2.	38.	detengis	detegendis
116.	1.	36.	prxtalia	præ alia
120.	2.	7.	ad utilibus	utili ad
135.	2.	27.	minor	maior
136.	1.	17.	quid	quod
306.	1.	1.	&	est
309.	2.	3.	formilia	familia
387.	1.	28.	intensive	extensive
399.	2.	26.	concesso	connexo
435.	2.	41.	ne ex illis	nec ex illius
486	1.	15.	in se habet	in se non habet

Correspondet, his demptis erratis, suo originali, in cuius fidem
Subscripsi Matrivi die 20. Octobris. Anni Domini 1695.

Lic. D. Simon Ioseph de Olivares
& Balazar.

AD LECTOREM



LECTOR (Benigne Lector) plures extare nuper editos Philosophicos , præsertim Thomisticos, Cursus , quorum Auctores velle corrigere , aut sapientia , & doctrina præcellere haud levis temeritas videretur.

Proptereaque diu detrectaveram Cursum hunc Philosophicum , olim , pro commissis discipulis iterato trilenio erudiendis, in Pintiano nostro D. Didaco Sacro Collegio à me congestum , typis excudere , ac publica luce donare: veruntamen importunis maiorum monitis, quorum auctoritati pertinaciter renuere non licebat, tandem celsi ; non quidem eo animo , vt cæteros Auctores doctrinæ , aut sapientiæ fama superarem, longe enim abest huiusmodi ausus à nostræ pusillitatis agnitione ingenua: id tantum curæ nostræ fuit , vt ea , quæ ab alijs discere potuimus , breviori , & clariori ordine digesta , discipulis præberemus ; libenter namque aliorum Cursus copiosiori doctrina, splendidiori eruditione, & altiori philosophia refertos fatebimur , potissime geminos illos è celeberrimo Complutensi D. Th. Sacro Collegio nuper prodeuntes , quorum Auctores veluti duo luminaria magna scholis illuxere foeliciter ; sed non semper lucis exuberans copia iuvat intuentium aciem , sæpe lux remissior accommodatior est oculis nondùm exercitatis , aut defœcatis perfecte. Id igitur hoc nostro opere conati sumus , doctrinam nempe philosophicam ita temperare , vt nec altitudine , aut profunditate conceptuum captum superet discipulorum , nec latitudine disputationum animum de-

terreat incipientium. Propterea, licet sententias eligamus
veriores, fundamentis tamen captu facilioribus utimur:
propterea item in plerisque quaestionibus calamus strin-
gimus, & ab aliorum sententijs impetendis, probationi-
bus, aut solutionibus improbandis, superse demus: prop-
terea demum Cursum integrum tribus tantum tomis ab-
solvimus haud magnæ mollis. Quorum primus minorem
Dialecticam, quam Summulas vocant, ac Logicam Mag-
nam complectit: secundus octo libros Physicorum cum
libris forsan de Ortu, & Interitu continebit: tertius de-
mum libros de Anima, ac Metaphisicam debito ordine di-
gestam dabit. Adfuit etiam aliud motivum pro hoc
opere publicæ luci exponendo; ut, nimirum, ali quid con-
tribueremus consuetis Academiarum studijs, utque Scho-
læ D. Th. suffragium qualequale præstaret hoc nostrum
Salmanticense Collegium, in eoque, ac per ipsum nostra
Minimitana Religio; nec enim id contemnendi deco-
ris est cuicumque religiosæ familiæ. Forsan non deerit ri-
gidus Censor, qui opus præsens nullius commodi Scho-
lis, ac suffragium nostrum Thomisticæ doctrinæ nullius
esse momenti, per indeque conatus nostros frustratos iu-
dicabit. Sed de hoc contendere non licet. Etsi tamen opus
ipsum contempribile foret, votum tamen communi uti-
litati, ac studentium profectui contribuendi, haud sper-
ni meretur; in magnis quippe voluisse sat est.

TRACTATUS

ISAGOGICVS SYMMVLARVM,

SEV MINORIS DIALECTICÆ.



SEMPER Mihi visus fuit parum utilis, minusque necessarius, discipulorum item profectum retardans, prolixus aliquorum labor, qui minorem dialecticam pluribus disputationibus implexam reddunt, nihilque serè prætermittunt, de quo reflexas quæstiones non instituant. Quapropter, brevitatis gratia, ab his reflexis disputationibus supersedentes, directe tantum, moreque doctrinali Summularum Textum dabimus, vnam vel alteram tantummodo obiecivuculam interdum miscentes, ut discipuli paulisper modum disputandi exercere discant, quo minus inexperti magnam Dialecticam, quæ more iam scientifico procedit, salutare valeant.

Vt autem rectam observemus methodum, prænotare oportet nostri intellectus operationes, iuxta vulgarem, rectamque divisionem, esse tres, nimirum apprehensionem, iudicium, & discursum. Apprehensio est actus intellectus, quo concipit rem, nihil de ea affirmando, aut negando, v.g. actus ille, quo mentaliter dicis *Homo*, iudicium est actus intellectus, quo aliquid affirmat, aut negat de re concepta, v.g. actus, quo mentaliter dicis: *Homo est albus*, aut quo dicis: *Homo non est albus*. Vbi nota quod actus affirmans vnum de alio vocatur compositio, quia vnum cum alio veluti componit, & iungit; actus vero negans vnum de alio, vocatur divisio, quia vnum ab alio dividit, & separat. Discursus est actus, quo intellectus ex vno iudicato aliud infert, & deducit, vt cum mente iudicas quod *Petrus est homo*, indeque inferas *Ergò est risibilis: ergò est mortalis, &c.* Iuxta hanc tripartitam divisionem pariter in tres libros dividitur Dialectica minor. Ad primum pertinent voces, & dictiones nihil affirmantes, aut negantes. Ad secundum pertinent propositiones, quarum munus est aliquid affirmare, aut negare. Ad tertium pertinent argumentationes vnum ex alio probantes, aut inferentes. De his igitur suo dicendum est ordine.

LIBER PRIMVS.

DE HIS, QUÆ AD APPREHENSIONEM
SIMPLICEM SPECTANT.



VIA In hoc primo libro de termino præcipue agitur, qui per *signum*, tanquam per genus, definitur, propterea prius de signo aliqua sunt prælibanda; omissis pluribus ab alijs hîc agitari solitis, tyrinibus tamèn, quæ penitus sunt impropportionata.

QVÆSTIO. I.

Quid, & quotuplex sit signum?

1 **SIGNVM** Sic communiter solet defini: *Est obiectum quod potentie cognoscitivæ aliquid aliud à se representat.* Pro qua definitione explicanda nota primo, quod obiectum nihil aliud est, quam res illa, quæ potentia obijcitur, sive coram illa apparet, ut ab ipsa percipiatur, v.g. res colorata est obiectum potentia visibæ, & sonus obiectum auditus, & sic de alijs, quia alterum à visu, alterum ab auditu percipitur.

2 Nota secundo quod obiectum est triplex. Motivum tantum, terminativum tantum, motivum & terminativum simul. Motivum tantum est quod movet potentiam, non tam ad sui, quam ad alterius cognitio-

nem, v.g. Imago Beatæ Virginis, quæ intellectum movet, non ad ipsam picturam, sed ad ipsam Virginem cognoscendam. Obiectum terminativum tantum est res cognita per cognitionem ab alio obiecto excitatam, & occasionatam, v.g. Beata Virgo cognita per cognitionem ab eius imagine occasionatam. Motivum, & terminativum simul est quod movet, & excitat potentiam ad sui ipsius cognitionem, ut paries, cum in se ipso videtur.

3 Nota tertio, quod representare nihil aliud est, quam rem præsentem facere, non quidem physicè, & naturaliter, sed mentaliter; unde qui ante oculos poneret ipsum verum Regem non diceretur eum representare; sed tantum illud representat Regem, quod per modum imaginis, aut similitudinis ipsum ponit in mente præsentem, excitando illius cognitionem.

Quest. 1. Quid, & quotuplex sit signum?

3

4 Quo supposito, explicatur definitio. *Ly obiectum* ponitur loco generis, est enim ratio communis, in qua convenit signum cum pluribus alijs, quæ, licet sint obiecta, non tamen sunt signa v.g. *paries*. Et simul denotatur signum debere esse obiectum cognitum à potentia cognoscitiva. Cæteræ particulæ, scilicet, *quod potentia cognoscitiva aliquid aliud à se repræsentat* ponuntur loco differentia, quia per illas differt signum ab illis obiectis, quæ signa non sunt; & simul denotatur quod, ut aliquid sit signum, debet aliquid à se distinctum repræsentare, sive alterius à se cognitionem excitare. Ex quo colliges, ex triplici obiecto quod supra explicavimus, solum obiectum motivum tantum habere rationem signi.

5 Sed contra argues, disputandi gratia: bona definitio debet convenire omni suo definito; sed prædicta signi definitio non convenit omni signo: ergò non est bona. Maior est certa, & minor probatur; aliquod signum datur, quod non repræsentat: ergò prædicta signi definitio non convenit omni signo. Antecedens probatur primo: hæc vox *homo* in libro clauso scripta est signum; & tamen non repræsentat: ergò aliquod datur signum, quod non repræsentat. Secundo; hæc vox *nihil* est signum; & tamen nihil repræsentat: ergò datur aliquod signum, quod non repræsentat.

6 Respondeo, concessi maiori, negando minorem. Ad cuius probationem, nego antecedens. Ad cuius primam probationem distinguo minorem: & tamen non repræsentat actualiter, & exercitè, concedo minorem; aptitudinaliter, & in potentia, nego minorem, & consequentiam; quia, cum dicitur in definitione quod signum est quod repræsentat, non debet intelligi de representatione actuali, & exercita, sed de representatione aptitudinali; verba enim in definitione, iuxta commune proloquium, non dicunt actum; sed aptitudinem. Ad secundam, concessi maiori, distinguo minorem: hæc vox *nihil*, nihil repræsentat ex parte rei significatæ, concedo minorem: ex modo significandi, nego minorem; quia, licet repræsentet nihil, illud autem repræsentat ac si esset aliquid.

7 Obicies secundo: datur signum quod se ipsum, & nihil aliud distinctum à se repræsentat: ergò malè dicitur in definitione signi, quod aliud à se debeat repræsentare. Antecedens probatur primo; quia si Rex in theatro repræsentaret historiã, aut bellum à se patratum, & ageret sui personam, tunc vere esset signum repræsentans; & tamen repræsentaret se ipsum, & nihil aliud: ergò datur signum quod se ipsum, & nihil aliud à se repræsentat. Secundo: quia hæc vox *aliquid*, est signum; &

tamen non representat aliud à se: ergò idem quod prius. Minor probatur, quia talis vox representat aliquid; sed ipsa est aliquid: ergò non representat aliud à se ipsa, sed id ipsum, quod ipsa est. Tertio: quia hoc nomen *vox* est signum; & tamen representat se ipsam, si quidem representat vocem, & ipsum nomen est vox: ergò.

8 Respondeo, negando antecedens. Ad eius primam probationem, concessa maiori, distinguo minorem: representat Rex se ipsum sub distincto munere, & statu, concedo minorem; sub eodem munere & statu, nego minorem, & consequentiam: quia Rex, ut ludens in theatro, representaret se ipsum ut militentem in bello; valde autem distinguitur Rex, ut ludens in theatro à se ipso, ut militante in bello. Ad secundam probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad eius probationem distinguo maiorem: talis vox representat aliquid in communi, & indeterminate, concedo maiorem: in singulari & determinate, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia ipsa vox representat aliquid in communi, ipsa autem est aliquid tale, & singulare; & cum detur distinctio inter aliquid tale, & singulare, & aliquid in communi, inde est quod talis vox representat aliquid à se ipsa distinctum. Ad tertiam concessa maiori, nego minorem.

rem; quia illa dictio *vox* est vocalis, & singularis, representat autem vocem in communi, abstrahendo à se ipsa, & ab alijs; absdubio autem datur distinctio inter illam vocem singularem, & vocem in communi & abstrahentem.

Dividitur Signum.

SIGNVM Ergò primo dividitur in formale, & instrumentale. Signum formale est: *Quod per se ipsum, & non mediante alio representat, ut conceptus, & notitia hominis, quæ per se ipsam reddit hominem mentaliter præsentem.* Unde signum formale alicuius rei nihil aliud est, quam conceptus, seu notitia illius rei. Qui quidem conceptus, vel notitia primo dividitur in intuitivam, & abstractivam. Intuitiva est notitia rei præsentis, ut notitia, quam habeo de hac papyro. Abstractiva est notitia rei absentis, ut notitia, quam habemus Romæ. Secundo dividitur notitia, vel conceptus in directum, & reflexum. Conceptus directus est conceptus rei, v. g. Conceptus parietis. Conceptus reflexus est conceptus alterius conceptus, v. g. conceptus, quo cognosco me cognovisse Petrum.

Aliud signum est instrumentale, & est *Quod, præexistente cognitione sui, aliud representat, ut imago Beatæ Virginis, quæ prius cognita, ducit, & mo-*

Quest. II. Quid & quotuplex sit term?

5

ut intellectum ad cognitionem Virginis representat. Unde signum formale, & instrumentale differunt in eo, quod instrumentale petit duplicem conceptum, unum ipsius signi, & alium rei representatæ; at vero signum formale non petit duplicem conceptum, sed ipsum est conceptus, qui rem à se distinctam representat.

Signum autem instrumentale dividitur in signum naturale, ad placitum, & ex consuetudine. Signum naturale est quod natura sua aliquid representat, ut fumus ignem. Signum ad placitum est, quod ex libera hominum impositione aliquid significat, ut hæc vox *homo*, quæ ex libera hominum impositione representat potius hominem, quam aliud. Signum ex consuetudine est illud quod ex consuetudine aliquid representat, ut mapæ supra mensam significant prandium.

Signum autem ad placitum subdividitur in manifestativum tantum, & manifestativum, & suppositivum simul. Manifestativum tantum est, quod representat rem, non tamen potest loco illius poni in oratione, ut ramus in porta significat vinum vendibile, non tamen potest poni pro ipso in oratione. Manifestativum, & suppositivum simul est, quod representat rem, & potest pro illa poni in oratione, ut sunt voces quæ representant res, & loco re-

rum ponuntur in oratione, quia ut ait Philosophus, cum res ad scholas adducere non possimus, utimur vocibus loco rerum. Omitto alias signi divisiones, & quæstiones tyronibus minus aptas, suis locis in posterum discutendas.

QVÆSTIO. II.

Quid, & quotuplex sit terminus

LICET Terminus circa alias materias diversimode accipiatur, in presenti tamen sumitur pro vocibus, & dictionibus, quibus loquimur. Communiter autem definitur hoc modo: terminus est, *Signum, ex quo simplex conficitur propositio.* Quæ definitio optima est, constat enim genere & differentia. *Ly. signum* ponitur loco generis, quia per illud convenit terminus cum pluribus alijs, quæ licet sint signa, non tamen sunt termini, ut sonitus cimbali, & genitus infirmi. Per cæteras particulas differt ab illis, quia licet dentur plura signa, quæ termini non sint, tamen ex illis non componitur propositio. Ex quo colliges, terminos, uti sumuntur in presenti, nihil aliud esse, quam voces, quibus loquimur, dummodo illæ non sint integræ propositiones, sed tantum ex quibus propositiones formantur, quia ut ait Damascenus cap. 48. *Dialecticæ: Unaquæque propositio ex terminis componitur.*

nitur, unaquaque autem dictio terminus propositionis est.

2 Sed contra obijcies primo: copula est dictio, ex qua componitur propositio: & tamen non est terminus. ergo non quælibet dictio est terminus propositionis. Minor probatur primo ex Arist. 1. Priorum, ubi sic ait: *Terminum voco, in quem resolvitur propositio, tanquam in subiectum, & prædicatum; sed in copulam non resolvitur, tanquam in subiectum, & prædicatum, quia ipsa nec subiectum est, nec prædicatum: ergo non est terminus propositionis. Secundo: quia terminus dicitur à terminando; sed copula non terminat propositionem: ergo non est terminus illius. Minor probatur; quia terminare est proprium extremorum, ut patet in rebus naturalibus, quæ solum suis extremis terminantur; sed copula non est extremum propositionis: ergo non terminat propositionem. Minor hæc ultima patet: quia extrema propositionis solum sunt subiectum, & prædicatum.*

3 Pro solutione nota, quod in propositione categorica, infra explicanda, reperitur subiectum, prædicatum, & copula. Subiectum est illud de quo aliquid dicitur, prædicatum est quod dicitur de alio copula est verbum, quo prædicatū dicitur, de subiecto, v. g. in hac propositione: *Petrus est homo, ly Petrus est subiectum, quia de illo dici-*

tur homo, ly homo est prædicatum, quia dicitur de Petro; & ly est, est copula, quia coniungit unum cum alio.

4 Quo supposito, omissis aliorum solutionibus, qui contentiose disputant, an copula sit terminus. Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: copula non est terminus secundum rigorosam, & principalem acceptionem termini, concedo minorem: secundum latam, & communem acceptionem termini, nego minorem: Ad cuius primam probationem dico, quod Arist. in illis verbis definit terminum secundum rigorosam, & principalem acceptionem termini logici; quo pacto fatemur solum subiectum, & prædicatum esse rigorose, & principaliter terminos, quia sola illa terminant, & sunt extrema propositionis. Cum hoc tamen rectè stat, quod in communi, & lata acceptione copula sit terminus, quia terminus propositionis iam communiter accipitur, non solum pro extremis, sed etiam pro alijs dictionibus constituentibus propositionem, unde adverbia, conjunctiones, & disiunctiones, cæteraque sine categoricis terminis dicuntur in propositione.

5 Ad secundam probationem distinguo maiorem: terminus dicitur à terminando, secundum etymologiam nominis, & secundum rigorosam accep-

Quest. II. Quid, & quotuplex sit terminus?

7

tionem, concedo maiorem: ex communi iam, & lata acceptio-
ne, nego maiorem, & concessa
minori, nego consequentiam.
Quia, licet etymologia huius
nominis *terminus* desumatur à
terminando, non oportet quod
nihil sit terminus, nisi quod ter-
minat, quia licet convenient
rebus nomina sæpe suis, non ta-
mèn semper, aliquando enim
ex communi, & vulgari accep-
tione extenduntur ad alia signi-
ficanda præter ea, quæ præse-
fert nominis etymologia: & sic
contingit in hoc nomine *termi-
nus*, quod licet dicatur à termi-
nando, tamen ex communi, &
lata acceptione extenditur iam
ad significanda non solum ex-
trema, quæ terminant proposi-
tionem, sed omnes voces illam
componentes. Exempli gratia,
hoc nomen *Latinus* sumitur à La-
tio parte Italiae, ac proinde ex
primaria sua acceptione tantum
significabat eius terræ incolas;
nihilominus ex communi iam
acceptione extenditur ad signi-
ficandos quoscumque professo-
res linguæ latinæ.

6 Obijcies secundo: hæc
propositio *homo est animal* non
est terminus: & tamen potest
componere propositionem sim-
plicem: ergò aliquid datur ex
quo simplex componitur pro-
positio, quod non sit terminus, &
consequenter male definitur à
nobis terminus. Maior est certa,
& minor probatur: quia hæc
propositio, *homo est animal* est

verum, componitur ex illa pro-
positione *homo est animal*: ergò
illa propositio potest componere
aliam propositionem simplicem;

7 Respondeo, concessa maio-
ri, distinguendo minorem: po-
test componere aliam proposi-
tionem per accidens, concedo
minorem: per se, nego mino-
rem, & consequentiam. Unde,
cum in definitione nostra dici-
mus terminum esse constitui-
vum propositionis, debet intelli-
gi ita, ut sit constitutum illius
per se, non autem per accidens:
licet autem una propositio sit
aliquoties alterius constitutiva,
non tamen ordinatur per se ad
aliam propositionem consti-
tuendam, sed tantum per acci-
dens, quia ipsa in suo genere
est totum perfectum. Sicut in
artificialibus una domus; licet
aliquando possit alteram maio-
rem componere, ad hoc tamen
non ordinatur per se, sicut lapi-
des, & ligna, sed tantum per ac-
cidens, quia videlicet ipsa do-
mus in suo genere est totum
compositum.

Dividitur terminus:

PRIMO Dividitur terminus
in vocalem, mentalem,
& scriptum. Vocalis est
vox significativa ad placitum,
ex qua simplex conficitur proposi-
tio, ut hæc vox homo. Terminus
scriptus est *Scriptura sive dictio*
scripta, ex qua simplex conficitur
propositio, ut hæc dictio homo, in

libro scripta. Terminus mentalis est conceptus, ex quo simplex componitur propositio mentalis, ut conceptus hic, homo.

9 Sed obijcies contra definitionem termini vocalis: aliquis datur terminus vocalis, qui non est vox significativa ad placitum: ergo illa definitio non convenit omni suo definitio, & consequenter non est bona. Antecedens probatur: hæc vox *Bliciri* est terminus; & tamen non est significativa ad placitum: ergo. Maior probatur: quia ex illa voce *Bliciri* componitur hæc propositio: *Bliciri est trisyllabum*; sed quælibet propositio ex terminis componitur: ergo *Bliciri* est terminus in prædicta propositione.

10 Respondeo negando antecedens. Ad cuius probationem, nego maiorem. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: ex illa voce *Bliciri* componitur formaliter, & significative propositio, nego maiorem; materialiter, & obiective, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam; quia dupliciter potest aliquid componere propositionem, scilicet formaliter, & significative; vel materialiter, & obiective. Illud componit primo modo, quod substituit in propositione pro aliqua re, quam significat, ut hæc vox *homo*, quæ in hac propositione *homo est animal*, substituit pro ipso homine, quem significat; & quod hoc modo componit propositio-

nem est terminus vocalis; Illud autem componit propositionem materialiter, & obiective, quod pro semetipso ponitur in propositione, & est ipsum obiectum de quo loquitur propositio, v.g. quando dicis *homo est vox*; quia *homo* pro se ipso ponitur in propositione, estque ipsa vox *homo* de qua loquimur in propositione, & quod hoc modo componit propositionem non est terminus vocalis, sed pure obiectivus. Cum ergo hæc vox *Bliciri* hoc solum modo componat propositionem, inde est quod rationem termini vocalis non participat.

11 Sed replicabis: *Bliciri* est subiectum formale dictæ propositionis; sed subiectum formale propositionis constituit formaliter, & non solum materialiter propositionem: ergo *Bliciri* componit illam propositionem formaliter. Maior probatur: quia in ea propositione non datur aliud, quod possit esse subiectum formale, nisi *Bliciri*; sed ipsa propositio debet habere subiectum formale: ergo in ea *Bliciri* est subiectum formale. Minor patet, quia talis propositio est propositio formalis; sed propositio formalis debet constare subiecto formali, sicut prædicato, & copula formali: ergo. Respondeo, negando maiorem. Ad probationem, distinguo maiorem: non datur, nec suppletur aliud quod possit esse subiectum, nego maiorem; non datur,

Quest. II. Quid & quotuplex sit term?

9

Datur, sed suppletur, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam; quia in illa propositione suppletur ly *hec vox*, quasi dicat: *Hec vox Blietiri est trisyllaba*, & ly *hec vox*, quod suppletur, est subiectum formale, & significativum illius propositionis, quia est dictio demonstrative significans ipsum Blietiri; nec est necessarium quod exprimat, sed sufficit quod suppleatur, sicut in alijs partibus orationis solet contingere.

12. Terminus vocalis dividitur in univocum æquivocum, & analogum. Terminus univocus est, qui sua significata eodem conceptu, & significatione representat, seu quod idem est, est qui significat aliquam rationem communem pluribus, ut homo, qui significat naturam humanam, in qua omnes homines perfecte conveniunt. Terminus æquivocus est, qui sub diversis significationibus diversa significata representat, ut hæc vox *Canis*, quæ sub una significatione representat stellam, & sub alia piscem, & sub alia animal terrestre. Terminus analogus, qui etiam solet dici æquivocus à consilio, est qui sua significata representat, ut sunt unum secundum aliquam proportionem, ut hæc vox *Nero*, quæ significat Principem Neronem, & etiam homines crudeles per proportionem quam habent cum ipso Nerone.

13. Vbi nota duas dari regulas pro terminis analogis, Prima

est: *Analogum per se sumptum stat pro famosiori significato*, v. g. hic terminus *Leo*, nisi aliud addatur, significat ipsum verum Leonem, qui est eius principale significatum; tunc, si addatur *de Tribu Iuda*, quia tunc significat per quamdam proportionem Christum Dominum, qui non est eius principale significatum. Secunda regula est *in analogis, vel æquivocis talia sunt subiecta, qualia permittuntur à suis prædicatis*; hoc est, subiecta significant iuxta exigentiam prædicati. V. g. in hac propositione: *Canis latrat*, ubi canis non significat stellam, aut piscem propter illud prædicatum *latrat*. Et in hac *ut cit Leo de tribu Iuda*. Vbi ly *Leo* non significat verum Leonem; sed Christum, propter illud additum *de Tribu Iuda*.

Uterius dividitur terminus

14. SECUNDO Dividitur terminus in categorematicum, & in categorematicum, hoc est, in significativum, & consignificativum. Categorematicus, seu significativus est, qui significat aliquid absolute, & per se, ut homo, albus. In categorematicus, seu consignificativus est qui significat aliquid modaliter, ut sunt adverbia, v. g. *velociter*, & signa, *omnis*, *quidam*, *aliquis*, &c. Vbi nota quod terminus categorematicus se solo potest poni in propositione per modum subiecti, aut prædicati;

at

at vero sine categorematicus nequit poni in propositione, nisi cum alio, & tanquam modus illius, unde vocatur consignificativus.

15 Terminus autem categorematicus subdividitur in communem, & singularem. Terminus communis est, qui significat plura divisim, seu, quod idem est, qui significat unum seorsim affirmabile de pluribus, ut homo, qui significat hominem affirmabilem de Petro, de Paulo, & Ioanne, &c. Vbi nota, quod terminus communis, alius est communis positivè, & ex parte rei significatæ, alius est communis negativè tantum, & ex modo significandi. Primus est, qui significat aliquid re vera affirmabile de pluribus eiusdem denominationis, ut homo de pluribus hominibus; & hoc modo Deus non est terminus communis, quia licet sit affirmabilis de pluribus personis, non tamen de pluribus eiusdem denominationis, scilicet de pluribus Dijs. Terminus autem communis ex modo significandi, sive negativè est, qui significat aliquid illud non singularizando, sive qui significat aliquid, ex modo significandi si non prohibendo illud affirmari de pluribus. Et hoc modo hic terminus Deus est terminus communis, quia licet obiectum significatum, scilicet ipse Deus, non sit affirmabilis de pluribus, tamen eodem modo significatur per hanc vocem Deus,

ac si esset revera de pluribus affirmabilis, quia per illam vocem non repræsentatur singulari modo, sicut per hanc hic Deus. De quo vide Collegium D. Thomæ Complutense in disputatis quæst. 2. art. 6.

16 Terminus singularis est, qui unum tantum significat, hoc est, qui significat aliquid illud singularizando, & restringendo ad unicum individuum, ut hic homo, Petrus. Hic adiungitur alia divisio termini in collectivum, & divisivum. Collectivus est, qui significat plura, ita, ut de quolibet seorsim n. queat affirmari, ut populus, qui significat populares, ita ut de quolibet nequeat affirmari quod est populus. Divisivus est, qui significat plura divisim, vel unum tantum, ut homo, Petrus.

17 Tertio dividitur terminus in absolutum, sive substantivum, & in connotativum, sive adiectivum. Terminus absolutus est, qui significat aliquid per modum per se stantis, ut homo, albedo. Connotativus est, qui significat aliquid per modum alteri adiacentis, ut albus, cæcus. Vbi nota, quod licet terminus significet aliquid alteri adiacens, si illud non significet per modum alteri adiacentis, sed per modum per se stantis, erit terminus absolutus, ut albedo, quia solum attenditur ad modum significandi, non autem ad rem significatam. Nota etiam hanc differentiam inter terminum absolutum, & connotati-

Quest. II. Quid & quotuplex sit terminus?

11

ratiuum, quod absolutus potest esse subiectum, aut prædicatum in propositione; connotatiuus autem solum potest prædicatum esse.

18 Hic reducitur alia divisio termini in abstractum, & concretum. Abstractus est, qui significat formam, ut à subiecto separatam, & per se stantem, ut *albedo*, *humanitas*. Concretus est, qui significat formam, ut in subiecto habente illam, ut *homo*, *albus*.

19 Quarto dividitur terminus in finitum, & infinitum. Terminus finitus est, qui aliquid positivè significat, ut *homo*, *albus*. Infinitus est, qui nihil determinatè & positivè significat, sed remouet, & negat significatum alterius termini, ut *non homo*, *non albus*.

20 Quinto dividitur terminus in transcendentem, & non transcendentem. Transcendens est, qui significat aliquid, quod per omnia prædicamenta vagatur, ut sunt hi termini *res*, *ens*, *verum*, *bonum*, *aliquid*, *unum*, quorū initiales per hanc dictionem indicantur REVAV. Non transcendentis est, qui significat aliquid, quod pertinet ad certum, & determinatum genus, ut *homo*, *equus*.

22 Sexto dividitur terminus in complexum; & incomplexum. Complexus est, cuius partes per se sunt significativae, ut *homo albus*. Incomplexus est, cuius partes per se non sunt significativae ut *Dominus*. Vbi nota, quod, ut aliquis terminus sit cōplexus non sufficit, quod eius partes se-

paratæ quamlibet habeant significationem; sed requiritur quod habeant eandem significationem separatæ, ac iunctæ; ut *homo iustus*, ubi *ly homo* significat hominem, & *ly iustus* habentem iustitiam, & iunctæ illæ partes idem significant, scilicet, hominem habentem iustitiam. Secus accidit in hoc termino *Dominus*, quia licet illius partes separatæ, scilicet, *Do*, & *minus*, significant, non tamen idem, ac iunctæ; quia separatæ significant dare minus, & iunctæ significant Dominum. Et idem accidit in hoc termino *Respublica*, qui significat congregationem civium, eius autem partes significant quamlibet rem publicam, unde nec *Dominus*, nec *Respublica* sunt termini complexi, sed incomplexi.

23 Septimo, & ultimo dividitur terminus in terminum primæ intentionis, & terminum secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis est, qui significat aliquid secundum quod habet independentè à consideratione intellectus, ut *homo*, qui significat hominem, qui verè datur independentè à consideratione intellectus. Terminus secundæ intentionis est, qui significat aliquid secundum quod habet ex consideratione intellectus, ut hi termini *genus*, *species*, *prædicatum*, & *subiectum*, quæ non dantur in rerū natura, sed considerationē mentis consequuntur. Hæc sufficiant dicta pro terminorum intel-

tel.

telligentia, breuitas enim, cui præsertim in hoc opere studeo, longius disputare non sinit, vnâ tantummodo, vel alteram disputationem pro incipientium exercitatione infero.

QVÆSTIO. III.

Verum voces extra propositionem habeant rationem termini?

DICO Igitur quod voces extra propositionem habent rationem termini.

Probat: quando vox est actualiter pars propositionis est actualiter terminus; sed voces extra propositionem actualiter sunt partes propositionis: ergo actualiter sunt termini. Minor, quæ sola difficilis est, probatur: de ratione partis actualis non est actualiter componere totum, sed solum esse ordinatam ad componendum: ergo voces antequam componant propositionem, & extra ipsam sunt actualiter partes illius. Antecedens probatur: anima rationalis separata à corpore est actualiter pars hominis: ergo de ratione partis actualis non est actualiter componere, sed solum esse ordinatam ad componendum.

2. Respondens contrarij esse disparitatem inter partes naturales, qualis est anima rationalis, & partes artificiales, quales sunt termini: quia partes naturales per suam naturam ordi-

nantur ad componendum, partes verò artificiales non sunt ordinatæ ad componendum, nec habent aptitudinem proximam, sed solum aptitudinem remotam antequam actu componant; vnde anima rationalis ante compositionem est actualiter pars; voces verò non sunt actualiter partes, nec termini extra propositionem.

3. Hæc est tota doctrina contrariorum; contra quam sic argumentor primo: Voces, antequam componant, habent aptitudinem, & potentiam proximam ad componendam propositionem; sed hoc sufficit vt sint actu partes, & termini: ergo sunt termini antequam componant propositionem. Maior, quæ sola difficilis est, probatur: implicat rem aliquid facere in exercitio, nisi antecedenter sit proximè potens illud facere: ergo voces, antequam in exercitio componant, sunt proximè potentes illam componere.

4. Secundo sic argumentor: plures partes artificiales, antequam componant, sunt actu partes: ergo, licet termini sint partes artificiales, possunt esse actu partes, antequam componant. Antecedens probatur. milites adscripti sub ducis vexillo, etiam si non constituent actualiter exercitum, sunt partes exercitus: similiter lapides politæ, & dispositæ sunt partes domus antequam componant: & lignum dolatum in forma capitis, vel

pedis, est pars statuae antequam illam actu componat: ergo dantur plures partes artificiales, quae sunt actu partes antequam componant. Confirmatur: ideo partes naturales, & plures artificiales sunt actu partes antequam componant, quia sunt ordinatae ad componendum: sed voces extra propositionem sunt ordinatae ad illam componendam: ergo sunt actu partes illius. Minor probatur: voces extra propositionem sunt significativae; sed hoc ipso sunt ordinatae ad componendam propositionem: ergo voces extra propositionem sunt ordinatae ad illam componendam. Minor probatur; quia eo ipso quod voces sint significativae sunt institutae, & ordinatae, ut medijs illis loquamur, & manifestemus conceptus; sed hoc facimus per propositiones: ergo eo ipso quod voces sint significativae sunt ordinatae, & determinatae ad componendam propositionem.

Solvuntur argumenta.

ARGVES Primo: partes artificiales non sunt actu partes antequam componant; sed termini sunt partes artificiales propositionis: ergo non sunt actu partes, nec termini extra propositionem. Maior probatur; quia ut aliquid sit pars artificialis non sufficit quod habeat potentiam ad componendum: ergo partes artificiales

non sunt actu partes antequam componant. Antecedens probatur: lapides, dum sunt in monte, non sunt partes domus, nec lignum est pars statuae; & tamen habent potentiam ad componendum: ergo ut aliquid sit pars artificialis non sufficit quod habeat potentiam ad componendum.

7. Respondeo negando maiorem. Ad cuius probationem distinguo antecedens: ut aliquid sit pars artificialis, non sufficit quod habeat potentiam remotam ad componendum, concedo antecedens; non sufficit quod habeat potentiam proximam, & dispositam, nego antecedens. Ad cuius probationem dico, quod lapides, dum sunt in monte, solum habent potentiam remotam, & indispositam ad componendam domum, & ideo non sunt partes domus; at vero, dum lapides sunt politii, & dispositi ad construendam domum, iam habent potentiam proximam ad componendum, & sunt in actu partes domus componendae. Sic similiter voces possunt considerari dupliciter; primo antequam sint impositae ad significandum; & tunc solum habent potentiam remotam ad componendam propositionem; & non sunt actu termini, ut haec vox *Blicieri*. Secundo possunt considerari, in quantum iam habent determinatam significationem, ut haec vox *homo* in quantum significat hominem, & tunc iam

iam habent potentiam proximam ad componendam propositionem, & sunt actu partes illius; sicut lapides politici sunt actu partes domus.

8 Sed replicabis: voces, adhuc ut habent determinatam significationem, non sunt determinatæ ad componendam orationem dialecticam: ergo, adhuc sic consideratæ, non sunt per se partes orationis dialecticæ. Antecedens probatur, quia adhuc in quantum habent determinatam significationem, sunt indifferentes ad componendam orationem grammaticalem, poeticam, seu rhetoricam: ergo non sunt determinatæ ad orationem dialecticam. Respondeo, distinguendo antecedens: ut habent determinatam significationem purè grammaticalem, concedo antecedens: ut habent determinatam significationem dialecticam, seu logicalem, nego antecedens. Ad cuius probationem eadem distinctione respondeo, quod istæ voces *animal rationale*, v.g. possunt considerari, vel ut significantes absolutè animal, & rationale, vel ut significantes animal, ut genus. & rationale, ut differentiam. Prima significatio est purè grammaticalis, & ex vi illius præcisè, fate-mur quod voces non habent rationem termini logici: secunda vero est dialectica, seu logicalis, & ex vi illius voces significantes sunt determinatæ ad orationem dialecticam: & quia adhuc extra

propositionem voces habent istam significationem dialecticam, siquidem adhuc extra propositionem significant rem subijcibilem, aut prædicabilem, communem, aut singularem, genericam, vel differentialem, &c. ideo adhuc extra propositionem sunt termini verè dialectici. Vide infra dicenda in logica tract. 1. quest. 3.

9 Obijcies secundo: voces extra propositionem non sunt termini syllogistici: ergo nec sunt termini logici. Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam; quia voces extra propositionem non sunt proximè potentes componere syllogismum, sed prius debent componere propositionem, & postea syllogismum; ac vero extra propositionem sunt proximè potentes illam componere, & ideo extra propositionem sunt termini propositionis, non vero termini syllogistici.

10 Obijcies tertio: omnis terminus, aut est subiectum, aut prædicatum, aut copula; sed voces extra propositionem, nec sunt subiectum, prædicatum, nec copula: ergo non sunt termini extra propositionem. Respondeo, distinguendo maiorem: omnis terminus, aut est subiectum, aut prædicatum, aut copula in exercitio, nego maiorem, in potentia proxima, concedo maiorem: & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia de ratione termini

mini non est quod sit actualiter subiectum, aut praedicatum, sed quod sit subijcibile, aut praedicabile proxime, sive quod habeat potentiam proximam ad esse subiectum, aut praedicatum, hoc autem habent voces extra propositionem.

11 Sed replicabis: licet voces extra propositionem habeant potentiam proximam ad esse subiectum, aut praedicatum, non tamen sunt actualiter subiectum, aut praedicatum: ergo licet habeant potentiam proximam ad componendum, non sunt actu partes. Respondeo, concessio antecedenti, negando consequentiam, quia ratio partis non consistit in exercitio, sed in ordine, & aptitudine ad componendum: ratio vero subiecti, & praedicati: cum sit usus termini, consistit in exercitio.

12 Obijcies quarto: terminus debet esse, vel materia, vel forma propositionis; sed extra propositionem voces, nec sunt materia, nec forma propositionis: ergo non sunt termini. Minor prob. quia forma propositionis est praedicatum, & materia subiectum; sed voces extra propositionem, nec sunt subiectum, nec praedicatum: ergo voces extra propositionem, nec sunt materia, nec forma propositionis. Respondeo negando minorem. Ad probationem, nego maiorem; quia materia propositionis sunt partes ex quibus

componitur, forma autem est actualis unio, sive copula partium, quod semper servatur in compositis artificialibus: cum ergo voces extra propositionem sint partes proximae, ex quibus componi potest est propositio, inde est, quod extra propositionem sunt materia propositionis.

QVÆSTIO. IV.

Quid sit nomen?

1 NOMEN, iuxta sui etymologiam, nihil aliud est, quam notamen, sive nota, qua aliquid cognoscitur inter alia, definiturque in hunc modum: *Est vox significativa ad placitum sine tempore, cuius nulla pars est significativa separata, finita, & recta.* Primae particulæ, scilicet, *vox significativa ad placitum*, iam fuerunt explicatae supra, cum de signo, & termino ageremus. *Ly sine tempore* distinguit nomen à verbo, quod cum tempore significat. Pro cuius intelligentia nota, quod aliud est significare tempus, aliud connotare tempus, aliud significare cum tempore. Significare tempus nihil aliud est, quam quod ipsum tempus sit res directè significata per vocem, ut significatur per has voces: *mensis, annus, & tempus.* Connotare tempus est significare aliquam rem, quæ solet fieri tempore determinato, v.g. *prans*

prandium, ortus solis, & cæna. Prandium enim connotat meridie, ortus solis mane, & cæna noctem. Significare cum tempore, est significare aliquid per modum motus, sive rei transeuntis, hoc est, significare aliquid exerceri. V. g. hæc vox *amo*, significat cum tempore, quia significat amorem à me nunc exerceri, sive amorem ut fluentem, & transeuntem. Cum ergò dicitur in definitione, nomen significare sine tempore, non denotatur quod non significet, aut connotet tempus, sed quod non possit significare cum tempore; quia hæc dictio *annus* significat tempus; & hæc *prandium* connotat tempus, & tamèn sunt nomina, quia non significant cum tempore.

2 Illa particula *separata*, excludit à ratione nominis terminum complexum, quia eius partes separatae significant; nomen autem debet ita esse simplex, quod eius partes separatae non significant, quia alias non esset vnum nomen, sed plura nomina; ita inquam quod non significant idem separatae, ac iunctae; nam diversam significationem possunt habere separatae, ut contingit in hoc nomine *dominus*, cuius partes, scilicet *do* *minus* significant separatae, sed non idem, ac iunctae, & propterea non amittit rationem nominis. Illa particula *finita* excludit à ratione nominis terminum infinitum, quia nomen de-

bet significare quid sit res, terminus autem infinitus significat quid non sit, ut *non homo*. Ultima particula *recta* ponitur ad excludendos casus obliquos, qui vere non sunt nomina; quia nomen est, quo rem nominamus, & solo nominativo nominamus rem. *

3 Sed obijcies contra illam particulam *finita*: terminus infinitus est vere nomen; ergò male excluditur in definitione à ratione nominis. Antecedens probatur: iuxta Div. Thom. 1. Perhiermenias lect. 1. omnis propositio debet constare nomine, & verbo; sed potest fieri propositio de termino infinito, & verbo. v. g. *non homo currit*: ergò terminus infinitus est verè nomen. Confirmatur ideo terminus infinitus non esset vere nomen, quia nihil determinate significat; sed potest aliquis terminus esse nomen, licet nihil determinate significet; ergo similiter terminus infinitus potest esse vere nomen. Minor probatur: termini transcendentes ut *res, ens, intelligibile, &c.* sunt vere nomina; & tamen nihil determinate significant: ergò licet aliquis terminus nihil determinate significet, potest vere esse nomen.

4 Respondeo, negando antecedens. Ad eius probationem distinguo maiorem: omnis propositio debet constare nomine, quod vere, & formaliter sit nomen, nego maiorem quod

quod formaliter, aut æquivalenter sit nomen, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam; quia ad propositionem non semper requiritur quod componatur ex vero nomine, sed sufficit quod componatur ex aliquo, quod licet non sit nomen, gerat tamen vices nominis, & ponatur loco illius.

5 Ad confirmationem, distinguo maiorem: quia nihil determinate significat ex parte rei significatae, nego maiorem: ex modo significandi, concedo maiorem. Et distinguo minorem eodem modo. Ad cuius probationem concessa maiori, distinguo minorem: nihil determinate significant ex parte rei significatae, concedo minorem: ex modo significandi, nego minorem, & consequentiam; quia significare aliquid determinate ex modo significandi nihil aliud est, quam designare, & denotare quid sit res; cum autem nomina transcendentia: v. g. *intelligibile*, significet rem esse intelligibilem, optime potest esse nomen; ac vero terminus infinitus, *ut non homo*, adhuc ex modo significandi nihil determinate significat; quia potius denotat quid non sit res, quam quid sit res.

6 Pro complemento nota, participium vere loquendo non esse nomen, dum sumitur per modum participij, quia significat cum tempore, *ut amans*

quod significat de presenti, vel de preterito.

QUESTIO V.

Quid sit verbum?

1 **V**erbum Communiter definitur in hunc modum: est vox significativa ad placitum cum tempore, cuius nulla pars est per se significativa separata, finita, & recta. Illæ priores particulae, vox significativa ad placitum, iam sunt explicatae supra, per illasque convenit verbum cum quibuslibet terminis, & cum nomine, unde ponuntur loco generis. Ceteræ particulae ponuntur loco differentia; & imprimis per illam particulam *cum tempore* differet à nomine; quia, ut supra diximus, nomen significat sine tempore, verbum autem semper significat cum tempore, id est, significat rem per motum transeuntis, & fluentis, sive significat ipsam rem exerceri. Per illam particulam, *cuius nulla pars est significativa separata* excluditur à ratione verbi verbum complexum, v. g. *currit & disputat*; quia non est unum verbum, sed plura verba. Per alteram particulam *in finita* excluditur à ratione verbi verbum infinitum; quia sicut de ratione nominis est significare quid sit res, ita de ratione verbi est significare rem exerceri, sive fluere; verbum autem infinitum, *ut non disputo*, non significat

aliquid fluere, aut exerceri, sed potius aliquid non fluere, aut exerceri.

2 Per illam particulam *Reeta* excluduntur à ratione verbi verba obliqua, ut sunt cetera tempora præter præsens indicativi modi. V.g. *amabo, amavi*, quia non significant rem fluere, aut exerceri, sed significant rem, vel prout factam, vel prout faciendam. Ad excludendum participium addit Arist. aliam particulam in definitione, scilicet, *Est nota eorum, qua prædicatur*; id est, est copula, sive unio prædicati cum subiecto: quod quidem non habet participium, licet significet cum tempore, quia nequit componere propositionem, nisi uniat cum subiecto per aliud verbum, v.g. *Petrus est amans*. Ex quo colliges, participium, nec esse nomen, nec verbum, sed specialem partem orationis constituere.

3 Sed obijcies adversus definitionem: aliqua verba significant sine tempore: ergo male ponitur in definitione verbi significante cum tempore. Antecedens probatur primo, quia in hac propositione: *Deus intelligit, ly intelligit* est verbum; & tamen non significat intellectio- nem exerceri in tempore, cum intellectio divina solum exercetur in æternitate: ergo aliquod verbum non significat cum tempore. Secundo; quia in hac propositione: *homo est animal rationale* verbum absolvitur à tempore, sicut in omnibus pro-

positionibus æternæ veritatis: ergo non significat cum tempore.

4 Respondeo negando antecedens. Ad cuius primam probationem, concedo maiorem, & distinguo minorem: non significat intellectio- nem exerceri in tempore ex parte rei significata, concedo minorem: ex modo significandi, nego minorem & consequentiam; quia licet intellectio divina sit æternaliter permanens, & non cum tempore transiens, tamen à nobis significatur ad modum temporaliter transeuntis, sicut quantumvis sit semper præsens, & nunquam præterita, aut futura, solet à nobis significari de præterito, aut futuro, dicendo: *Deus intellexit*.

5 Ad secundam probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: non significat cum tempore actualiter, concedo consequentiam: aptitudinaliter nego consequentiam; quia de ratione verbi non est semper, significare cum tempore, sed solum habere aptitudinem ad significandum cum tempore; quia verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem. Unde in propositionibus æternæ veritatis, in quibus verbum absolvitur à tempore, non ideo amittit rationem verbi, quia semper manet aptum natum significare cum tempore, sive, quantum est de se, cum tempore significativum, per quod distinguitur à nomine.

LIBER SECVNDVS

DE HIS, QUÆ AD IVDICIUM
PERTINENT.



Vanvis Dubium sit àn omnis oratio ad secundam intellectus operationem pertineat, nihilominus, quia propositio indubie ad illam spectat, & alias ipsa definitur, tanquam per genus, per orationem, propterea de oratione etiam in hoc secundo libro dicendum distulimus, & primo.

QVÆSTIO. I.

Quid & quotuplex sit oratio?

1 **O** Ratio Sic cum D. Th. & Arist. communiter definitur: est vox significativa ad placitum, cuius partes separate significant, non ut affirmatio, & negatio, sed ut dictio. Tres priores particulae iam sunt explicatae: & ponuntur loco generis, quia per illas convenit oratio cum termino, nomine verbo, & alijs. Cæteræ ponuntur loco differentia, quia per illas differt à nomine, & verbo, cuius partes, ut iam constat, non sunt significativæ per se.

2 Sed dices: per prædictam definitionem non distinguitur oratio à termino complexo: ergo prædicta definitio non est bona. Antecedens patet, quia etiam partes termini complexi, ut homo, albus sunt per se significativæ: ergo in hoc non differt

oratio à termino complexo. Respondeo, quod oratio aliquando potest esse terminus complexus, ut patet in hac oratione imperfecta: *homo currens*, non tamè semper est terminus complexus, ut patet in hac *homo currit*, quæ minimè est terminus, sed propositio; potest ergo eadem vox esse terminus complexus, & oratio simul; unde non licuit in definitione orationis excludere terminum complexum. Adverte tamèn quod licet eadem vox possit esse oratio, & terminus complexus, non tamèn secundum eadem considerationem, sed dicitur terminus complexus, in quantum, ut pars potest componere propositionem; dicitur autem oratio, in quantum in se est composita ex suis partibus.

3 Oratio autem dividitur primo in perfectam, & imperfectam. Oratio perfecta est, quæ perfectum sensum generat in animo audientis, ut *homo est animal*.

Oratio imperfecta est, quæ non generat perfectum sensum in animo audientis, sed ipsum relinquit suspensum, & inquietum. V. g. hæc: *si Petrus currit*, & hæc *Petrus disputans*.

4 Secundo dividitur oratio in propositionem, & non propositionem. Propositio est *enuntiatio unius de alio*. Nō propositio est in qua *unum de alio non enuntiatur*. Sed de his agemus infra, ubi naturā, & proprietates propositionis declarabimus. Tertio dividitur propositio in modū sciendi, & non modum sciendi, de quibus sequentem excitamus questionem.

QVÆSTIO. II.

Quid, & quotuplex sit modus sciendi?

Modus Sciendi sic cōmuniter definitur: *est oratio ignoti manifestativa*. Ly oratio ponitur loco generis, quia per illam particulam convenit modus sciendi cum alijs orationibus, quæ non sunt modus sciendi, ut propositio. Per alteram particulam, scilicet *ignoti manifestativa*, quæ ponitur loco differentię, differt ab illis orationibus, quæ modus sciendi non sunt. Et denotatur modum sciendi ex vi proprij artificij debere manifestare ignotum, hoc est, illud explicando. Pro cuius intelligentia.

2 Argues: aliqua datur oratio ignotum manifestans, quæ non est modus sciendi; ergo ma' e de-

finitur modus sciendi per hoc quod sit oratio ignoti manifestativa. Antecedens probatur: hæc propositio: *Pontifex obiit* manifestat ignotum; & tamen non est modus sciendi: ergo aliqua oratio ignotum manifestans non est modus sciendi.

3 Respondeo negando antecedens. Ad cuius probationem distinguo maiorem: manifestat ignotum narrative, & significative, concedo maiorem, explicando, & ex vi proprij artificij, & formæ, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam, sive illam distinguo eodem modo. Itaque manifestare ignotum stat dupliciter, scilicet significando, & explicando. Manifestare significando est quocumque modo notificare alteri rem illi ignotam. Manifestare explicando est rem confusē significatam per vnum terminum per alios clarius exponere extrahendo, sive evolviendo, quod intus latebat in visceribus obiecti. Ex quo infertur prædictam propositionem non esse modum sciendi, quia licet manifestet ignotum significando, aut narrando, non tamen manifestat ignotum illud explicando.

Dividitur modus sciendi?

4 **M**odus Sciendi dividitur in definitionem, divisionem, & argumentationem quarum naturam in posterioribus

ribus explicabimus. Nunc autem breviter probatur praedictam divisionem esse adaequatam: quia modus sciendi est id, quo manifestatur quod intus latebat in obiecto; sed per definitionem, divisionem, & argumentationem manifestantur omnia, quae intus latent in quolibet obiecto: ergo modi sciendi praecise sunt tres, scilicet definitio, divisio, & argumentatio. Maior est certa, & minor probatur: quia quod intus latet in obiecto, vel est illius essentia, & haec explicatur per definitionem, vel illius partes, & haec explicantur per divisionem, vel sunt eius proprietates, & illae demonstrantur per argumentationem: ergo quidquid latet in quolibet obiecto explicatur per definitionem, divisionem, & argumentationem.

QVÆSTIO III.

Quid, & quotuplex sit definitio?

DEFINITIO Est oratio explicans essentiam rei. Ly oratio ponitur loco generis, quia per illam convenit definitio cum divisione, argumentatione, & alijs. Ly explicans essentiam rei ponitur loco differentiae, per quam secernitur ab alijs, & excluditur a ratione definitionis definitio nominis, quia vere non explicat essentiam rei, sed etymologiam, & significationem vocis: v. g. album est vox significans ha-

bentem albedinem, unde non est simpliciter definitio.

2. Ut definitio sit bona tres communiter assignantur leges. Prima est, quod constet genere, & differentia. Genus pro nunc est ratio communis, in qua definitum convenit cum alijs a se distinctis. Differentia est ratio specialis, per quam definitum differt ab alijs sub eodem genere contentis. Totum hoc patet in hac definitione hominis *animal rationale*, in qua ly *animal* est genus, quia est ratio communis, in qua homo convenit cum alijs a se distinctis, scilicet cum brutis. Ly *rationale* est differentia, quia per illud differt homo ab alijs sub eodem genere animalis contentis, scilicet, a brutis. Et quidem definitionem debere constare genere & differentia, sic probatur: quia definitio debet explicare essentiam rei; sed essentia rei semper constat duplici ratione, quatum una est alijs communis, ac proinde genus; & alia est ab illis distincta, ac per consequens differentia: ergo definitio debet explicare definitum per genus, & differentiam.

3. Secunda lex bonae definitionis est, quod sit clarior suo definito. Et patet: quia definitio est explicatio definiti; sed omnis explicatio debet esse clarior re explicata: ergo omnis definitio debet esse clarior definito. Ex quo inferitur definitum non

debere ingredi in definitione, quia iam definitio esset æque obscura, ac definitum; unde hæc est mala definitio: homo est *animal rationale quod est homo*.

4 Tertia lex bonæ definitionis est quod non sit redundans, nec diminuta: hæc est, quod ita adæquetur cum definito, quod nec excedat illud, nec excedatur ab illo. Unde hæc definitio est mala: *homo est animal rationale albu*, quia *ly albu* superfluit; & hæc etiam est mala: *homo est animal bipes*, quia per *ly bipes* non explicatur sufficienter essentia hominis. Ex hac lege inferitur alia, videlicet, definitionem esse mutuo convertibilem cum suo definito, hoc est, quod à definito ad definitionem, & e contra, sit bona consequentia, v. g. est *homo*: ergo est *animal rationale*: est *animal rationale*: ergo est *homo*.

Dividitur definitio.

1 **P**RIMO Dividitur definitio in essentialem, & descriptivam. Essentialis est, quæ datur per partes essentielles, vt *animal rationale*. Descriptiva est, quæ datur per proprietates, v. g. *homo est animal risibile, politicum, & disciplinabile*.

6 Rursus definitio essentialis subdividitur in physicam, & metaphysicam. Physica est, quæ datur per partes essentielles phy-

ma, v. g. *homo est compositum ex corpore, & anima*. Metaphysica est, quæ datur per partes essentielles metaphysicas, quales sunt genus, & differentia, v. g. *homo est animal rationale*.

7 Rursus definitio essentialis subdividitur in definitionem quidditativam simpliciter, & quidditativam per additamentum. Quidditativa simpliciter est, in qua nihil ponitur quod sit extra essentiam definiti, v. g. *animal rationale*. Quidditativa per additamentum est in qua ponitur aliquid, quod est extra essentiam definiti: v. g. cum definitur *album est corpus disgregativum visus*, quia *ly corpus* est extra esse etiam albi; & hoc modo definitur quodlibet concretum accidentale.

8 Definitum etiam, quod est correlativum definitionis, est duplex, scilicet, immediatum, sive proximum, & mediatum, aut remotum. Immediatum est quod primo per se, & immediatè definitur. Remotum est quod ratione alterius definitur: v. g. in hac definitione, *homo est animal rationale*, homo in communi est quod immediatè, & proximè definitur; individua vero, vt *Petrus, & Paulus*, mediatè tantum, & remote definiuntur.

9 Sed contra definitionem definitionis obijcies; si prædicta definitio esset bona, per illam definiretur omnis definitio; sed per illam definitionem nequit defini omnis definitio: ergo nequid esse bona. Maior patet;

patet; sicut enim definitio hominis est definitio cuiuslibet hominis, ita definitio definitionis debet definire omnem definitionem. Minor vero probatur: quia una ex definitionibus est ipsamet; sed ipsa nequit definire se ipsam: ergo per illam nequit defini omnis definitio. Minor patet: quia definitum nequit ingredi in definitionem; sed si ipsa definiret se ipsam, ipsa esset simul definitio & definitum, ac per consequens definitum intraret in definitionem: ergo ipsa nequit definire se ipsam.

10 Confirmatur: ipsa definitio nequit esse clarior semetipsa; sed si se ipsam definiret esset clarior semetipsa: ergo nequit semetipsam definire. Minor probatur: quia si se ipsam definiret esset simul definitio, & definitum; sed definitio est clarior definito: ergo esset clarior semetipsa.

11 Respondeo concessa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem, concessa maiori, distinguo minorem ipsa nequit definire se ipsam sub ratione particulati talis definitionis, concedo minorem; sub ratione communi definitionis ut sic, nego minorem. Ad cuius probationem concessa maiori distinguo minorem: esset simul definitum & definitio, sub eadem consideratione, nego minorem; sub diversa consideratione, concedo minorem. & nego quod definitum ingrediatur in definitionem. Itaque per defini-

tionem definitionis primo, & immediate definitur definitio incommuni; cum autem definitio definitionis sit quaedam particularis definitio contenta sub definitione ut sic, inde est, quod ipsa etiam saltem remote, & mediate prout contenta sub definitione in communi per se ipsam definiatur. Sicut cum definitur oratio, ipsa etiam definitio orationis, saltem mediate, & remote definitur, cum sit quaedam oratio contenta sub oratione in communi. Et cum intellectus cognoscit ens, per eandem cognitionem cognoscit ipsammet, quatenus contentam sub ratione universalissima entis.

12 Ex quo minime sequitur definitum ingredi in definitionem; quia definitio tantum obtinet rationem definitionis, quatenus exprimitur per has voces: *Oratio explicans essentiam rei*; at vero rationem definiti obtinet, quatenus repræsentatur per hanc vocem *definitio*; cum ergo hoc modo non ingrediatur definitionem, in se est quod definitum non ingreditur in definitionem.

13 Ad confirmationem distinguo maiorem: ipsa definitio nequit esse clarior se ipsa, sub eadem consideratione, concedo maiorem; sub diversis considerationibus, nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; & ad cetera respondebis eadem distinctione. Itaque est definitio sub

his vocibus, & conceptibus oratio explicans essentiam rei; est autem definitum sub hac voce, & conceptu definitio; cum autem sub illis vocibus, & conceptibus sit clarior se ipsa sub hac voce, & conceptu definitio, in hocque nullum appareat inconveniens, inde est, quod optime potest definire se ipsam, licet sub diversis considerationibus.

QUESTIO. IV.

Quid, & quotuplex sit divisio?

Divisio communiter, & optime definitur: est oratio totum in suas partes distribuens. Divisio itaque explicat, & manifestat rem confusam illam in suas partes distribuendo. Dividitur autem primo in divisionem per se, & divisionem per accidens. Divisio per se est: *Quae distribuit totum in partes, quae per se continentur in diviso, vel sub diviso*: v. g. quando animal dividitur in rationale, & irrationale. Divisio per accidens est, *quae totum distribuit in partes, quae accidentaliter conveniunt diviso*: vt animal in album, & nigrum. Hæc autem divisio per accidens est triplex. Alia est divisio subiecti in accidentia, vt animal in album, & nigrum: alia accidentis in subiecta: v. g. quando album dividitur in nivem, & lanam: alia est divisio accidentis in accidentia: v. g. quando album dividitur in amarum, & dulce.

2 Secundo: divisio per se alia est integralis, alia potestativa, & alia essentialis. Divisio integralis est, *quae totum distribuit in suas partes integrantes, vt hominis alia pars manus, alia caput, alia pes, &c.* Divisio potestativa est, *quae totum in suas potentias distribuit*: v. g. hominis alia potentia sunt sensitiva, alia rationales. Divisio essentialis est, *quae totum in suas partes essentielles distribuit.* Et est duplex, alia physica, & metaphysica alia. Physica est, *quae datur per partes essentielles físicas, quales sunt materia, & forma.* Metaphysica est, *quae datur per partes essentielles metaphysicas, quales sunt genus & differentia*: & hæc est duplex, alia actualis, potentialis alia. Actualis est, *quae datur per partes actu constituentes, vt hominis aliud predicatum animal, aliud rationale.* Potentialis est, *quae datur per inferiora contenta subdiviso, vt animal, aliud homo, aliud equus.*

3 Leges autem bonæ divisionis tres communiter assignantur. Prima est, quod singula membra dividenda sint inferiora diviso: hoc est, quod nullum membrum dividens adæquet divisum, sed quodlibet illorum ad minus se extendat, ac divisum: v. g. hæc est mala divisio: *Animal. Aliud sensibile, aliud rationale*; quia ly sensibile tantum se extendit quantum animal. Secunda lex bonæ divisionis est quod membra dividenda simul sumpta

ta adæquent totum divitum, si-
ve quod idem est, quod nihil
contineatur sub diviso quod
non contineatur sub aliquo ex
membris dividendis. Tertia
lex bonæ divisionis est, quod
membra dividenda inter se di-
stinguantur, saltem secundum
diversas rationes formales.

4 Quarto, ex his legibus in-
fertur primo; à toto diviso ad
totam divisionem, & è contra,
esse bonam consequentiam, si-
ve affirmative, si-ve negative: v. g.
*Est animal: ergò rationale, vel ir-
rationale: est rationale, vel irra-
tionale: ergò animal.* Infertur se-
cundo, à divisione cum nega-
tione unius partis ad positionem
alterius quod restat, esse bonam
consequentiam: v. g. *Est rationa-
le, vel irrationale, & non est ratio-
nale: Ergò irrationale.* Tertio in-
fertur, quod est bona cõsequen-
tia à quolibet membro dividen-
ti ad divisum affirmative; v. g.
Est rationale: ergò animal; non ta-
mèn negative, quia non valet:
*Non est rationale: ergò non est ani-
mal.* Denique à diviso ad quod-
libet membrum dividens nega-
tive valet consequentia, v. g. *Non
est animal: ergò non est rationale:*
secus autè affirmative, quia non
valet: *est animal: ergò rationale.*

QVÆSTIO. V.

Quid, & quotuplex sit argumen-
tatio.

1 **A**rgumentatio sic recte
definitur: est oratio, in
qua uno dato aliud sequitur. Ly

oratio ponitur loco generis, quia
per illam convenit argumenta-
tio cum cæteris instrumentis
sciendi, & cum oratione enun-
tiativa. Ly in qua uno dato aliud
sequitur, ponitur loco differen-
tiæ. Et denotatur quod argu-
mentum debet constare tribus,
scilicet, antecedenti, consequen-
ti, & nota illationis. Antecedens
est illa oratio, ex qua aliquid in-
fertur; quæ vocatur antecedens,
quia anteponitur ad notam il-
lationis. Nota illationis est illa
particula *ergò*; vel *igitur*, quæ
denotat unum inferri ex alio.
Consequens autem dicitur
illa oratio, quæ infertur ex
antecedenti, & subsequitur ad
notam illationis. Totum hoc
patet in hoc discursu: *homo est
rationalis: ergò est risibilis*, ubi il-
la oratio *homo est rationalis* est
antecedens; illa particula *ergò*
est nota illationis; & illa oratio
homo est risibilis est consequens.

2 Dividitur argumentatio
in syllogismum, enthymemam,
exemplum, & inductionem. Syl-
logismus est, qui constat tribus
propositionibus, quarum prima
vocatur maior, secunda minor,
tertia consequens, v. g. *Omnis
homo est rationalis; Petrus est ho-
mo: ergò Petrus est rationalis.* En-
thymema est argumetatio con-
stans duabus propositionibus,
quarum prima dicitur antece-
dens, secunda consequens, v. g.
Petrus currit: ergò movetur.
Inductio est argumentatio à
singularibus ad propositionem

universalem, ut *hic ignis comburitur, & hic ignis comburitur, &c.* Ergo omnis ignis comburitur. Exemplum est argumentatio in qua ex vno singulari arguitur ad aliud simile: v. g. *Deus pepercit Magdalene pœnitenti: ergo parcat mihi si pœnitentiam egero.* Hæc sufficiant dicta de argumentatione, de illa enim postea in tertio libro Summularum redibit sermo.

QVÆSTIO. VI.

Quid, & quotuplex sit propositio?

DVPLICITER Solet definiti propositio, scilicet definitione essentiali, & definitione descriptiva. Definitur essentialiter hoc modo: *Propositio est oratio enuntiativa unius de alio.* Ly oratio ponitur loco generis, quia per illam particulam convenit propositio cum orationibus imperfectis, quæ propositiones non sunt. Ly enuntiativa unius de alio ponitur loco differentiae, quia per illud differt ab omni oratione, quæ propositio non est; & denotatur propositionem significare, non utcumque, sed iudicando, sententiando, & narrando unum de alio, unde debet habere subiectum, prædicatum, & copulam. Subiectum est illud de quo aliquid enuntiatur, aut dicitur. Prædicatur est illud, quod dicitur de

subiecto. Copula est verbum in medio quo unum dicitur de alio: v. g. in hac propositione: *Petrus est homo*, ly *Petrus* est subiectum: *homo*, prædicatum; & ly *est* copula.

2. Alio modo definitur ab Arist. propositio, videlicet in hunc modum: *Est oratio, in qua verum, vel falsum est, sive verum, vel falsum significans.* Pro cuius intelligentia nota, quod significare verum, vel falsum stat dupliciter, scilicet, signate, & exercite. Significare verum, aut falsum signate, est, quod ipsa veritas, aut falsitas sit obiectum directè significatum; unde hæc vox *verum*, *veritas*, & hæc *falsum*, aut *falsitas*, significant verum, & falsum signate. Significare verum exercite est significare rem esse quod est, vel rem non esse quod revera non est. Significare autem falsum exercite, est significare rem esse quod non est, sive rem non esse quod est. Totum hoc patet in his propositionibus: *Homo est rationalis, homo non est equus; homo est equus, homo non est rationalis.* Cum ergo dicitur in definitione propositionis significare verum vel falsum, intelligi debet hoc secundo modo, scilicet exercite, non autem signate; quia hæc sola vox *verum* signate repræsentat verum, quin sit propositio.

3. Sed contra definitionem Arist. obijcies primo: definitio nequit tradi per oppositas; sed hæc definitio traditur per oppo-

opposita: ergò non est bona. Minor patet, quia traditur per verum, & falsum, quæ ab idubio sunt opposita. Maior etiam patet, quia definitio debet tradi per prædicata, quæ constituent essentiam, aut passionem determinatam; sed ex oppositis nulla constituitur essentia determinata: ergò definitio nequit tradi per opposita. Respondeo, distinguendo maiorem: definitio nequit tradi per opposita copulativè, aut disiunctivè, concedo maiorem: per opposita disiunctivè, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Ad probationem maioris dico, quod tunc definitio traditur per opposita copulativè, quando traditur per opposita, ut simul coniuncta in vnam essentiam: & hoc pacto fatemur, quod definitio nequit tradi per opposita; quia essentia, aut passio rei non potest constare ex oppositis coniunctis, aliàs esset essentia chimerica. Tunc autem definitio traditur per opposita disiunctivè, quando non traditur per aliquid, dicens ordinem, aut capacitatem ad opposita, sed immediate per vnum vel aliud oppositum; & hoc pacto fatemur etiam definitionem non posse tradi per opposita, quia alias non traderetur per essentiam, aut passionem aliquam determinatam, & certam, sed vaga, & incerta maneret passio, vel essentia rei, & consequenter res

non maneret definita. Tunc demum res definitur per opposita disiunctivè, quando immediate definitur per capacitatem indifferentem ad opposita; & hoc pacto bene potest propositio defini per opposita, scilicet per capacitatem ad verum, & falsum; quia licet ex vero, & falso nulla resultet essentia determinata, capacitas tamen indifferens ad verum, & falsum, est passio determinata propositionis. Unde quando definitur propositio: *in qua verum, vel falsum est*, intelligendum est disiunctivè, hoc est, *in qua est, capacitas ad verum, & falsum.*

4 Sed dices: animal nequit defini per rationale, vel irrationale: ergò nec propositio. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia in animali capacitas ad rationale, vel irrationale, nec est essentia eius, nec passio illius, sed est accidens rationis consequens abstractionem animalis à differentijs; & cum res non possit defini per accidens, sed solum per essentiam, aut passionem determinatam, idè nequit defini animal per capacitatem ad rationale, vel irrationale, quod est defini per illa disiunctivè; atamen capacitas ad verum, vel falsum est passio determinata propositionis, & idè per talem capacitatem, sive quod idem est, per verum, & falsum disiunctivè potest defini propositio.

Sed

5 Sed utgebis : propositio nequit definiiri per capacitatem veritatis, aut falsitatis : ergo nequit definiiri per verum, vel falsum disiunctim. Antecedens probatur : aliqua datur propositio, quæ non est capax falsitatis, ut est hæc, *Homo est rationalis* : sed si definiiretur propositio per talem capacitatem, omnis propositio esset capax veritatis, & falsitatis : ergo. Respondeo negando antecedens. Ad eius probationem, distinguo maiorem : aliqua propositio non est capax falsitatis ratione formæ, nego maiorem ; ratione materiæ, concedo maiorem : & distincta minori eodem modo, nego consequentiam ; quia omnis propositio ratione formæ, quæ consistit in enuntiare unum de alio, est capax falsitatis, licet aliàs ratione obiecti enuntiatum, sive ratione materiæ aliqua possit esse necessario vera.

Dividitur propositio.

6 **PRIMO** Dividitur propositio in affirmativam, & negativam. Affirmativa est, in qua prædicatum affirmatur de subiecto, ut *homo est animal*. Negativa est, in qua prædicatum negatur de subiecto, ut *homo non est lapis*. Aliæ propositiones dicuntur mixtæ qualitatis, & sunt illæ, quæ partim sunt negativæ, partimque affirmativæ, v.g. *Homo currit, & non loquitur*.

7 Rursus dividitur propositio in categoricam, & hypotheticam, sive, quod idem est, in simplicem, & coniunctam. Categorica est, quæ constat subiecto, copula, & prædicato, tanquam ex partibus principalibus sui, ut *homo est albus*. Propositio hypothetica est, quæ componitur ex duplici propositione categorica, tanquam ex partibus principalibus sui, ut *homo disputat, & ille loquitur*. Unde in hoc distinguitur categorica ab hypothetica, quod categorica constat immediate subiecto, & prædicato unitis per verbum tanquam per copulam ; at vero hypothetica, licet mediatè, etiam constat subiecto, & prædicato, tamen immediate componitur ex propositionibus unitis mediante aliqua coniunctione, aut particula disiunctiva, non autem mediante verbo.

8 Propositio categorica dividitur in propositionem de secundo adiacente, & in propositionem de tertio adiacentem. De secundo adiacente dicitur illa, in qua verbum habet simul rationem verbi, sive copulae, & prædicati, v.g. *Petrus disputat*, ubi *ly* disputat tantum valet, ac est *disputans*. De tertio adiacente dicitur illa, in qua prædicatum expresse distinguitur à copula, seu à verbo, v.g. *Petrus est doctus*.

9 Dividitur etiam propositio ratione quantitatis, in universalem, & particularem.

indefinitam, & singularem. Universalis est, cuius subiectum est terminus communis signo universali affectus. Signum universale, est quod facit terminum accipi pro omnibus contentis sub illo, ut *omnis, nullus, quilibet, &c* Exempli gratia: *omnis homo est animal*. Propositio particularis est, cuius subiectum est terminus communis signo particulari affectus. Signum autem particulare est, quod facit terminum accipi pro aliquo contento sub illo, non designando quoniam ille sit, ut *aliquis, quidam, v.g. Aliquis homo currit*.

10 Propositio indefinita est, cuius subiectum est terminus communis nullo signo affectus, v.g. *Homo disputat*. Vbi nota propositionem indefinitam, si sit in materia necessaria æquivalere universali; si autem in materia contingenti, æquivalere particulari. Unde materia propositionis est triplex, necessaria, impossibilis, & contingens. Materia necessaria est, in qua prædicatum omnino necessario convenit subiecto, ita ut ab illo nequeat separari, v.g. *Homo est animal*. Materia impossibilis, sive repugnans est, in qua prædicatum ita repugnat subiecto, ut illi non possit ullatenus convenire, ut *homo est equus*. Materia contingens datur, quando prædicatum potest convenire, & non convenire subiecto præter subiecti corruptionem, ut *homo est albus*; quæ propositio cum

sit indefinita, & in materia contingenti, æquivaleret huic particulari: *Aliquis homo est albus*; illa vero *homo est animal* æquivaleret huic universali: *omnis homo est animal*, quia est in materia necessaria. Ex quo ulterius dividitur propositio in necessariam, impossibilem, & contingentem. Necessaria est, quæ semper, & necessario est vera, ut, *homo est animal*. Impossibilis est, quæ nunquam potest esse vera, ut, *homo est lapis*. Contingens est, quæ potest esse vera, & potest esse falsa, v.g. *homo currit*.

QUESTIO. VII.

Quas, & quales proprietates habeant termini intra propositionem?

1 PROPRIETATES Propositionis ad duo genere spectant; nam alia sunt proprietates, quæ consequuntur terminos intra propositionem, & alia consequuntur ad integram propositionem. Questio ergo præsens est de primis proprietatibus: & in primis;

De suppositione.

2 SUPPOSITIO Ergo est, acceptio termini pro aliquo, de quo verificatur. Et acceptio termini ponitur loco generis, quia in eo convenit cum significatiene, quæ etiam est acceptio termini pro

pro aliquo. *Ly de quo verificatur* ponitur loco differentie, quia significatio non petit quod terminus verificetur de illo pro quo accipitur. Vbi nota quod non est idem verificari propositionem, & verificari terminum; quia verificari terminum est eius significatum existere pro tempore indicato per copulam; unde terminus verificabitur in propositione de presenti, si eius significatum detur de presenti, & etiam verificabitur in propositione de futuro, si terminus existat in tempore futuro, & ita similiter in propositione de preterito. Ad vero propositionem verificari non consistit in hoc, sed in eo quod representet rem significati est. Unde haec propositio: *Antichristus non peccabit*, non verificatur, etiam termini, scilicet, *Antichristus*, & *peccatum* verificantur, quia existunt in tempore futuro significato per copulam.

3 Dividitur autem suppositio primo in materialem, & formalem. Suppositio materialis est, *acceptio termini pro se ipso, non autem pro suo significato*. ut in hac propositione: *homo est vox* *ly homo* supponit materialiter, quia accipitur pro se ipso, sive pro ipsa voce, non autem pro suo significato, quia alias esset falsa, cum eius significatum, scilicet homo, non sit vox. Cognoscitur autem aliquem terminum supponere materialiter primo, cum vox non est significati-
va, v.g. Blisiri est trisyllabum. Se-

cundo, cum predicatum solum convenit ipsi voci, non autem rei significatae per illam, ut *homo componit propositionem vocalem.*

4 Suppositio formalis est, *acceptio termini pro suo significato*, v.g. *Petrus est homo*. Et haec est duplex, alia propria, impropria alia. Propria est *acceptio termini pro eo quod proprie significat*, ut *Leo rugit*, ubi *ly Leo* accipitur pro vero, & proprio Leone. Suppositio impropria est, *acceptio termini pro suo significato improprio, & metaphorphico, quod significat ratione alicuius proportionis*. Ut in hac propositione. *Vicit Leo de tribu Iuda*, ubi *ly Leo* non accipitur pro vero, & proprio Leone, sed pro Christo Domino, qui tantum improprie, & per similitudinem, aut proportionem dicitur Leo.

5 Rursus suppositio formalis dividitur in simplicem, & personalem. Suppositio simplex est, *acceptio termini pro suo significato in communi precise, non autem pro individuo*, v.g. in hac propositione: *homo est species*, *ly homo* accipitur pro homine in communi, sive pro ratione communi hominis, non autem pro hominibus in particulari, sive pro individuo, quia nullus homo in particulari est species. Suppositio autem personalis est, *acceptio termini pro suo significato, non solum in communi, sed etiam in particulari*, v.g. in hac propositione: *homo est rationalis*, ubi *ly homo* accipitur non solum
 pro

pro homine in communi, sed etiam pro quolibet homine in particulari. Cognosces autem terminum supponere simpliciter cum nequit fieri descensus ad particularia, ut in illa propositione: *homo est species*; ly *homo* supponit simpliciter, quia non potest fieri descensus in hunc modum: *ergo hic homo est species, aut hic homo, aut ille, &c.* Cognosces autem supponere personaliter, cum possit fieri descensus predictus; unde in hac propositione: *homo est rationalis*, ly *homo* supponit personaliter, quia potest fieri descensus hoc modo: *ergo ille, aut ille homo est rationalis, &c.*

6 Suppositio vero personalis dividitur in naturalem, & accidentalem. Naturalis est acceptio termini pro omnibus suis significatis, ut ly *homo* in hac propositione: *homo est animal*, ubi accipitur pro omni homine. Suppositio accidentalis est acceptio termini pro suis significatis existentibus tempore significato per copulam, ut in hac propositione *homo est albus*, ly *homo*, & ly *albus* solum sumuntur pro hominibus, & albis de presenti existentibus. Unde in omni propositione necessaria, & æternæ veritatis termini supponunt naturaliter in propositione; in propositione vero contingenti termini supponunt accidentaliter.

7 Rursus suppositio personalis dividitur in communem, & singularem. Suppositio com-

munis est, acceptio termini communis, ut in hac propositione: *homo est animal*, ly *homo* supponit communiter. Suppositio singularis est acceptio termini singularis. Vbi nota pro termino singulari etiam intelligi terminum communem affectum pro nomine demonstrativo; unde in hac propositione: *hic homo est albus*, ly *homo* supponit singulariter, sicut in hac: *Petrus est albus.*

8 Suppositio communis ulterius dividitur in determinatam, & confusam. Suppositio determinata est acceptio termini communis, nullo signo, aut signo particulari affecti, ut ly *homo* in his propositionibus: *homo currit*; *aliquis homo currit*. Confusa est acceptio termini communis, signo universalis, aut signo specialis confusionis affecti, ut in his propositionibus: *omnis homo est animal*, & *promitto tibi librum*, ly *homo*, ly *animal*, & ly *librum* supponunt confuse. Vbi nota quod signum specialis confusionis est illud, quod denotat ordinem ad terminum communem vage, ita ut in nullo particulari possit verificari, v. g. ly *requiritur*, *promitto*, & alia huiusmodi; unde in hac propositione: *requiritur oculus ad videndum*, de nullo oculo verificatur quod requiratur, quia nec dexter requiritur, nec sinister.

9 Suppositio confusa alia est confusa distributiva, alia confusa tantum. Confusa distri-

negativa est acceptio termini communis affecti immediate signo universalis affirmativo, sive mediate, aut immediate signo universalis negativo. Unde hanc regulam semper tene, quod in propositione universalis affirmativa subiectum supponit distributive; in propositione vero universalis negativa subiectum, & etiam predicatum, quod saltem mediate afficitur signo universalis negativo. Totum hoc patet in his duabus propositionibus: *omnis homo est animal; nullus homo est lapis*, in quarum prima *ly homo*, & in secunda tam *homo* quam *lapis* supponunt distributive. Suppositio confusa tantum est acceptio termini affecti mediate signo universalis affirmativo, vel signo specialis confusionis. Unde predicatum in propositione universalis affirmativa semper supponit confuse tantum, & etiam quilibet terminus communis, si afficitur signo specialis confusionis. Totum hoc patet in his propositionibus: *omnis homo est animal; requiritur oculus ad videndum*, in quibus *ly animal*, & *ly oculus* supponunt confuse tantum.

10 Suppositio confusa tantum ultimo dividitur in confusam collectivam, aut copulatam, & in confusam disiunctam. Copulata est acceptio termini pro suis significatis collectivis, ut in hac propositione: *omnes Apostoli sunt duodecim*, *ly Apostoli*. Confusa disiuncta est ac-

ceptio termini pro suis significatis vage, ut in hac propositione: *requiritur oculus ad videndum*, *ly oculus* supponit confuse disiunctim.

11 Suppositio distributiva dividitur etiam in distributivam completam, & distributivam incompletam. Distributiva completa est, acceptio termini communis pro singulis generum, ut in hac propositione: *Omne animal est sensibile*, *ly animal* supponit distributive complete, quia accipitur non solum pro omni genere animalis, sed etiam pro singulis, & omnibus individuis cuiuslibet generis animalis. Distributiva incompleta est, acceptio termini pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum, ut in hac propositione: *Omne animal fuit in arca Noe*, in qua sensus non est, quod cuiuslibet generis animalis; omne animal fuit in arca Noe, sed quod cuiuslibet generis animalis aliquod animal fuit in arca Noe.

12 Ex omnibus explicatis suppositionibus quatuor sunt precipue, quarum intelligentia est maxime necessaria bono dialectico, scilicet, suppositio determinata, suppositio distributiva, suppositio collectiva, seu copulata, & suppositio disiuncta. Propter quod quatuor statuuntur regulæ, ut clare possit cognosci quomodo terminus supponat in propositione.

13 Prima ergo regula est:

tunc terminus communis supponit determinatè, quando supponit pro aliquo singulari determinato, ita ut de illo possit verificari propositio, licet in ea non determinetur quodnam sit illud individuū, v.g. *aliquis homo currit*, ly *homo* supponit determinatè; quia supponit pro aliquo homine determinato, de quo sit verum dicere quod currit, non tamen determinat quisnam ille sit.

14 Secunda regula est: Tunc terminus communis supponit distributive, cum supponit pro omnibus, & singulis singularibus sub illo contentis, ita ut de omnibus, & singulis possit verificari propositio: ut in ista propositione: *omnis homo est animal*, ubi ly *homo* supponit pro omnibus, & singulis hominibus, ita ut de quolibet, & de omnibus possit verificari animal.

15 Tertia regula est: Tunc terminus communis supponit copulativam, seu collectivam, quando accipitur pro omnibus, singularibus simul sumptis, ita ut de singulis nequeat verificari; unde in hac propositione: *omnes Apostoli sunt duodecim*, ly *Apostoli* supponit copulativam quia supponit pro omnibus Apostolis simul sumptis, ita ut de singulis non possit verificari quod sunt duodecim.

16 Quarta regula est: Tunc aliquis terminus supponit disiunctivam, quando accipitur pro singularibus vage, ita ut in nullo determinatè sumpto possit veri-

ficari propositio: Unde in hac propositione: *Aliquis oculus est necessarius ad videndum*, ly *oculus* supponit disiunctivam, ob præfatam rationem.

De ampliacione, & restrictione.

17 **A**MPLIATIO Est: Extensio termini à minori ad maiorem suppositionem. Restrictio autem est, coarctatio termini à maiori ad minorem suppositionem. Unde tunc terminus ampliatur, quando pro pluribus accipitur; tunc autem restringitur, cum accipitur pro paucioribus, v.g. in hac propositione *homo disputat*, ly *homo* ampliatur; in ista vero: *homo doctus disputat*, ly *homo* restringitur; quia in prima accipitur pro pluribus, quam in secunda.

18 Ampliatio sicut, & restrictio dividitur in ampliacione quoad tempora, & ampliacione quoad significata. Tunc terminus ampliatur quoad significata, quando accipitur pro pluribus significatis ut *homo*, v.g. accipitur pro pluribus, quia *homo iustus*: Ampliatio quoad tempora accidit quando verbum accipitur in ordine ad plures differentias temporis, non inquam in ordine ad plures differentias temporis copulativam, sed in ordine ad plures differentias temporis disiunctivam. Unde in hac propositione: *homo disputat, & disputabit*, ly *homo* restringitur; & in hac: *homo disputat, vel disputabit*, amplia-

pliatur; quia in prima supponit pro hominibus, qui sunt, & erunt; in secunda vero pro hominibus, qui sunt, vel fuerunt; & plures sunt, qui sunt, vel fuerunt, quia qui sunt, & erunt; unde in prima supponit pro paucioribus, & in secunda pro pluribus.

19 Pro cuius intelligentia nota, differentias temporis inter logicos esse quinque, scilicet, praesens, praeteritum, futurum, possibile, & imaginarium. Terminus autem, sicut res naturalis, habet suum statum, quem si excedat, ampliatur, & si ad illum non pertingat, restringitur. Habet igitur terminus suum statum cum pro solis praesentibus accipitur, ut in ista propositione: *homo disputat*. Ampliatur autem cum pro pluribus quam praesentibus sumitur, ut in hac propositione: *homo disputat, vel disputabit*, in qua *homo* accipitur pro hominibus praesentibus, vel futuris vage, qui plures sunt, quam praesentes determinate. Restringitur terminus quando non accipitur pro omnibus praesentibus, sed pro aliquibus tantum, ut in hac propositione: *homo disputat, & disputabit*, in qua *ly homo* non accipitur pro omnibus praesentibus, sed pro solis illis praesentibus, qui erunt, nam de solis istis verificari potest, quod disputant, & disputabunt.

20 Ad cognoscendum, quando terminus ampliatur, tres assignantur regulae. Prima est:

terminus connotativus, qui praecedit verbum in propositionibus de futuro, ampliatur quoad significatum formale ad praesens, vel futurum; in propositionibus autem de praeterito ampliatur ad praesens, vel praeteritum; in propositionibus autem de praesenti habet suum statum, & accipitur pro solis praesentibus. Totum hoc patet in his tribus propositionibus: *peccator erit iustus: peccator fuit iustus: peccator est iustus*, in quarum prima *ly peccator* accipitur pro eo, qui est, vel erit peccator, & in secunda pro eo, qui est, vel fuit peccator, in tertia vero determinate pro eo, qui de praesenti est peccator. Vbi nota quod in omnibus dictis propositionibus praedicatum coarctatur ad tempus significatum per verbum; unde *ly iustus* in prima supponit pro iusto, qui erit: & in secunda pro iusto, qui fuit: in tertia vero pro iusto, qui est: & ideo tertia semper est falsa; quia *ly peccator* supponit pro peccatore, qui est, & *ly iustus* etiam pro iusto, qui est, & nemo potest de praesenti esse simul iustus, & peccator.

21 Secunda regula: verba, quae significant inceptionem, ampliant rem, quae incipit, ad id quod est, vel erit, v.g. *Petrus edificat domum* ubi *ly domus* accipitur pro domo, quae est, vel erit. Verba autem quae significant decisionem rei ampliant rem quae deficit, seu destruitur, ad id quod est, vel fuit; ut in ista pro-

posicione: *Petrus destruit domum*,
ly *domus* accipitur pro *domo*,
quæ est, vel fuit.

22 Tertia regula: in pro-
posicionibus necessarijs, & eter-
næ veritatis, & in propolicio-
nibus significantibus possibilita-
tem rei, ampliatur omnes ter-
mini vsque ad possibilia, v. g. in
istis propositionib⁹. *homo est ra-
tionalis: possibilis est homo*, ly *ho-
mo* accipitur etiã pro possibilib⁹.

23 Quarta regula: ly *ima-
ginario*, & verba significantia
actum animæ interiorem am-
pliant omnes terminos vsquẽ
ad imaginabilia, vt patet in his
proposicionibus: *Hircocervus
imaginario currit*; vbi ly *Hirco-
cervus* accipitur pro imagina-
bili; & in hac: *intelligo montem
aureum*, ly *mons aureus* amplia-
tur ad imaginabilem, quia ly
intelligo significat actum animæ
interiorem.

24 Pro formãdis consequen-
tij, in ampliacione dux tradun-
tur regulæ. Prima est: *Ab amplo
ad non amplum cum distri-
utione ampli, possita constantia non ampli,
affirmative valet consequentia. ne-
gative etiam sine constantia; sine
distributione vero, nec affirmati-
ue, nec negative; ponere constan-
tiam est affirmare de termino
quod est. Totum hoc patet; nam
hæc est bona consequentia: Om-
nis homo disputat; & homo doctus
est: ergo homo doctus disputat. Hæc
etiam est bona consequentia:
Nullus homo disputat: ergo homo
doctus non disputat, hæc autem*

non est bona consequentia: *ho-
mo disputat: ergo homo doctus dis-
putat; nec hæc: homo non disputat:
ergo homo doctus non disputat.*

25 Secunda regula est:
*A non amplo ad amplum, sine di-
stributione ampli, etiam sine con-
stantia non ampli, affirmative va-
let consequentia: negative vero
cum constantia: sed cum distribu-
tione ampli, nec affirmative, nec
negative. Primum patet; quia
benè valet: homo doctus dispu-
tat: ergo homo disputat. Secun-
dum similiter patet, quia benè
valet: homo doctus non disputat;
& homo doctus est: ergo homo non
disputat. Tertium etiam patet;
quia non valet: homo doctus dis-
putat: ergo omnis homo disputat,
nec valet: nullus homo doctus dis-
putat: ergo nullus homo disputat.*

De appellatione.

26 **A**PPELLATIO Sic
cõnuniter defi-
nitur. est applica-
tio significati formalis unius ter-
mini ad significatum formale alte-
rius. v. g. in hac propositione. *Pe-
trus est magnus philosophus*, ly
magnus appellat supra philo-
sophum, quia applicat suum sig-
nificatum formale, scilicet mag-
nitadinem, supra significatũ for-
male illius termini *philosophus*,
quod est philosophia, de notan-
do magnitudinem illi convenire
non absolutè, sed in quantum
philosopho, sive in philosophia.

27 Vt autem possit

cognoscere, quando aliquis terminus appellat aliquæ statuuntur regulæ. Prima est: *Quando substantivum, & adiectivum ponuntur ex parte diversi extremi, hoc est unum ex parte subiecti, & aliud ex parte predicati, non intervenit appellatio, ut patet in hac propositione: Petrus magnus est philosophus, ubi magnitudo non appellat supra philosophiam, nisi addatur reduplicatio, in quantum, quatenus ut, vel alia, v. g. Petrus, in quantum philosophus, ut philosophus, vel quatenus philosophus, est magnus, quia tunc datur appellatio.*

28 *Secunda regula: Quando substantivum, & adiectivum ponuntur ex parte eiusdem extremi, tunc adiectivum appellat supra substantivum, v. g. Petrus est magnus philosophus. Tertia regula: Quando subiectum supponit simpliciter, predicatum appellat supra significatum formale subiecti, ut in hac propositione: homo est species, ly species appellat supra hominem formaliter sumptum, hoc est, in quantum abstractum ab individuis.*

29 *Quarta regula: Terminus significans actum animæ interiorem appellat supra significatum formale termini, in quem fertur. V. g. in hac propositione: cognosco venientem, ly cognosco appellat supra venientem, ita ut sensus sit: cognosco venientem in quantum veniens est; quod*

potest verificari, etiam si non cognoscam quisnam sit ille qui venit, dummodo cognoscam ipsum venire.

30 *Pro consequentijs unica statuitur regula, scilicet: Dum variatur appellatio est mala consequentia: v. g. cognosco album, album est lana: ergo cognosco lanam, est mala consequentia, quia in maiori ly cognosco appellat supra albedinem, & in consequentia supra lanam.*

31 *Pro nominibus numeralibus solent etiam duæ assignari regulæ. Prima est: Nomina numeralia primitivæ speciei, ut unum, duo, tres, numerant principaliter formas, & minus principaliter supposita, dum adiunguntur termino substantivo, v. g. ly tres homines principaliter significant tres humanitates, & minus principaliter tres habentes humanitatem; & ideo licet in Divinis dentur tres habentes Deitatem, quia tamen solum datur una Deitas, non dantur tres Dij, sed unus Deus. Et si una persona Divina haberet tres humanitates, non diceretur tres homines, sed unus homo, quia licet humanitates essent tres, suppositum tamen erat unicum.*

32 *Secunda regula: Nomen numerale primitivæ speciei si adiungatur termino adiectivo solum numerat supposita. Unde, si tres homines haberent unam albedinem, dicerentur tres albi, & non unus albus. Si autem*

vnus homo haberet tres albedines diceretur vnus albus. Nota etiam, quod nomen numerale denominativum, vt vnus, binus, ternus, quaternus, &c. numerat tam formas, quam supposita, ita vt si tria supposita habeant vnam formam recipiant denominationem vni, & denominationem trini; vt patet in Deo, qui dicitur trinus propter supposita, & vnus propter naturam, & formam deitatis.

33 Aliæ proprietates terminorum intra propositionem solent assignari, quarum prima est alienatio, quæ est distractio termini à propria ad impropiam significationem, vt in hac propositione: homo est pictus, ly homo alienatur, quia non gaudet propria significatione, sed impropria, cum non significet hominem verum, sed pictum. Secunda est diminutio; estque distractio termini à totali ad partialem significationem, v. g. Aethiops est albus secundum dentes. Tercia est remotio, quæ sic definitur: est distractio termini, ita vt ratione alterius termini sibi repugnantis non possit supponere, vt in hac propositione: homo irrationalis disputat. Et hæc etiam vocatur implicatio in terminis. Vbi nota, quod, vt detur implicatio in terminis, termini repugnantes debent dari ex parte eiusdem ex-

temi; vnde in hac propositione: homo est irrationalis non datur implicatio in terminis.

(o)


Quid, & quotuplex sit oppositio?

POSTQVAM Egimus de proprietatibus terminorum intra propositionem, restat, vt de ipsius propositionis proprietatibus agamus: quæ tres communiter assignantur, scilicet, oppositio, æquipollentia, & conversio. Primam, scilicet oppositionem, hic explicandam suscipimus.

2 Oppositio: ergo sic definitur: est repugnantia duarum propositionum inter se. Quia tamen duæ propositiones possunt inter se repugnare in falsitate, & possunt repugnare in veritate, aut simul in veritate, & falsitate, ideo oppositio recte dividitur in contradictoriam, contrariam, & subcontrariam. Contradictoria est repugnantia duarum propositionum in veritate simul, & falsitate: v. g. Petrus currit. Petrus non currit, quæ neque eunt esse simul veræ, nec simul falsæ. Oppositio contraria est repugnantia duarum propositionum in sola veritate, non autem in falsitate: v. g. Petrus currit: Petrus quiescit quæ neque eunt esse simul veræ, licet, possunt esse simul falsæ, si nimirum Petrus tantum ambulet. Oppositio subcontraria est repugnantia duarum propositionum in sola falsitate: v. g. Petrus non quiescit: Petrus non currit, quæ possunt esse simul veræ, vt in casu dicto, non tamen simul falsæ.

3 Rursus oppositio est duplex, alia de lege tantum, alia de lege, & modo. Oppositio de lege tantum est repugnantia duarum propositionum, non attendendo ad illarum qualitatem, nec quantitatem. Quæ oppositio eodem modo dividitur, eisdemque exemplis explicatur, ac præcedens. Oppositio de lege, & modo, de qua principaliter agit Dialecticus, sic definitur: est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem. Quæ etiam dividitur in contradictoriam, contrariam, & subcon-

trariam. Contradictoriæ propositiones sunt universalis, & particularis oppositæ qualitatis: dicuntur oppositæ qualitatis, quia, si una est affirmativa, altera debet esse negativa, ut *omnis homo currit. aliquis homo non currit.* Contrariæ sunt duæ propositiones universales oppositæ qualitatis: v.g. *Omnis homo disputat; nullus homo disputat.* Subcontrariæ sunt duæ propositiones particulares oppositæ qualitatis. V.g. *aliquis homo disputat; aliquis homo non disputat.* Quæ omnia sequens indicat figura.



4 Vbi, ut vides, universalis affirmativa, quæ designatur per A, & particularis negativa designata per O, contradictoriè opponuntur; similiterque particularis affirmativa designata per I, & universalis negativa designata per E. Duæ autem universales A, & E, contrariè opponuntur; & duæ particulares I, & O, subcontrariæ sunt.

5 Quibus suppositis, imprimis certum est, & lumine naturali notum, duas contradictorias non posse esse simul veras, nec simul falsas. Quod sic declaratur: si duæ contradictoriæ essent simul veræ, idem esset simul, & non esset; si autem essent simul falsæ, aliquid, nec esset, nec non esset; sed lumine naturali constant hæc duo

duo principia : impossibile est idem simul esse, & non esse: quodlibet est, vel non est : ergò lumine naturali constat quod duæ contradictoriæ, nec possunt esse simul veræ, nec simul falsæ. Maior explicatur : quia si verum esset dicere : *aliquis homo est albus*, ille aliquis homo iam esset albus; item, si simul esset vera eius contradictoria, *nullus homo est albus*, iam ille idem homo non esset albus, quia nullus homo esset albus: ergò idem homo esset albus: & non esset albus: idem igitur esset, & non esset. Rursus: si idem homo est albus, & non est albus, imprimis ille non erit albus; deinde hoc ita non erit, quia est albus: ergò nec erit, nec non erit albus: ergò sequitur quod idem, nec sit, nec non sit.

6 Pro cæteris declarandis nota, propositiones subalternas esse universalem, & particularem sub illa contentam, ut patet in figura, & quod universalis vocatur subalternans, particularis vero subalternata. Nota etiam, universalem, sive subalternantem non posse esse veram, quin particularis subalternata vera sit; posse tamen subalternatam esse veram, quin sit vera subalternans. Quo supposito, dico secundo: lex contrariarum est, quod non possint esse simul veræ, possint tamen esse simul falsæ. Primum sic probatur: si contrariæ A, & E, essent simul veræ, etiam particulares subal-

ternatæ I, & O essent simul veræ, iuxta immediatè dicta: ergò omnes illæ quatuor propositiones essent simul veræ, & consequenter duæ contradictoriæ; quod est impossibile: impossibile ergò est duas contradictorias esse simul veras. Secundum etiã patet; quia licet duæ contrariæ A, & E sint simul falsæ, non sequitur, particulares subalternatas esse etiam simul falsas, quia stante falsitate universalis subalternantis, potest salvari veritas subalternatæ; potest enim esse falsum quod *omnis homo est albus*, quamvis *aliquis sit albus*; & item esse falsum, quod *nullus est albus*, quamvis *aliquis non sit albus*, ut per se patet: ergò ex eo quod duæ contrariæ sint simul falsæ non sequitur duas contradictorias esse simul falsas: possunt igitur duæ contrariæ esse simul falsæ.

7 Dico tertio: lex subcontrariarum est, quod non possint esse simul falsæ, licet possint esse simul veræ. Patet: quia si essent simul falsæ illæ particulares I, & O, quæ sunt subcontrariæ, etiam essent simul falsæ duæ contrariæ universales A, & E, siquidem ex falsitate particularis subalternatæ sequitur legitime falsitas universalis subalternantis: essent igitur omnes quatuor simul falsæ. Cum autem inter illas sint duæ contradictoriæ, duæ contradictoriæ essent simul falsæ, quod iam constat esse impossibile: igitur est impossibile duas subcontrarias esse simul falsas.

Rursus : si duæ subcontrariæ essent simul falsæ , illarum contradictoriæ essent simul veræ , quia si vna contradictoria est falsa , opposita necessario est vera ; sed illarum contradictoriæ sunt inter se contrariæ : ergo duæ contrariæ essent simul veræ , quod est impossibile : ergo impossibile est duas subcontrarias esse simul falsas . Ex eo autem quod sint simul veræ , non sequitur contrarias esse simul veras , sed tantum sequitur esse simul falsas , quod neutiquam est impossibile : ergo de primo ad vltimum duæ subcontrariæ nequeunt esse simul falsæ , possunt tamen esse simul veræ .

Aliquibus solutis obiectionibus , magis declarantur dicta .

8 **O**BJICIES Primo : hæc propositiones : *omnis homo est animal : nullus homo est animal* , sunt contrariæ ; & tamen non possunt esse simul falsæ , cum illa , *omnis homo est animal* nunquam possit esse falsa : ergo iam duæ contrariæ dantur , quæ non possint esse simul falsæ . Idemque argumentum potest fieri contra legem subcontrariarum : nam hæc : *aliquis homo est animal* , & hæc : *aliquis homo non est animal* sunt subcontrariæ ; & tamen non possunt esse simul veræ , cum illa particularis , *aliquis homo non est animal* nunquam possit esse vera : ergo aliquæ dantur

subcontrariæ , quæ non possint esse simul veræ .

9 Respondeo concessa maiori , distinguendo minorem : non possunt esse simul falsæ , quantum est ex modo oppositionis , & ex vi formæ , nego minoræ ratione materiæ , concedo minorem , & nego consequentiam . Et similiter ad secundum argumentum de subcontrariis , concessa maiori , distinguendo minorem ; non possunt esse simul veræ quantum est ex vi oppositionis , & formæ , nego minorem ; ex vi materiæ , concedo minorem , & nego consequentiam . Itaque , dum dicimus , contrarias posse esse simul falsas , & subcontrarias simul veras , intelligendum est , attento modo , & forma oppositionis ; propositiones autem allatæ in argumento , si non possunt esse simul falsæ , aut simul veræ est , quia sunt in materia necessaria , in qua fatemur non posse dari contrarias simul falsas , aut subcontrarias simul veras ; sed hoc non provenit ex vi oppositionis , nec ex vi formæ ; nam aliæ eiusdem formæ , & oppositionis possunt esse simul veræ , & possunt esse simul falsæ , si sint in materia contingenti , ut patet in figura supra allata .

10 Argues secundo : hæc propositiones : *nullus homo est terminus : homo est terminus* sunt contradictoriæ ; & tamen sunt simul veræ : ergo dantur duæ contradictoriæ simul veræ .

Idem :

Idem argumentum facies in his: *nullus homo est species: homo est species.* Respondeo negando maiorem; quia, ut aliquæ propositiones sint oppositæ, debent servare eandem suppositionem, ita ut si varietur suppositio de formali in materialem, sicut variatur in primis propositionibus, aut de simplici in personalem, sicut in secundis, aut de propria in impropriam, ut in his: *Omnis agnus est irrationalis: agnus Dei non est irrationalis,* non possunt esse oppositæ, nec contradictoriæ, contrariæ, aut subcontrariæ. Idemque dicendum est, si varietur appellatio; unde hæc non opponuntur: *Petrus magnus est Philosophus: Petrus non est magnus Philosophus.*

11 Argues tertio: hæc propositiones: *Petrus albus currit: Petrus albus non currit* sunt contradictoriæ de subiecto singulari; & tamen casu quo Petrus non esset albus utraque esset falsa: ergo. Minor patet: quia in utraque supponitur Petrum esse album, quod in illo casu est falsum. Respondeo negando minorem. Ad cuius probationem dico, quod licet in affirmativa supponatur Petrum esse album, in negativa vero id non supponitur, quia in propositione negativa subiectum non supponit.

12 Argues quarto: hæc duæ propositiones: *Omnes Apostoli sunt duodecim: aliqui Apo-*

stoli non sunt duodecim sunt contradictoriæ, & tamen sunt simul veræ: ergo Respondeo non esse contradictorias, quia variatur suppositio de collectiva in determinatam.

13 Argues quinto: hæc duæ propositiones: *omnis homo servans omne mandatum Dei salvabitur: aliquis homo servans aliquod mandatum Dei non salvabitur,* sunt contradictoriæ; & tamen sunt simul veræ: ergo. Respondeo negando quod sint contradictoriæ; quia subiectum primæ est, *homo servans omne mandatum Dei;* subiectum autem secundæ est: *homo servans aliquod mandatum Dei,* quæ non sunt idem subiectum, sed diversa; ac per consequens non sunt contradictoriæ, quæ debent esse eiusdem subiecti.

14 Obijcies sexto: hæc propositiones: *nullus oculus requiritur ad videndum: aliquis requiritur oculus ad videndum,* sunt contradictoriæ; & tamen sunt simul veræ: ergo. Minor patet: nam imprimis secunda est vera; deinde etiam prima, quia oculus dexter non requiritur ad videndum; deinde, nec oculus sinister. Ergo nullus oculus requiritur ad videndum. Respondeo negando quod sint contradictoriæ, quia variatur suppositio; nam *ly oculus* in prima supponit distributive, & in secunda disiunctim. Vbi nota quod licet possit in contra-

tradictorijs mutari suppositio
de distributiva in determina-
tam, vt patet in his: *Omnis homo
est albus: aliquis homo non est al-
bus*; non tamen de distributiva
in disiunctam.

15 Obijcies septimo: hæ
propositiones: *Aliqui Apostoli
non sunt salvati: Omnes Apostoli
sunt salvati* sunt contradictoriæ;
& tamen sunt simul falsæ: ergò.
Minor patet; nam imprimis se-
cunda vniversalis clarè est falsa;
deinde etiam est falsa prima par-
ticularis, quia tantum vnus
Apostolus non est salvatus: ergò
falsum est quod aliqui Apostoli
non sunt salvati. Respondeo ne-
gando maiorem, quod scilicet,
*sint contradictoriæ, non quia
sint simul falsæ; quia particula-
rem veram essent in presen-
ti valde probabiliter aliqui; sed
quia vt duæ propositiones con-
tradictoriæ sint, debet negativa
præcise negare quod requiritur
ad falsitatem vniversalis affirma-
tiuæ; quia si negat plusquam re-
quiritur, iam sunt contrariæ,
non autem contradictoriæ. Cum
autem in prædictis propositioni-
bus particularis negativa plus
neget, quam requiritur ad falsi-
tatem vniversalis, cum ad illam
sufficiat negare aliquem Apo-
stolum esse salvatum, illa autem
neget aliquos esse salvatos, in-
de est quod non sunt contradi-
ctoriæ, sed contrariæ; sicut hæ:
*Omnis homo currit: Petrus non cur-
rit* quia hæc secunda negat plus-
quam requiritur ad falsitatem*

primæ, ad illam enim sufficit
quod aliquis non currat, siuè
Petrus, siuè alius, non autem
determinate quod Petrus non
currat.

16 Sed dices: vniver-
salis, & particularis eiusdem
subiecti de eodem prædicato
non possunt non esse contradi-
ctoriæ; sed propositiones allatæ
sunt vniversalis, & particularis
eiusdem subiecti de eodem præ-
dicato, vna negativa, & altera
affirmativa: ergò debent esse
contradictoriæ. Respondeo, di-
stinguendo maiorem; vniversa-
lis & particularis complete, &
perfecte, concedo maiorem: si
sit particularis incomplete, ne-
go maiorem, & distincta mino-
ri eodem modo, nego conse-
quentiam; quia ad contradicen-
dum vniversali affirmatiuæ re-
quiritur propositio perfectè par-
ticularis; illa autem *aliqui Apo-
stoli non sunt salvati* non est per-
fecte, & complete particularis,
quia non negat de aliquo tan-
tum, sed de pluribus, seu de ali-
quibus; vnde in numero plura-
li non datur propositio comple-
te, & perfectè particularis.

17 Pro solvendis alijs,
quæ solent argui, nota, quod sig-
na vniversalia, quæ sunt in vna
propositione, in alia contradi-
ctoria debent mutari in parti-
cularia, ita vt his signis, *omnis,
quilibet, semper, ubique, & ly &*
quod etiam habet vim signi vni-
versalis, respondeant, *ali-
quis, aliquando, alicubi, & ly vel
quod*

quod habet vim particularizan-
di. Vnde huic propositioni: *cu-
iuslibet hominis omnis equus sem-
per & ubique currit*, assignabis
contradictoriam hoc modo:
*Alicuius hominis aliquis equus
aliquando, vel alicubi non currit.*

QVÆSTIO. IX

Quid, & quotūplex sit Equipol-
lencia?

I Equipollentia est Equi-
valentia duarum pro-
positionum quoad ve-
ritatem, & sensum ratione nega-
tionis postpositæ, vel antepositæ.
V.g. hæc propositiones: *nullus ho-
mo est albus: aliquis homo est al-
bus*, fiunt æquipollentes, si cui-
bet illarum anteponas negatio-
nem, altera invariata. Cæterum
quã diverso modo fiunt æqui-
pollentes contradictoriæ, con-
trariæ, & subalternæ, pro
huius intelligentia tres statuun-
tur regulæ, quæ hoc versiculo
continentur,

*Præ contradic, post contra,
præ postque subalter.*

2 Ly *præ contradic* designat pri-
mam regulam, scilicet, quod cõ-

tradictoriæ fiunt æquipollentes
præponendo negationem ante
subiectum vnius ex illis. V.g. hæc
propositiones, *Omnis homo est
albus: aliquis homo est albus*, fiunt
æquipollentes, si, relicta secunda
prout iacet, ante subiectū primæ,
ponas negationem dicendo; *non
omnis homo est albus*, & similiter
si illā anteponas subiecto secun-
dæ, invariata prima. Ly *post con-
tra* designat secundam regu-
lam, scilicet contrarias fieri
æquipollentes postponendo ne-
gationē subiecto vnius. V.g. hæc
contrariæ, *omnis homo est albus;
nullus homo est albus*, fiunt æqui-
pollentes, si, in variata secunda;
post subiectū primæ, ponas nega-
tionem, dicendo: *omnis homo non
est albus*, similiterque, si, in va-
riata prima, postponas nega-
tionem subiecto secundæ.

3 Ly *præ postque subalter* de-
signat tertiam regulam, scilicet
sub alternas fieri æquipollentes,
si subiecto vnius postponatur, &
anteponatur negatio, v.g. *Omnis
homo est albus: aliquis homo est al-
bus*, fiunt æquipollentes, si in se-
cunda dicas, *non aliquis homo non
est albus*, omnia hæc versibus his
continentur.

Non omnis, quidam non: omnis non, quasi nullus:

Non nullus, quidam: sed nullus non, valet omnis.

Non aliquis, nullus; non quidam non, valet omnis.

Non alter, neuter; neuter non, præstat uterque.

Subcontrariæ autem non
fiunt æquipollentes, quia debe-
bant fieri postponendo nega-

tionem, si autem post ponatur
negatiuæ, fit inepta illius repeti-
tio, v.g. *aliquis homo non est al-
bus*

bus, si autem postponatur affirmativa, fit eadem cum negativa, & non æquipollens.

QVÆSTIO. X.

Quid, & quotuplex sit conversio?

CONVERSIO Propositionum est consequentia formalis unius propositionis ad aliam per transmutationem extremorum, servata eadem qualitate. V. g. nullus lapis est homo: ergo nullus homo est lapis. Itaque conversio, est consequentia ab una ad aliam propositionem. Prima propositio vocatur *conversa*, seu *convertibilis*; secunda autem *convertens*. Dicitur autem fieri per *transmutationem extremorum*, quia debet subiectam mutari in predicatum, & prædicatum in subiectum. Dicitur etiam, *servata eadem qualitate*, quia si conversa est affirmativa, debet etiam convertens esse affirmativa, & si negativa, negativa.

2 Conversio igitur dividitur in simplicem, per accidens, & per contrapositionem. Simplex est *conversio unius propositionis in alteram, servata eadem qualitate*. Ita ut vel utraque sit universalis, vel utraque particularis: ut nullus homo est lapis: ergo nullus lapis est homo, & econ-

tra; nam huiusmodi conversio semper est mutua consequentia, ita ut valeat à convertibili ad convertentem, & è contra. Conversio per accidens, est *conversio unius propositionis in aliam, variata quantitate*, ita, ut si una est particularis, altera sit universalis, & è contra, v. g. Omnis homo est animal: ergo aliquod animal est homo. Vbi adverte, quod conversio per accidens non est mutua consequentia, non enim valet: aliquod animal est homo: ergo omnis homo est animal.

3 Conversio per contrapositionem definitur: *conversio unius propositionis in aliam servata eadem quantitate, & mutatis terminis finitis in infinitos*, ut omnis homo est albus: ergo omne non album est non homo, & è contra; nam hæc semper est mutua consequentia. Ut autem scias cuilibet propositioni quænam debeat conversio, nota propositionem aliam esse universalem affirmativam, & hanc designari per litteram A, aliam esse universalem negativam, & hanc designari per litteram E, aliam esse particularem affirmativam, & hanc designari per litteram I, aliam denique particularem negativam designatam per litteram O. Quæ omnia, ut memorie manentur, his versiculis significantur.

Afferit A, negat E, sed universaliter ambo.
Afferit I, negat O, sed particulariter ambo.

Quælibet autem ex dictis conversionem quod designatur propositionibus suam habet his versibus.

*Simplicitèr Feci, convertitur Eva per acci:
Asto per contra, & sic fit conversio tota.*

Itaque negativa vniversalis, & particularis affirmativa, quæ designantur per illam dictionem. *Feci* convertuntur per simplicem conversionem: v. g. *nullus homo est lapis: ergò nullus lapis est homo: aliquis homo est animal: ergò aliquod animal est homo.* Vniversalis verò affirmativa, & vniversalis negativa, quæ designantur per illam dictionem, *Eva* convertuntur per accidens. V. g. *Nullus homo est lapis, ergò aliquis lapis non est homo.* Vniversalis denique affirmativa, & particularis negativa convertuntur per contrapositionem, vt designatur per illam dictionem *Asto per contra.* V. g. *Omnis homo est animal; ergò omne non animal est non homo. Aliquod animal non est homo; ergò aliquod non homo non est non animal.*

4 Sed argues: hæc est particularis affirmativa: *aliquis puer erit senex;* & tamèn non valet; ergò, *aliquis senex erit puer:* ergò, particularis affirmativa non cõvertitur simplicitèr. Urgebis, hæc est vniversalis affirmativa, *omnis discurrens est homo.* Et tamèn non valet: ergò *aliquis homo discurret;* casu enim, quo nullus homo discurreret, vera esset vniversalis conversa, falsa tamèn convertens particularis; ergò vniver-

lis affirmativa non convertitur per accidens.

5 Respondetur, concessa maiori, & minori, negando consequentiam, quia vt sic bona conversio debent seruari omnes proprietates logicales, vt suppositio, Ampliatio, & appellatio. In predicta autem conversione, non seruatur eadem ampliatio, quia in prima ly *puer* ampliatur ad id quod est vel erit, in secunda autem ly *puer* accipitur, siuè restringitur ad id quod erit: illa ergò particularis sic est cõvertèda: *Aliquis puer erit senex: ergò aliquis qui erit senex est puer.* Similitèr respondetur ad secundum, quod illa non est bona conversio, quia in antecedenti termini supponunt naturalitèr, in consequenti verò accidentalitèr. Semper igitur, quod non seruantur eadem proprietates terminorum, vt diximus in contradictorijs, non est bona conversio, vnde non valet *homo est nomen; ergò nomen est homo,* quia variatur suppositio de materiali in formalem. Nec valet: *nullus homo est species; ergò nulla species est homo,* quia variatur suppositio de simplici in personale; nec valet: *nullus leo est homo; ergò nullus homo est leo de tribu Iuda,* quia suppositio, de

de propria, in impropria &c.

QVÆSTIO. XI.

Quid, & quotuplex sit propositio modalis?

DVM Egimus de propositione categorica, eam reliquimus dividendam in modalem, & de inesse. Propositio modalis est, *quæ significat modum, quo prædicatum convenit subiecto, ut homo possibiliter currit.* Propositio de inesse est, *quæ significat absolutam convenientiam prædicati ad subiectum, ut homo currit.* Nota autem quod modi, quibus prædicatum potest convenire subiecto, de quibus actari sumas in præsentia, sunt quatuor, scilicet: *Necessario, impossibiliter, possibiliter, contingenter.*

2. Nota tamen quod illi modi possunt poni in propositione, vel verbaliter, ut in hac propositione: *Petrus potest currere;* vel adverbialiter, ut in hac propositione: *Deus necessario est ens;* vel nominaliter: quod adhuc stat dupliciter, nimirum, vel ita ut nomen significans modum affirmetur de verbo modi infinitivi, v. g. *necessum est Deum esse;* vel ita ut affirmetur de alio nomine, aut supra illud immediate appellet, v. g. *ens increatum est necessarium,* vel *Deus est ens necessarium.* Igitur, ut modus constituat propositionem modalem, debet poni vel

verbaliter, vel adverbialiter; vel modificando verbum, vel affirmari de verbo modi infinitivi. Si autem affirmetur de alio nomine, vel supra illud appellet, non facit propositionem modalem; quia hæc non est modalis: *Deus est ens necessarium,* sed de inesse.

3. Propositio modalis dividitur in compositam, & divisam. Composita est, *quæ significat ex parte dicti compositionem formarum: v. g. album esse dulce est possibile.* Modalis divisa est, *quæ significat simultatem modi cum forma: v. g. album possibiliter est nigrum.* Pro cuius intelligentia nota, quod in propositione modalis datur dictum, & datur modus. Modus est, *ly possibile, necesse aut impossibile.* Dictum est illud, quod dicitur esse possibile, necesse, aut impossibile; v. g. in hac propositione: *album esse dulce est possibile,* ly *album esse dulce est dictum,* ly autem *possibile est modus.*

4. Quo supposito nota quod propositio modalis, potissime quando modus significatur verbaliter per ly *potest,* solet esse æquivoca, & facere duplicem sententiam, iam compositam, iam divisam, quod magnam in disputando solet generare confusionem. Tunc facit sententiam compositam, quando ex parte dicti ponit simultatem formarum subiecti, & prædicati, & de illa affirmat modum, significando potentiam, vel possibilitatem

entem ad talem simultatem. Tunc vero facit, sensum divisum, quando ex parte dicti non ponitur simultas formarum, sed tantum vna forma, & ad illam affirmatur dari potentiam simul coniunctam cum altera forma subiecti: v. g. cum quis dicit: *album potest esse nigrum*, facit sensum compositum, si affirmet posse ad hoc dictum *album esse nigrum*, sive ad simultatem nigredinis cum albedine. Faciet autem sensum divisum, si solum affirmet potentiam ad hoc dictum *esse nigrum*, coniunctam cum albedine in subiecto. Vnde quando facit sensum compositum dicitur significare potentiam simultatis, sive ad simultatem; quando vero divisum, dicitur significare simultatem potentiae. Propositio ergo modalis est divisa, quando facit sensum divisum; est autem composita, quando facit sensum compositum; vnde ista propositio: *Petrus, dum currit, potest quiescere*, erit composita, & faciet sensum compositum si ly *dum currit* determinet dictum, ita ut sensus sit: *Petrus potest quiescere dum currit*. Erit autem divisa, si faciat hunc sensum: *Petrus dum currit habet potentiam ad quiescendum*; quia ly *dum currit* se tenet ex parte modi. Item haec propositio: *praedestinator potest damnari* erit vera, si faciat sensum divisum, quia tunc significat, quod praedestinator habet potentiam ad se

damnandum, & quod optime componitur potentia ut damnetur cum eo quod sit praedestinator; erit autem falsa, si faciat sensum compositum; quia tunc significat, quod praedestinator habet possibilitatem ad essendum simul damnatum, seu quod optime potest componi praedestinator damnari. De quo vide plura in nostro opere de Providentia quaestio 17. num. 8.

¶ Vt autem cognoscas, quando propositio facit sensum compositum, aut divisum, adverte, quod modalis, dum facit sensum compositum, potest immediate resolvi in suam officiantem; secus autem dum facit sensum divisum. Propositio officians dicitur illa propositio, in qua dictum modalis affirmatur per vnam categoricam, & de illa categorica deesse per aliam modalem affirmatur. Modus; v. g. propositio officians, quae correspondet huic modali: *Petrus possibiliter disputat*, est haec: *Petrus disputat est propositio possibilis*. Propositio ergo modalis, quae facit sensum compositum potest immediate resolvi in suam officiantem, ut patet in hac: *album potest esse dulce*, quae sic resolvitur: *album est dulce est propositio possibilis*; ista vero peccator potest esse beatus, quia facit sensum divisum non potest sic resolvi: *peccator est beatus, est propositio possibilis*.

Explicatur oppositio, & equipol-
lencia modalium.

6 **N**OTA Primo, quanti-
tatem, & qualita-
tem propositionum
modalium attendendam esse ex
modo, non autem ex dicto.
Modi autem propositionum

modalium tres assignantur, sci-
licet, *possibile*, *necesse*, *impossi-
bile*, nam *contingens* pro co-
dem sumitur ac *possibile*. Ex his
autem modis quisnam sit vni-
versalis, aut particularis, quis-
nam autem affirmativus, aut
negativus designant, sequentes
versus.

Omne necessum valet: impossibile, nullum.

Possibile, quidam: quidam non, possibile non.

Itaque *necesse* est modus
universalis affirmativus, sicut
omnis est signum universale af-
firmativum. *Impossibile* est mo-
dus universalis negativus, sicut
signum *nullus*. *Possibile* est parti-
cularis affirmativus, sicut *qui-
dam*. *Possibile non* particularis ne-
gativus, sicut *quidam non*. Ex
quo colliges propositiones de
necesse, esse contradictorias pro-
positionibus de *possibili non*; esse
autem contrarias propositioni-
bus de *impossibili*: propositiones
autem de *possibili*, & de *possibi-*

li non esse inter se subcontrarias.

7 Pro cuius noticia
comparanda quatuor dictiones
invenerunt dialectici, scilicet;
*Purpurea, Iliace, Amavimus, Eden-
tuli*, quæ his quatuor vocalibus
constant, A, E, I, V, quarum
prima, scilicet A, significat mo-
dalem affirmativam de dicto, &
modo: E, negativam de dicto,
& affirmativam de modo: I, ne-
gativam de modo, & affirmati-
vam de dicto: V, negativam de
dicto, & modo: quod totum
inducatur hoc versu.

E, Dictum negat, I, que modum;

Nihil A, Sed V, totum.

In qualibet igitur ex præ-
dictis dictionibus, quatuor pos-
sunt formari propositiones mo-
dales, prima de *possibili*, secun-

da de *contingens*, tertia de *im-
possibili* quarta de *necesse*, quod
inducatur hic versus.

Possibile, contingens, impossibile, necesse.

8 Ex quibus colliges
propositiones, quæ designantur
per illam dictionem *amavimus*,
contradictorie opponi cum il-

lis, quæ designantur per dictio-
nem *Iliace*: similiterque quæ
designantur per *Edentuli*, cum
illis, quæ designantur in *Purpu-
rea*.

Quest. XI. Quid, & quotuplex sit propositio modalis? 49

rea. Purpurea autem, & Iliace esse contrarias, Purpurea vero cum inter se contrarias, & Amari- Amavimus esse subalternas, simi- mus, & Edentuli esse inter se sub- liter Iliace cum Edentuli.

Equipollentes.			Equipollentes.	
Pur	Petrum non loqui non est possibile.	Contrariae.	I	Petrum loqui non est possibile.
Pu	Petrum non loqui non est contingens.		Li	Petrum loqui non est contingens.
Re	Petrum non loqui est impossibile.		A	Petrum loqui est impossibile.
A	Petrum loqui est necessè.		Ce	Petrum non loqui, est necessè.

Subalternae.	Contra dic toria. Contra dic toria.	Subalternae.
--------------	--	--------------

Equipollentes.			Equipollentes.	
A	Petrum loqui est possibile.	Subcontrariae.	Ed	Petrum non loqui est possibile.
Ma	Petrum loqui est contingens.		En	Petrum non loqui est contingens.
Bi	Petrum loqui non est impossibile.		Tu	Petrum non loqui non est possibile.
Mus	Petrum non loqui non est necessè.		Li	Petrum loqui non est necessè.

Quae omnia dicta sunt pro modalibus de dicto singulari; nam aliae sunt modales de dicto singulari, aliae de dicto universalis, vel communi. Modales de dicto singulari sunt illae in quibus subiectum dicti est terminus singularis, v. g. Petrum currere

est possibile. Modales de dicto communi sunt illae, in quibus subiectum dicti est terminus communis: v. g. hominem currere est possibile. Modalis autem de dicto communi, vel potest esse de dicto universalis, vel de dicto particulari. Erit de universalis dicto,

dicto, si subiectum illius afficiatur signo vniversali, vt *omnem hominem currere est possibile*. Erit autem particularis de dicto, si subiectum nullo signo, aut signo particulari afficiatur: v g. *aliquem hominem currere est possibi-*

le. Pro intelligenda oppositione, & æquipollentia modalium primi generis præcedens statuitur tabula. Sequens veropro oppositione, & æquipollentia modalium de termino communi.

	Æquipollentes.			Æquipollentes.
Pa	<i>Aliquē hominē nō loqui nō est possibile.</i>	Contrariæ.	I	<i>Omniem hominem loqui nō est possibile.</i>
Pu	<i>Aliquē hominē non loqui nō est cōtingēs.</i>		Li	<i>Omniem hominem loqui nō est cōtingēs.</i>
Re	<i>Aliquē hominē nō loqui est impossibile.</i>		A	<i>Omniem hominem loqui est impossibile.</i>
A	<i>Aliquem hominem loqui est necessè.</i>		Cc	<i>Non omniem hominem loqui, est necessè.</i>
Subalternæ.		Contradictoriæ.		Subalternæ.
	Æquipollentes.			Æquipollentes.
A	<i>Omniem hominem loqui est possibile.</i>	Subcontrariæ.	Ed	<i>Aliquem hominem nō loqui est possibile.</i>
Ma	<i>Omniem hominem loqui est contingens.</i>		En	<i>Aliquem hominem nō loqui est contingēs.</i>
Bi	<i>Omne hominem loqui nō est impossibile.</i>		Tu	<i>Aliquē hominē nō loqui nō est impos.</i>
Mus	<i>Non omne hominē loqui non est necessè.</i>		Li	<i>Aliquem hominem loqui non est necessè.</i>

Pro qua observari debēt omnes regulæ suprâ allatæ, & vterius quod in contrarijs, & subalternis dictum debet variari,

ita vt si in vna sit vniversale, in altera sit particulare, si sint eiusdem modi: v. g. contraria huius; *Omniem hominem loqui*

Q. XII. Quid, & quotuplex sit propositio hypothetica? 51

qui non est possibile, si sit eiusdem modi, scilicet de possibili, est hæc: *aliquem hominem non loqui non est possibile*; ubi servatur idem modus, dictum tamen mutatur de universalis affirmativo in particulare negativum. Omnia hæc præcedenti declarantur figura.

Prædicta igitur tabula clare demonstrat oppositionem contrariam, & contradictoriam modalium de termino communi; nam propositiones de *purpurea* contrarie opponuntur cum propositionibus de *Iliace*, contradictorie autem cum propositionibus de *Edentuli*; similiterque propositiones de *Amabimus* subcontrarie opponuntur cum propositionibus de *Edentuli*, contradictorie autem cum propositionibus de *Iliace*; cæteraque in ipsa tabula apparent manifesta, ideoque ab explicatione abstinemus. Nota tamen in omnibus prædictis propositionibus nullam contineri de dicto universalis negativo, aut particulari negativo, de quibus altera tabula formari posset, sed quia eodem tenore, & eisdem regulis constaret, ac præcedens, sola differentia in dictis, ideo ab ea supersedemus.

QUESTIO XII.

Quid, & quotuplex sit propositio hypothetica?

Propositio Hypothetica, quæ ut supra di-

ximus, est quæ componitur ex pluribus categoricis tanquam ex partibus principalibus suis. Dividitur in conditionalem, rationalem, causalem, copulativam, & disiunctivam. Conditionalis est, cuius partes copulantur per particulam *si*: v. g. *si homo volat, habet alas*. Rationalis est, cuius partes copulantur per particulam *ergo*, ut *homo est rationalis: ergo est risibilis*. Causalis est, cuius partes copulantur per particulam *quia*: v. g. *quia homo est intellectivus est volitivus*. Copulativa est, cuius partes coniunguntur per particulam *&*: v. g. *Petrus currit, & Paulus sedet*. Disiunctiva est, cuius partes uniantur per particulam *vel*: v. g. *Petrus loquitur vel Paulus tacet*.

2 Pro cuius intelligentia nota, quod prædictæ particulæ possunt copulare terminos, & copulare propositiones, si copulent, aut uniant terminos, non faciunt propositionem hypotheticam, sed categoricam de coniuncto extremo: v. g. *Petrus, & Paulus sunt duo: Hic, vel Ille oculus requiritur ad videndum*. Tunc autem prædictæ particulæ faciunt propositionem hypotheticam, quando coniungunt integras propositiones, ut in exemplis supra allatis.

3 Propositio igitur conditionalis dividitur in illativam, promissivam, & coniunctivam. Illativa est, in qua particula *si* denotat illationem unius ex alio: v. g.

si sol lucet dies est promissiva est in qua aliquid sub conditione promittitur: v. g. *si perseveraveris usque in finem salvaberis*. Coniunctiva est, quæ solum denotat concomitantiam, & simultatem extremorum; hæc autem proprie loquendo potius est copulativa, quam conditionalis, unde sequitur leges copulativæ.

4 Ut autem cognoscas quando propositio hypothetica sit vera, vel falsa, nota primo, ad veritatem conditionalis requiri, & sufficere, quod sit bona consequentia, licet extrema sint falsa: v. g. *homo habet alas, si volat*, quæ propositio vera est, etsi categoricæ ex quib⁹. componitur falsæ sint. Nota secundo quod ad veritatem propositionis rationalis requiritur, quod antecedens sit verum, & sit bona consequentia, & consequenter etiam requiritur, quod consequens sit verum; quia in bona consequentia nequit antecedens esse verum, & consequens falsum. Unde antecedens, & consequens debent esse vera, & bona consequentia: v. g. *Petrus est homo: ergo est rationalis*.

5 Nota tertio quod ad veritatem causalis requiritur, quod antecedens sit verum, sitque causa consequentis, & consequentia sit bona. Unde hæc est bona consequentia: *homo est risibilis: ergo est rationalis*, & tamen hæc causalis est falsa; quia *est risibilis, est rationalis*; quia antecedens non est causa conse-

quentis; unde ut sit vera debet ita dicere: *quia homo est rationalis est risibilis*. Nota quarto quod ad veritatem copulativæ requiritur quod omnes partes illius sint veræ: v. g. hæc est falsa. *Petrus est homo, & homo est equus*; quia una pars est falsa; unde ad falsitatem sufficit falsitas unius partis. Hæc autem est vera *Petrus est homo, & homo est rationalis*, quia eius partes sunt veræ.

6 Nota quinto quod ad veritatem disiunctivæ requiritur, & sufficit quod una pars sit vera, ad falsitatem autem requiritur, quod utraque sit falsa: v. g. hæc est vera: *equus est animal, vel non discurrit*; hæc autem est falsa: *equus est homo, vel est leo*. Nota ultimo, quod *ly &* in copulativis habet vim signi universalis; & *ly vel* in disiunctivis habet vim signi particularis; unde contradictoria copulativæ debet esse disiunctiva, & e contra: v. g. contradictoria huius: *Petrus currit, vel Paulus disputat*, est hæc: *Petrus non currit, & Paulus non disputat*.

7 Pro qualitate hypotheticæ conditionalis, causalis, & rationalis nota, quod tunc est affirmativa, quando copula adverbialis affirmatur, etsi eius partes componentes negentur: Unde hæc est affirmativa: *quia equus non est rationalis, non est risibilis. Si equus non est rationalis non est risibilis*. Tunc autem est negativa, quando copula adverbialis

bialis negatur, et si partes componentes affirmantur, v. g. *non si homo volat, habet alas. Non quia homo est risibilis est rationalis.*

8 Propositiones autem copulativæ, vel disiunctivæ dicuntur affirmativæ, si omnes partes componentes sint affirmativæ; dicuntur autem negativæ, si omnes partes sint negativæ; si autem vna pars sit negativa, & altera affirmativa dicuntur mixtæ qualitatis.

Loci arguendi in hypotheticis.

1 PRIMVS: A causali ad rationalem, & à rationali ad conditionalem est bona consequentia: v. g. *homo est rationalis, quia est risibilis: ergò verum est: est rationalis: ergò est risibilis: rursum à ergò si est rationalis, est risibilis.* Secundus: à rationali, & à causali ad quamlibet illius partem est bona consequentia: v. g. *quia homo est rationalis, est risibilis: ergò homo est rationalis: ergò est risibilis.* Tertius: à conditionali, posito antecedenti, ad positionem consequentis, est bona consequentia, v. g. *si Petrus currit, movetur: currit: ergò movetur.* Quartus: à conditionali cum destructione consequentis ad negationem antecedentis est bona consequentia: v. g. *si Petrus currit, movetur; sed non movetur: ergò non currit.*

10 Quintus: à copulativa ad quamlibet partem est bona

consequentia tam affirmativa, quam negative: v. g. *Petrus currit, & Paulus disputat: ergò Petrus currit. Petrus nec currit, nec disputat: ergò non currit.* Sextus: à negatione vnius partis ad negationem copulativæ, est bona consequentia: v. g. *Petrus non currit: ergò non currit, & disputat.* Septimus in disiunctivis à positione vnius partis ad totam disiunctivam, est bona consequentia: v. g. *Petrus currit: ergò currit, vel disputat.* Octavus: à disiunctiva cum negatione vnius partis ad positionem alterius est bona consequentia: v. g. *vel datur lux, vel dantur tenebrae; non datur lux, ergò dantur tenebrae.*

QVÆSTIO XIII.

Quid, & quotuplex sit propositio exponibilis?

1 PROPOSITIO Exponibilis est, quæ ratione alicuius particule obscurum implicantis sensum indiget explicatione: v. g. *omnis homo præter Christum peccare potest.* Dividiturque primo in exceptivam, exclusivam, & reduplicativam. Exceptiva est, quæ modificatur dictione significante exceptionem; v. g. *omne animal præter hominem est irrationale.* Exclusiva est, quæ modificatur particula significante exclusionem: v. g. *tantum homo est rationalis.* Reduplicativa est,

quæ modificatur dictione significante rationem conveniendi prædicatum ad subiectum: v. g. *homo in quantum rationalis, est risibilis.*

2. Secundo dividitur propositio exponibilis in affirmativam purè, & in purè negativam: v. g. *tantum homo est risibilis: non tantum homo est risibilis; & in affirmativam de modo, & negativam de verbo: v. g. tantum homo non est risibilis; & in negativam de modo, & affirmativam de verbo: v. g. non tantum homo non est risibilis, vbi modus negatur, quia ad illum præcedit vnica negatio, & verbum affirmatur, quia ad illud præcedit duplex negatio, & duæ negationes affirmant.*

3. Pro exponendis reduplicativis nota, eas sufficienter exponi per duas propositiones, quarum prima sit præiacens, secunda affermet, vel neget terminum reduplicatum esse rationem conveniendi prædicatum subiecto: v. g. hanc reduplicativam, scilicet: *homo in quantum rationalis est risibilis*, sic expones: *homo est risibilis, & ratio essendi talem est rationalis.* Si autem fuerit negativa: v. g. *non homo in quantum risibilis est rationalis*, sic expones: *vel homo non est rationalis, vel risibilitas non est ratio essendi talem.* Pro cuius clara intelligentia, nota, quod propositio præiacens in exponibilibus illa dicitur, quæ remanet, ablata particula excipiente, excludente,

vel reduplicante; v. g. præiacens huius: *tantum homo est rationalis*, est hæc: *homo est rationalis.*

4. Pro exclusivis exponendis nota primo, omnes exponibiles reduci ad quatuor genera supra relata: exclusivas autem primi generis exponi per duas propositiones, quarum prima, scilicet præiacens, sit particularis affirmativa: secunda universalis negativa. Quæ sunt secundi generis, exponi per universalem negativam præiacentem, & particularem affirmativam. Quæ sunt tertij generis, exponi per particularem negativam præiacentem, & universalem affirmativam. Quæ denique sunt quarti generis, exponi per universalem affirmativam præiacentem, & particularem negativam. Quæ omnia his dictionibus declarantur.

Iste, Regit, Proram, Clavo;

Per primam dictionem designantur propositiones exponentes exclusivas primi generis debere esse particularem affirmativam, & universalem negativam designatas per illas vocales, I, & E. Secunda pertinet ad exclusivas secundi generis, & sic de reliquis.

5. Nota secundo propositiones correspondentes primæ particulæ, & tertiæ, scilicet, *Iste*, & *Proram*, vniendas esse per coniunctionem &, quæ autem correspondent alijs dictionibus, scilicet, *Regit*, & *Clavo*.


Quest. XIII. Quid, & quotuplex sit exponibilis?

Clavo disiungendas esse per particulas, vel. Quæ omnia in-

iste resignatum cum Pro copula pandit.

Disiunctiva Regit, cum Clavo dictio solvit.

Nota etiam exclusivas, & ris contradictorie opponi cum earum exponentes primi generis illis, quæ sunt quarti generis, contradictorie opponi cum per- contrariasque, & subcontrarias, tinentibus ad secundum genus; & cætera quæ dicta sunt sequens & etiam quæ sunt tertij gene- tibi demonstrat figura.



6 Hæc ergo tabella clare demonstrat, qua ratione exclusivæ exponi debent, qualesque habeant contradictorias, cōtrarias, & subcontrarias, necnon subalternas. Nota autem exceptivas tres exponentes requirere, quibus, ni fallor, magis obscurantur, quam declarantur, ideoque ab ipsis abstinere placet. Sufficiens di-

cta pro re satis obscura, & parum utili.

QVÆSTIO XIV.

An eadem propositio mentalis possit transire de verâ in falsam?

LICET Textum summularum stillo brevi dare decreverim,

rim, non impōrtūnum iudicavi
 duat ad calcem huius secundi li-
 bri quæstionibus ingenio exercitan-
 do aptissimas inferere, pro libito
 magistri, & discipulorum captu
 explicandas: & quia valde condu-
 cunt ad perfectam notitiam cō-
 parandam de essentia, significa-
 tione, & oppositione propositio-
 num, de quibus in hoc secundo
 libro actum relinquimus, & quia
 in eis doctrina statuitur centu-
 tandis pluribus externorum opi-
 nionibus utilissima. Et in primis
 circa præsentem suppono ut in-
 dubium, propositionem necessa-
 riam, quæ, scilicet, est de obiecto
 necessario, non posse transire de
 vera falsam, nam aliàs non ne-
 cessaria, sed contingens foret;
 idemque dicendum de propo-
 sitione mentali supernaturali,
 quia nullus actus supernatura-
 lis potest unquam esse falsus, ut
 communissima fert sententia.
 Quæstio igitur præsens solum
 procedit de propositione natura-
 li de obiecto contingenti, v. g.
Petrus sedet.

I Circa quam prima
 sententia est negativa, quam de-
 fendit Hurtado, Arriaga, Iz-
 quierdo, Franciscus Alphonsus,
 Spinula, Compton, Oviedo,
 Soarez Lusitanus. Secundam
 sententiam huic contrariam, &
 affirmativam defendunt, Huer-
 tos, Ioannes à S. Thoma, Caye-
 tanus, Nazarius, Eminentissi-
 mus Aguirre Prado, & com-
 munitè Thomistæ. Necnon ex
 Iesuitis Suarez, Conimbricenses,

Quiros, & alij. Estque expressa
 Aristotelis, qui in prædicamen-
 tis cap. de substantia expresse
 ait quod *eadem ratio potest transi-
 re de vera in falsam.* Vbi ponit
 exemplum in hac oratione *Sorte
 sedet*, quæ, Sorte sedente,
 est vera, & iurgente, falsa: quem
 sequitur Div. Thom. prima
 parte, quæst. 14. art. 15. ad ter-
 tium, ubi pro inconvenienti
 infert, quod *sequeretur quod pro-
 positio, quæ semel est vera, esset
 semper vera, quod est contra Philos.*
 pro qua sententia sit.

Nostra conclusio.

2 PROPOSITIO Mentalis
 contingens potest transi-
 re de vera in falsam.

Probatur exemplo, quo utitur
 D. Thom. & Phil. Hæc pro-
 positio mentalis contingens,
Petrus sedet potest transire de
 vera in falsam: ergo propositio
 mentalis contingens potest tran-
 sire de vera in falsam. Antece-
 dens probatur: potest accidere
 quod Petrus sedeat in instati A,
 & surgat in instanti B; sed in hoc
 casu transit de vera in falsam: er-
 go prædicta propositio potest
 transire de vera in falsam. Mi-
 nor, in qua sola stare potest
 difficultas, probatur: quia in
 instanti A est vera, & in instan-
 ti B est falsa: ergo transit de
 vera in falsam. Antecedens pro-
 batur: hæc propositio *Petrus
 sedet* est vera, quando sedet, &
 falsa, quando non sedet; sed

supponimus Petrum sedere in instanti A, & ipsum non sedere, sed surgere in instanti B: ergo prædicta propositio est vera in instanti A, & falsa in instanti B.

3. Huic rationi, quæ luce clarior videtur, advertarij respondent, quod vel illa propositio in instanti A repræsentabat, Petrum sedere in ipso, & nihil aliud repræsentabat: vel repræsentabat Petrum sedere in instanti A, & B: vel repræsentabat Petrum sedere disiunctim, vel in instanti A, vel B: nihil enim aliud potest repræsentare: si primum, in utroque instanti erit vera; quia in utroque instanti est verum quod Petrus sedet in instanti A, si secundum, in utroque instanti erit falsa, nam falsum est in quolibet ex illis instantibus Petrum sedere in utroque, cum in vno surgat: Si denique tertium, vera erit in utroque instanti, cum semper verum sit Petrum sedere in instanti A, vel B, ex suppositione quod sedeat in A. Vnde quocumque modo repræsentet sessionem, prædicta propositio non potest in vno instanti esse vera, & in altero falsa.

4. Hæc solutio est totale fundamentum opinionis advertarij; sed vide quã facile elidatur. Dico enim quod nihil repræsentat modo aliquo ex enumeratis: sed ita quod propositio hæc: *Petrus sedet*, in instanti A, repræsentat Petrum sedere in instanti A, & in illo instanti ni-

hil aliud repræsentat: at vero in instanti B, iam non repræsentat Petrum sedere in instanti A, sed solum repræsentat Petrum sedere in instanti B, & sic in sequentibus instantibus. Ex quo sequitur quod, si Petrus sedet in instanti A, in illo instanti erit vera; si vero sedeat, si vero non in sequentibus, quia de hoc non curat in instanti A. Si autem non sedeat in instanti B, in illo erit falsa, si vero sedeat, si vero non in instanti A, quia huius instantis non meminit in instanti B.

5. Ex quo sic rursus insurgo contra solutionem, probando conclusionem. Prædicta propositio est falsa, quando affirmat falsum, & vera, quando affirmat verum: sed in instanti A affirmat verum; in instanti B affirmat falsum: ergo in primo est vera, & in secundo falsa. Maior est certa, minor probatur; in instanti A affirmat Petrum sedere in ipso instanti A, & in instanti B affirmat Petrum sedere in ipso instanti B: sed Petrum sedere in instanti A verum est; & ipsum sedere in instanti B, falsum: ergo prædicta propositio in instanti A affirmat verum, & in instanti B affirmat falsum. Maior probatur: prædicta propositio significat de præsentis Petrum sedere: sed duratio sibi præsens in instanti A, est ipsum instans A, & duratio sibi præsens in instanti B, est ipsum instans B: ergo in instanti A, significat Petrum sedere pro instanti A, & in-

stanti A pro instanti B.

7 Sed dices, quod si in instanti A significat, aut repræsentat sedere Petrum in instanti A, & in instanti B, sedere Petrum pro in instanti B, non erit eadem propositio in utrolibet instanti, quia in primo repræsentabit distinctum obiectum, ac in secundo, quia in primo repræsentat sessionem pro primo, non autem sessionem pro secundo, & in secundo repræsentabit sessionem pro secundo, non autem pro primo, quæ sunt obiecta distincta; cum autem, variata repræsentatione, non manet eadem propositio, inde est quod si verum est quod probamus, non erit eadem mentalis propositio in utrolibet instanti.

8 Sed contra; quia potius ex adversa sententia sequitur non esse eandem propositionem in instanti B, ac erat in instanti A. Quod sic probo: in instanti A repræsentat cursum pro instanti A sibi præsentem, & instanti B significat etiam cursum Petri pro instanti A, ut sit idem quod in utroque instanti repræsentat: sed hoc ipso in instanti B est distincta propositio ab ea, quæ erat in instanti A: ergo. Probo minorem hoc ipso in instanti A, est propositio de præsentem, quia significat sessionem pro eodem instanti A, & instanti B est propositio iam de præterito, quia significat sessionem pro instanti A iam præterito; sed propositio de præsentem essentialiter est

distincta à propositione de præterito, utpote habens diversum modum repræsentandi: ergo hoc ipso quod propositio in primo instanti A affirmet sessionem pro ipso, & in B affirmet ipsam sessionem pro instanti A iam præterito, erit distincta propositio in secundo, ac in primo:

9 Confirmatur: hæc propositio *Petrus sedet* per suam essentialitatem est propositio de præsentem: ergo in quolibet instanti, in quo existat, significabit obiectum pro duratione sibi præsentem: ergo pro instanti A significat sessionem pro duratione sibi præsentem, & in instanti B significabit etiam sessionem pro duratione sibi præsentem, & consequenter, ut sit essentialiter eadem propositio, debet in instanti A repræsentare sessionem pro ipso A, & in instanti B pro ipso B; alias enim in vno esset de præsentem, & in altera de præterito.

9 Urgetur; propositio supponitur eadem essentialiter in utroque instanti: ergo sicut in primo erat de præsentem, etiam in secundo: ergo sicut in primo repræsentabat de præsentem, ita in secundo; sed in primo solum primum est sibi præsentem, & in secundo secundum: ergo in primo solum repræsentabat suum obiectum pro primo, in secundoque pro secundo.

11 Urgetur amplius; quia hæc propositio *Petrus sedet*, vel potest aliquando significare pro tempore, & duratione, sibi absen-

absente, vel non. Si primum: ergò non erit falsa, etiã si Petrus surgat de præsentia, consequenter que, qui absolutè affirmat *Petrus sedet*, non dicit falsum, licet Petrus de præsentia non sedeat, dummodo antea, vel postea sedeat; quia illa propositio non affirmat à fortiori sessionem de præsentia. Si autem dicatur secundum: ergò illa propositio, quotiescumque existat, significabit de præsentia, & consequenter in instanti A significabit suum obiectum pro eo instanti, & in instanti B pro instanti B.

11 Propter hæc, & alia P. Izquierdo, in sua Pharo scientiarum, asserit, quamlibet propositionem esse essentialiter alligatam suo determinato instanti, ita ut una, & eadem non possit existere in duplici instanti, quia si in primo repræsentat obiectum pro primo, & in secundo repræsentat obiectum pro secundo, quid distinctum repræsentat in primo, ac in secundo, ac per consequens erit distincta in uno, ac in alio; si vero in primo repræsentat obiectum pro primo, & in secundo repræsentat etiam obiectum pro primo, in primo erit de præsentia, & in secundo erit de præterito, ac per consequens erit etiam distincta in uno, ac in alio.

12 Sed contra hanc resolutionem singularem sic insurgo primo; quia est contraria communi omnium Authorum

sensui, omnes enim supponunt propositionem posse permanere eandem, alias questionem non disputarent. Secundo; quia destruit suppositum questionis, si enim eadem propositio non potest durare plusquam pro uno instanti, stulte disputabitur, an pro uno possit esse vera, & pro sequenti falsa? Tertio quia stat optimè propositionem repræsentare suum obiectum in primo instanti pro ipso, & in secundo pro secundo, quin varietur propositio: ergò ruit fundamentum prædicti Authoris. Probo antecedens: non minus est de essentia relationis prædicamentalis respicere eundem terminum, quam de essentia propositionis repræsentare idem obiectum; sed primo non obstante, stat optimè eandem relationem esse, & permanere in primo, & secundo instanti; licet in primo respiciat terminum, ut existens pro primo, & in secundo respiciat eundem terminum, ut existens pro secundo: ergò stabit optimè, propositionem manere eandem in primo, & secundo instanti, licet in primo repræsentet obiectum pro primo, & in secundo pro secundo.

13 Confirmatur primo; licet relatio prædicamentalis respiciat terminum in primo instanti, ut existens in ipso, & in secundo, ut existens in secundo, non sequitur quod respiciat distinctum terminum in primo; ac

ac secundo sufficienti distinctione ad diversificandam relationem: ergo licet propositio in primo instanti repræsentet obiectum, ut existens in ipso, & in secundo, ut existens pro secundo, non sequitur quod respiciat, seu repræsentet distinctum obiectum in primo, ac in secundo instanti, distinctione sufficienti ad diversificandam propositionem.

14 Urgetur: non minus est de ratione relationis prædicamentalis respicere terminum sibi præsentem, quam de ratione propositionis de præsentem repræsentare obiectum sibi præsens: sed cum primo optimè componitur relationem in quolibet instanti respicere suum terminum, ut sibi præsentem, quin varietur in quolibet instanti: ergo cum secundo optimè componitur quod propositio de præsentem in quolibet instanti repræsentet obiectum, ut sibi præsens, quin varietur in quolibet instanti.

15 Confirmatur secundo visio oculi corporei non minus exigit obiectum sibi præsens, & idem, seu in variatum, quam actus intellectus affirmans de præsentem: sed visio ocularis potest existere in duobus instantibus, permanentem eadem, licet in primo repræsentet obiectum, ut sibi præsens, & in secundo similiter, ut sibi præsens: ergo similiter licet eadem propositio mentalis repræsen-

ter in primo instanti obiectum, ut sibi præsens, & in secundo similiter, ut sibi præsens, poterit permanere eadem, & invariabilis.

16 Respondebis: relationem, & visionem non respicere tempus ex parte obiecti, sed solum terminum. Undè licet varietur tempus existentiae termini, non variatur relatio, aut visio; ac vero propositio mentalis repræsentat ex parte obiecti tempus, seu obiectum ut mensuratum tempore, ac proinde, variato tempore, variatur obiectum eius repræsentationis: ratio autem, quare repræsentat tempus est quia repræsentat cum tempore.

Sed contra primo: quia propositio de præsentem respicere tempus præsens nihil aliud est, quam significare obiectum, ut mensuratum tempore sibi præsentem: sed etiam relatio prædicamentalis essentialiter respicit terminum, ut mensuratum tempore sibi præsentem: ergo in hoc quod est respicere tempus non datur disparitas inter relationem prædicamentalem, & propositionem. Explicatur: licet propositio repræsentet obiectum cum tempore, tamèn directè, & signatè non significat tempus, aliud enim est significare tempus, & aliud significare cum tempore, ut supra explicatum manet, nam significare cum tempore præsentem non est significare directè, & expresse tempus præ-

præsens, sed significare obiectum, ut exercite fluentem tempore sibi præfenti. Tunc sic, sed sicut propositio de præfenti tali modo repræfentat obiectum, quod illud non respiciat, nisi ut exercite præfens, ita similiter relatio prædicamentalis: ergo in hoc, quod est respicere tempus, non datur discrimen quantum ad subiectam materiam inter propositionem de præfenti, & relationem prædicamentalem.

17 Contra secundo: ideo relatio prædicamentalis non variatur, etiam variato tempore, quia tempus solum variatur penes hoc, vel illud instans, remanente tamen in ratione præfentis; si enim variaretur penes præfens, & præteritum, iam non esset eadem relatio, sed quæ respiceret terminum, ut præfentem, esset prædicamentalis, quæ autem respiceret illum, ut præteritum, esset alterius generis: ergo similiter licet, variato tempore penes præfens, & præteritum, varietur propositio, tamen licet varietur penes hoc, vel illud instans, remanente tamen ratione præfentis, non variabitur propositio.

18 Ex quo colliges, propositionem significare cum tempore non esse: quod potius repræfentet obiectum pro instanti hoc A v. g. quam pro B: sed quod potius repræfentet obiectum pro præfenti, quam pro futuro, Tempus ergo per se,

& essentialiter correspondens ex parte obiecti propositioni de præfenti, est præfens: quod autem sit instans A, vel B, hoc per accidens est, & de materiali respectu propositionis sumptæ secundum se; licet non respectu propositionis ut existentis in instanti A v. g. quia pro ut in illo existens repræfentat necessario obiectum pro illo, quia pro ut in illo existens, illud solum est sibi præfens.

Solvuntur Argumenta:

19 **O**BIICIUNT. ergo primo: implicat, quod propositio in instanti A sit vera, & in instanti B sit falsa eadem manens; sed non aliter posset transire de vera in falsam: ergo. Maior, quæ sola difficilis est, probatur; implicat quod propositio eadem manens non repræfentet idem obiectum in vno, ac in alio instanti; sed si idem omnino repræfentat in vno, ac in alio instanti, non potest in vno esse vera, & in altero falsa: ergo implicat quod eadem manens in vno, ac in altero instanti, in vno sit vera, & in altero falsa. Minor probatur: esse veram propositionem est quod eius obiectum se habeat, sicut per ipsam repræfentatur, & non esse veram est quod ita non se habeat: sed implicat quod idem omnino obiectum ita se habeat, & ita non se habeat: ergo implicat quod in vno instan-
ti

ti sit vera, & in altero falsa, si idem omnino in utroque representat obiectum.

20 Facile responderetur, distinguendo hanc ultimam minorem; non potest idem ita se habere, & ita non se habere in eodem instanti, concedo minorem. in duobus instantibus, nego minorem. Licet enim impossibile sit idem simul esse, & non esse, non tamen idem nunc esse, & postea non esse: unde stat optimè obiectum per propositionem affirmatam in vno instanti ita esse, & in altero ita non esse, ac per consequens ipsam propositionem in vno esse veram, & in altero falsam.

21 Sed contra hanc solutionem insurgunt contrarij; quia hæc propositio *Petrus sedet*, si semel affirmat idem obiectum in utroque instanti, & in vno falsa est, & in altero vera, sequitur idem omnino simul esse, & non esse: ergò ruit solutio. Probatür sequela, quia si semel affirmat idem omnino in utroque instanti, sicut in instanti A affirmat sessionem pro ipso A, ita in instanti B affirmabit sessionem pro instanti A; sed si ita affirmat, & in primo est vera, in secundo falsa, sequitur sessionem esse in instanti A, & non esse in instanti A, ac per consequens idem simul esse, & non esse: ergò. Minor probatur; quia si semel in primo instanti affirmat sessionem pro instanti A, & est vera, dabitur in illo instanti sessio, &

si in secundo instanti affirmat etiam sessionem pro instanti A, & est falsa, non dabitur sessio pro instanti A: ergò dabitur sessio, & non dabitur sessio pro instanti A.

22 Respondeo, negando sequelam. Ad cuius probationem distinguo minorem; si affirmat idem omnino, ut existens pro eadem duratione realiter, concedo maiorem; si affirmat idem omnino, ut existens pro diversa duratione realiter, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia licet idem affirmet in vno, ac in altero instanti, nimirum Petrum sedere; tamen non affirmat illud pro eodem instanti, & duratione realiter, sed pro diversa realiter duratione; nam in prima affirmat sessionem pro prima, & in secunda pro secunda; quia semper est propositio de presenti, & semper affirmat pro duratione sibi presenti.

23 Vrgabis: quia ex hoc sequitur, quid diversum significare in vno, ac in altero instanti: ergò non significat idem omnino in vno, ac in altero instanti. Probatür sequela; in primo instanti representat Petrum sedere pro primo instanti, & in secundo representat Petrum sedere pro secundo; sed Petrum sedere pro primo est quid diversum ab eo, quod est Petrum sedere pro secundo: ergò quid diversum.

Q. XIV. An eadem propositio mentalis possit, &c. 83

sum significat in primo, ac in secundo.

24 Respondeo, distinguendo sequelam; sequitur quid diversum significare in vno instanti, ac in altero, de significato directo, & signato, nego sequelam; quoad tempus indirectè, & exercitè significatum, sub distinguo, quid diversum materialitèr, & per accidens ad diversificandam propositionem, concedo sequelam; diversum formalitèr, & per se ad diversificandam propositionem, nego sequelam. Ad cuius probationem similiter distinguo maiorem, in primo instanti repræsentat Petrum sedere pro primo instanti, & in secundo pro secundo, instantibus directè, & signatè repræsentatis, nego maiorem: indirectè, & exercitè, concedo maiorem: & distinguo minorem, Petrum sedere pro primo instanti est quid diversum ab eo, quod est Petrum sedere pro secundo, diversum inquam formalitèr, & per se in ordine ad diversificandam propositionem, nego minorem: diversum materialitèr, concedo minorem, & nego consequentiam in sensu iam dicto.

25 Itaque illa propositio, *Petrus sedet* prolata, seu concepta in instanti A significat sessionem pro instanti A, non quidem significando directè durationem sessionis in instanti A eo modo, quo significatur per hanc propositionem, *Petrus se-*

det in instanti A; sed indirectè, quatenus significat sessionem de præsentis, & ut fluentem, seu se exercentem actu, & actu non datur aliud instans, nisi A. Ex quo sequitur dictam propositionem secundum se sumptam solum significare sessionem pro tempore sibi præsentis, hocque illi per se convenire; ac vero significare sessionem pro instanti A, aut pro instanti B, illi per se, & secundum se sumptæ non convenit, sed ratione durationis; qua proptèr ipsa solum habet per se repræsentare de præsentis: cum autem contingens sit, & per accidens quod instans præsens sit A, vel B, per accidens est quod repræsentet sessionem pro instanti B, vel pro instanti A, ac per consequens insufficientis ad diversificandam propositionem; quia licet ipsa nunc respiciat instans A, & postea B exercitè, & indirectè, non respicit per se, & formalitèr instans A quatenus tale, sed quatenus præsens: repræsentat ergo instantia diversa materialitèr, non autem formalitèr: quod necessarium erat ad diversificandam propositionem.

26 Explicatur hoc in his tribus propositionibus: *Petrus sedet: Petrus sedebit: Petrus sedit*, quarum prima proferatur in instanti A, secunda immediatè antea, tertia immediatè post, ac per consequens omnes repræsentabunt sessionem pro eodem instanti; quia prima de futuro repræ-

repræsentabit pro instanti sequenti, quod est A, secunda pro ipso instanti A; quia in illo præteritur, & est de præterito, tertia pro eodem instanti A immediate antecedenti. Ecce ubi tres illæ propositiones repræsentant eandem sessionem pro eodem instanti; & tamen nemo dicit illas propositiones non esse formaliter distinctas, cum vna sit de præterito, & alia de præterito, & alia de futuro: ergo stat optimè diversas essentialiter propositiones repræsentare idè obiectum pro eodem instanti: ergo stabit eandem propositionem repræsentare idem obiectum pro diversis instantibus. Probo hanc ultimam consequentiam primo; quia quando diversitas ex parte obiecti diversificat actum, & unitas unificat actum: sed dicto in casu unitas instantis non unificat illas propositiones: ergo, & in nostro casu diversitas instantis non diversificat propositionem. Secundo; quia ideo illæ propositiones non diversificantur, licet significant pro eodem instanti, quia illud respiciunt diverso modo, & sub distincta ratione formali; quia vna illud respicit sub ratione presentis, alia sub ratione futuri, & alia sub ratione præteriti; sed in nostro casu, licet propositio respiciat instantia diversa, illa tamen semper respicit eodem modo, & sub eadem ratione formali: ergo semper manebit eadem, nunquamque diversificatur.

27 Non quiesces; illa propositio per se, & essentialiter significat pro instanti sibi præterito: ergo vel per se, & essentialiter significat pro omni instanti sibi præterito, vel tantum pro aliquo determinato ex sibi præteritis. Si primum, semper erit falsa; quia semper falsum est Petrum sedere pro omni instanti sibi præterito. Si secundum semper erit vera; quia semper verum est Petrum sedere pro aliquo instanti sibi præterito. Explicatur: si illa propositio *Petrus sedet* significat pro omni instanti sibi præterito, æquivaleret huic *Petrus sedet pro omni instanti mihi præterito*; si vero significat pro aliquo instanti determinato sibi præterito, æquivaleret huic, *Petrus sedet pro aliquo instanti mihi præterito*: sed prima propositio semper est falsa, secunda vero semper est vera, ex suppositione quod Petrus sedeat in instanti A sibi præterito, & non in instanti B sibi etiam præterito: ergo implicat quod prædicta propositio nunc sit vera, nunc falsa, quocumque modo repræsentet.

28 Respondeo, concessio antecedenti, distinguendo consequens, quoad primam partem, per se, & essentialiter significat pro omni instanti sibi præterito successivè, hoc est, nunc pro vno, postea pro alio, concedo consequentiam: simul, hoc est, nunc pro omnibus, nego consequentiam. Ex quo

Q. XIV. An eadem propositio mentalis possit, &c. 84

quo non sequitur semper esse falsam; sed solum quando significat pro eo instanti, in quo Petrus non sedet. Ex quo etiam patet ad explicationem, distinguendo maiorem quoad primam partem: si significaret pro omni instanti sibi presenti simul & collectivè, concedo maiorem: si successivè significaret pro omni instanti sibi presenti, nego maiorem: cum autem solum hoc modo significet pro omni instanti sibi presenti; inde est quod non equivaleret propositioni illi, quæ collectivè, & simul significat sessionem pro omni instanti sibi presenti.

29 Omnia hucusque dicta possunt confirmari exemplo visionis intuitivæ, quæ essentialiter respicit obiectum, ut sibi præsens, & in relatione prædicamentali, quin ex hoc sequatur quod in vno instanti respiciat obiectum, seu terminum, ut existentem in alio, in quo etiam fuit sibi præsens. Potestque intari argumentum, quia relatio prædicamentalis (idem dicendum de visione intuitiva) respicit suum terminum, ut existentem in omni instanti sibi presenti: ergò in instanti A respicit suum terminum, ut existentem in instantibus præteritis: quæ sibi fuerunt præsentia, quod nemo concedet: cuius consequentiæ falsitas non aliter potest dignosci, quam solutione à nobis tradita, quia scilicet re-

latio prædicamentalis respicit suum terminum successivè, ut existentem in omni instanti sibi presenti, hoc est, in primo respicit terminum, ut existentem in primo, in secundo, ut existentem similiter in secundo, &c.

30 Obijcies secundò hæc propositio *Christus veniet*, quæ prolata fuit ab Abraham; & nunc reperitur in Scriptura, seu in Veteri Testamento, etiam nunc repræsentat pro eodem tempore, pro quo tunc significabat, id est pro tempore, quod erat futurum respectu Abraham; si enim repræsentaret pro tempore nunc futuro, esset manifestè falsa, quod nefas videtur de propositione reperta in Scriptura; ergò propositio, quæ semel significabat pro aliquo determinato tempore, semper pro eodem tempore significat: ergò propositio, quæ semel significat pro instanti A, semper significabit pro instanti A; ac per consequens, si semel est vera, semper erit vera, & si semel falsa, semper erit falsa. Respondeo imprimis; argumentum nimis probare; quia probat Iudeos, nunc absolute pronuntiantes *Christus veniet*, nihil falsum pronuntiare, sed verum affirmare & credere, quo nihil absurdius ex cogitari potest. Sequela patet, nam iuxta argumentum illa propositio nunc etiam est vera. Un-

de ad argumentum respondeo, quod propositiones scriptæ significant semper pro eo tempore, pro quo significabant, quando scriptæ fuerunt ab auctore illarum, ut patet in epistola scripta Matrini sex ab hinc diebus, in qua mihi, v. g. scribitur ita: *hodie agitantur tauri in hac curia*, et si enim nunc legam in epistola prædicta verba, non significant mihi quod hodie, quando epistolam lego, agitantur tauri, sed solum significant agitationem taurorum pro ea duratione, pro qua epistola scripta est: & ratio huius est; quia propositio scripta solum manifestat conceptum sui auctoris, quem formabat, quando illam scribebat; cum autem ille conceptus tunc solum repræsentaret pro tempore sibi præsentate tunc, vel sibi futuro; inde est quod propositio, quæ tunc scripta est, & manifestat suum obiectum medio illo conceptu prout tunc existente, quamvis duret pro tota æternitate, semper repræsentabit pro tempore, quo repræsentabat conceptus auctoris, dum illam scribebat. Ex hoc sequitur propositionem repertam in veteri Testamento, asserentem ita: *Christus nascetur*, semper significaturam pro eodem tempore, pro quo tunc significabat, seu repræsentabat conceptus auctoris: at vero propositio mentalis de præsentate, quandiu durat, repræsentat de præse-

ti, si enim per totam horam permanenter assermet *Petrus sedet*, per totam horam repræsentat sessionem de præsentate, quia non repræsentat ratione alterius propositionis futuræ, aut præteritæ, sed ratione sui, quæ semper est de præsentate.

31 Obijcies tertio: actus voluntatis nequit transire de bono in malum: ergo nec actus intellectus de vero in falsum. Respondeo imprimis negando antecedens: nam sum in ea sententia, quod idem actus voluntatis possit transire de bono in malum, non præcisè quia eius obiectum possit transire de licito in prohibitum, sed etiam quia cognitio regulativa illius potest transire de recta in erroneam culpabiliter; si nimirum variato obiecto de honesto in prohibitum, instet de novo obligatio inquirendi veritatem, intellectusque negligenter persistat in dictamine antecedenter recto, quod, variato obiecto, consequenter sit erroneum. Vel secundo reddo disparitatè; quia actus voluntatis non redditur malus formaliter per hoc præcisè, quod obiectum eius sit re ipsa prohibitum, nec formaliter bonus per hoc præcisè quod sit re ipsa honestum, sed regulatur immediatè per honestatem, vel inhonestam, ut cognitam, & propositam per intellectum; & cum idem actus voluntatis non possit nunc respicere obiectum, ut hoc modo

Q. XV. An ex duabus propositionibus idem omnino, &c. 76

do propositum per intellectum, & postea illud respicere, ut aliter propositum, ideo non potest nunc esse bonus, & postea malus formaliter: attamen propositio dicitur vera, vel falsa ex eo quod obiectum ita sit, vel non sit in re, non ex eo quod ita, vel non ita repræsentetur intellectui; & cum possit idem actus intellectus nunc repræsentare obiectum, quod nunc ita sit in re, & post id ipsum repræsentare, quando ita non sit in re; ideo potest nunc esse verus & postea falsus.

32 Ex quo sic argumentum retorqueo contra adversarios: si posset actus voluntatis nunc tendere in obiectum propositum ut honestum, & postea in idem obiectum propositum ut in honestum, revera posset transire de bono in malum iuxta omnes, quia regula bonitatis, vel malicie est obiectum ut propositum; sed regula veritatis est obiectum prout in re, & potest idem actus intellectus tendere nunc in obiectum in re existens, & postea in obiectum in re non existens: ergo poterit transire de vero in falsum



QVÆSTIO XV.

Verum ex duabus propositionibus idem omnino representantibus, possit una esse vera, & altera falsa?

EO Præsentem quaestionem exagitare decrevi, quia licet illam in terminis nullibi viderim, tamen ex eius resolutione pendet intelligentia plurium tractatum, & quaestionum totius Philosophiæ, & Metaphysiæ, necnon Theologiæ: quapropter eam in presenti ubi de essentia, & oppositione propositionum sermo est, dilucidare decrevi. Sit ergo.

Nostra sententia generaliter præbatur.

EA Est: Nulla datur propositio idem omnino ex parte obiecti representantes, quarum una sit vera, & altera falsa. Est contra plerosque Societatis AA. eam in pluribus casibus particularibus negantes. Censendaque est communis Thomistarum, neminem enim illi contradicentem inveni: imò eam Thomisticis doctrinis valde consonam esse, patet ex dicendis hic, & in tota Metaphysica, Logica, & Theologia.

3 Quapropter universiter de omnibus, & quibuslibet

propositionibus probatur conclusio: implicat contradictionem idem simul esse, & non esse: sed si duarum propositionum, idem omnino ex parte obiecti representantium, una esset vera, & altera falsa, idem simul esset, & non esset: ergo implicat duarum propositionum, idem ex parte obiecti representantium, unam esse veram, & alteram falsam. Minor, in qua est difficultas, probatur; ut aliqua propositio sit vera, debet esse quod per ipsam representatur, ut autem sit falsa, debet non esse quod per ipsam representatur: ergo si duae propositiones, una falsa, & altera vera, idem omnino representent, idem omnino erit, & non erit.

4 Urgetur: ut aliqua propositio sit vera necessarium est, quod detur id, quod representat, & ut aliqua sit falsa necessarium est, quod non detur quod representat: ergo si duae propositiones dentur idem omnino ex parte obiecti representantes, & alias una sit vera, & altera falsa, idem omnino dabitur, & non dabitur: quod non minus implicat, quam idem simul esse, & non esse.

5 Explicatur: & ponamus claritatis gratia illas propositiones esse A, & esse B, idemque omnino representare propositionem A, ac propositionem B, quo supposito, sic argumentor: propositio A vera est, & propositio B falsa est: ergo datur quod

representat propositio A, non autem quod representat propositio B; sed supponimus idem omnino utramque representare: ergo dabitur idem omnino, & non dabitur.

6 Dices, quod non repugnat idem omnino dari, & non dari diversis modis. Unde quod per propositionem A veram representatur, datur eo modo, quo representatur per ipsam, & quod per propositionem B falsam representatur, non datur eo modo, quo per ipsam representatur; minime vero implicat idem omnino dari, prout representatur per propositionem A, & non dari eo modo, quo per B representatur; quia hoc est dari vno modo, & altero modo non dari, quod nullam praefert contradictionem.

7 Sed contra, & claritatis gratia, ponamus quod modus, quo representat propositio A, est modus A, & modus, quo representat propositio B, est modus B, quo supposito, sic argumentor primo: propositio A representat suum obiectum dari modo A, & propositio B representat suum obiectum dari modo B: sed hoc obiectum dari modo A, & obiectum idem dari modo B, non est idem omnino ex parte obiecti; quia saltem modaliter distinguuntur: ergo praedictae propositiones non representant idem omnino ex parte obiecti, quod est contra suppositionem factam.

8 Vel aliter: si praedictae propositiones idem omnino ex parte obiecti

Q. XIV. An ex duabus propositionibus idem omnino, &c. 69

ti representant, implicat quod illud, quod representant, detur eo modo, quo representatur per propositionem A, & non detur eo modo, quo representatur per propositionem B: ergo si idem omnino representat ex parte obiecti, implicat, quod vna sit vera, & altera falsa. Antecedens probatur; si predictæ propositiones idem omnino ex parte obiecti representant, illud, quod representatur per propositionem A, illud idem, & eodem modo, quo representatur per A, representatur per propositionem B: sed si idem, & eodem modo, quo representatur per propositionem A, representatur per propositionem B, implicat quod illud detur eo modo, quo representatur per propositionem A, & non detur eo modo, quo representatur per propositionem B: ergo si idem omnino representatur per propositionem A, quod per propositionem B, implicat quod illud, quod representatur, detur eo modo, quo representatur per A, & non eo modo, quo representatur per B. Maior probatur; si predictæ propositiones idem omnino representant ex parte obiecti, representant idem non solum quoad rem representatam, sed etiam quoad modum, sub quo representatur: sed si representant idem quoad modum, sub quo representatur, quod representatur per propo-

sitionem A idem, & eodem modo representatur per B: ergo, &c.

9 Vergetur: hæc duæ propositiones *Petrus movetur velociter; Petrus movetur tarde* non representant idem omnino ex parte obiecti; non alia ratione, nisi quia licet significent idem quoad rem significatam, non autem idem quoad modum, sub quo illud representant, vna scilicet motum sub modo velocitatis, & alia sub modo tarditatis: ergo si predictæ propositiones idem omnino ex parte obiecti representant, debent idem, & sub eodem modo representare.

10 Dices predictas, propositiones, licet diverso modo representent id, quod representant, nihilominus idem omnino ex parte obiecti representant; quia ille modus diversus, seu illa diversitas modi non se tenet ex parte obiecti, sed solum ex parte actus; est enim solum diversitas in modo representandi, non autem diversitas in modo essendi ex parte obiecti.

11 Sed contra primo; quando duæ propositiones solum differunt in modo representandi ex parte actus, nullo autem modo differunt ex parte obiecti representati, implicat quod vna sit vera, & altera falsa; sed hoc modo se habent predictæ propositiones iuxta adversarios: ergo propositiones idem omnino ex parte obiecti representantes nequeunt vna esse vera, & altera fal-

sa. Maior probatur: ideo actus Angeli, affirmans Petrum esse hominem, & actus hominis, idem omnino affirmans ex parte obiecti, nequeunt vnus esse verus, & alter falsus, quia licet actus Angelicus representet simpliciter, & independenter à phantasmatis, actus vero humanus representet componendo, & cum dependentia à phantasmatis; hæc diversitas solum est in modo representandi ex parte actus, non autem ex parte obiecti: ergo licet duæ propositiones diverso modo representent ex parte actus, si tamen idem omnino, & nullo modo diversum ex parte obiecti representent, nequeunt vna esse vera, & altera falsa.

12 Confirmatur: quia vel illæ propositiones diverso modo representantes obiectum, representant obiectum diverso modo se habere ex parte sui, vel representant obiectum eodem modo se habere ex parte sui. Si primum, illa diversitas modi evidentè se tenet ex parte obiecti. Si secundum, nequit facere quod vna sit falsa, & altera vera: ergo si prædictæ propositiones idem, & eodem modo representent ex parte obiecti, nequeunt vna esse vera, & altera falsa. Minor, quoad primam partem, probatur: quia, si semel propositiones representant obiectum idem, & eodem modo se habere ex parte

sui, quod hoc, modo diverso ex parte actus representent, quo modo potest facere quod vna sit vera, & altera falsa? Quod enim Deus infinite cognoscat Petrum moveri velociter, ego autem id ipsissimum cognoscam finito, & limitato modo, quomodo faciet quod Deus cognoscat verum, ego autem cognoscam falsum? Quod tamen non alia ratione impossibile est, nisi quia modus finitus, aut infinitus se tenet ex parte actus, non autem representatur ex parte obiecti.

13 Contra secundo: ex illis duabus propositionibus, propositio B est falsa, quia eius obiectum non se habet ex parte sua eo modo, quo per ipsam representatur: ergo ille modus non solum se tenet ex parte actus, sed etiam representatur ex parte obiecti. Probo consequentiam; quod obiectum non se habeat ex parte sua eo modo, quo ex parte actus representatur, non facit propositionem falsam: sed obiectum non se habere eo modo, quo per propositionem B representatur, reddit illam falsam: ergo ille modus non solum se tenet ex parte actus, sed etiam representatur ex parte obiecti. Maior patet; quia licet ego spiritualiter representem per actum mei intellectus Petrum currere, & Petrus spiritualiter non currat, nemo dicit ob hoc illum actum sic representantem

rem esse fallum: at qui repræsentat obiectum, quod non se habet ex parte sua eo modo, ex parte actus repræsentatur: ergò quod obiectum non se habet ex parte sua eo modo, quo ex parte actus repræsentatur, nequit reddere propositionem falsam.

14. Confirmatur: quidquid deficit ex parte obiecti, ut aliqua propositio sit vera, repræsentatur per talem propositionem; quia nulla propositio desinit esse vera eo quod non detur ex parte obiecti, quod ipsa ex parte obiecti non repræsentat: sed ut propositio B sit vera, illi deficit ex parte obiecti quod se habeat eo modo, quo per ipsam repræsentatur: ergò ille modus, qui deficit ex parte obiecti, ut propositio B sit vera, repræsentatur per ipsam, & consequenter se tenet ex parte obiecti.

15. Urgetur: implicat quod aliqua propositio sit falsa, quin ex parte obiecti aliquid ipsi, deficiat ad sui veritatem, & implicat quod sit vera, quin habeat ex parte obiecti quidquid requiritur ad sui veritatem; quia veritas, vel falsitas semper regulatur per conformitatem, vel disconformitatem cum obiecto: ergo ex duabus propositionibus, quarum una est vera, & altera falsa, una debet habere ex parte obiecti quidquid requiritur ad sui veritatem, &

alteri debet deficere ex parte obiecti quod ad sui veritatem requiritur. Tunc sic: ergò aliquid requirit una, ex parte obiecti ad sui veritatem, quod altera non requirit. Patet consequentia; quia idem nequit deficere, & non deficere; sed vni deficit quod requirit, & alteri non deficit quod requirit: ergò aliquid requirit una ex parte obiecti, quod altera non requirit. Ulterius sic procedo: quidquid una requirit ex parte obiecti per ipsam repræsentatur, & quidquid altera non requirit per ipsam non repræsentatur: ergò aliquid repræsentatur per unam, quod non repræsentatur per alteram. Hæc ultima minor patet; quia quælibet propositio requirit ex parte obiecti quod per ipsam repræsentatur, & nulla requirit ex parte obiecti quod per ipsam non repræsentatur.

16. Ex quo tertio sic arguo contra supra datam solutionem, supponendo modum, quo propositio B falsum obiectum repræsentat esse modum B: quo supposito, interrogo, an propositio B repræsentet suum obiectum se habere ex parte ipsius modo B, an vero hoc non repræsentet? Si primum; sic arguam: in hoc quod est obiectum se habere ex parte sui modo B, includitur modus B; sed illa propositio repræsentat ex parte obiecti, ipsum

obiectum se habere ex parte
 sui modo B: ergo repræsentat
 ex parte obiecti modum B: er-
 go modus B non solum se re-
 net ex parte actus, sed etiam
 repræsentatur ex parte obie-
 cti. Si vero dicant secundum:
 ergo propositio B non est fal-
 sa. Probo consequentiam; nul-
 la propositio est falsa, quia
 Petrus non currit, si talis pro-
 positio non repræsentat Pe-
 trum currere: ergo nulla pro-
 positio erit falsa, quia obie-
 ctum non se habet modo B,
 si propositio non repræsentat
 obiectum se habere modo B,
 & consequenter propositio B
 non erit falsa, licet obiectum
 ex sua parte non se habeat mo-
 do B.

17 Confirmatur: licet
 actus divinus repræsentet im-
 mutabiliter hominem, & homo
 non se habeat immutabiliter ex
 parte sui, non est falsus; quia
 licet immutabiliter repræsen-
 tet hominem, non tamen re-
 præsentat hominem ex parte
 sua se habere immutabiliter:
 ergo similiter licet actus re-
 præsentet obiectum modo B,
 & obiectum non se habeat mo-
 do B, actus non erit falsus, si
 non repræsentat obiectum
 ex parte sua se habe-
 re modo B.

*Nostra conclusio probatur in par-
 ticulari, aliquibus dedu-
 ctis corollaris.*

18 **E**X Dictis inferes pri-
 mo, duas proposi-
 tiones contradi-
 ctorias non repræsentare idem
 omnino ex parte obiecti. Est
 contra plures Recentiores So-
 cietatis. Et patet ex ratione
 tradita; quia duarum contra-
 dictoriarum vna est vera, &
 altera falsa: sed ex dictis duæ
 propositiones, quarum vna est
 vera, & altera falsa, nequeunt
 idem omnino repræsentare: er-
 go duæ propositiones contra-
 dictoriæ nequeunt idem omni-
 no repræsentare.

19 Sed specialiter de
 contradictorijs probatur: duæ
 contradictoriæ repræsentant
 obiecta contradictoria: sed
 obiecta contradictoria non sunt
 omnino idem, cum idem non
 possit esse contradictorium sui
 ipsius: ergo duæ contradicto-
 riæ non repræsentant omni-
 no idem ex parte obiecti. Ma-
 ior, præter quamquod vide-
 tur evidens, probatur; duæ
 propositiones contradictoriæ
 non se contradicunt entitati-
 vè, seu in essendo, sed solum
 in repræsentando: sed se con-
 tradicere in repræsentando ni-
 hil aliud est, quam repræsentare
 obiecta sibi contradicen-
 tia: ergo propositiones contra-
 dictoriæ repræsentant obiecta
 sibi contradicentia, sive con-
 tra-

Q. XIV. An ex duabus propositionibus idem omnino, &c. 73

tradiçtoria. Minor patet; quia esse aliquid repræsentativè nihil aliud est, quam illud repræsentare, sicut imaginem esse Cæsarem in repræsentando nihil aliud est, quam illum repræsentare: ergo esse contradictorias propositiones repræsentativè, sive in repræsentando, est repræsentare contradictoria.

20 Confirmatur: oppositio contradictoria non datur inter ipsas propositiones formales propriè, & simpliciter: ergo datur solum inter eius obiecta, ac per consequens gaudet distinctis obiectis. Antecedens probatur: oppositio contradictoria non datur inter duo entia positiva propriè, & simpliciter: sed duæ propositiones formales contradictoriæ sunt duo entia positiva propriè: ergo inter eas non datur oppositio contradictoria propriè, & simpliciter.

21 Dices, vnum, & idem obiectum, prout cognitum affirmativè contradictoriè opponi sibimetipsi, prout cognitum negativè. Sed contra: idem obiectum potest deficere prout cognitum affirmativè, & prout cognitum negativè; casu enim quod nullo modo cognoscatur, deficeret ut cognitum, sive affirmativè, sive negativè: sed utrumque contradictorium nequit simul deficere: ergo obiectum prout cognitum affirmativè non est contradictorium

lui ipsius, ut cognitum negativè.

22 Contra secundo: obiectum, prout negativè cognitum, est distinctum ex parte obiecti à se ipso, prout affirmativè cognitum: ergo vnum contradictorium ex parte obiecti est ab altero distinctum, & consequenter duæ propositiones contradictoriæ non repræsentant idem omnino ex parte obiecti. Antecedens probatur: existentia Petri affirmativè cognita distinguitur ex parte obiecti à se ipsa negativè cognita: ergo obiectum affirmativè cognitum distinguitur à se ipso negativè cognitum ex parte obiecti. Antecedens probatur: cognitio affirmativa existentia Petri aliquid distinctum repræsentat à cognitione negativa illius ex parte obiecti: sed existentia affirmativè cognita nihil aliud est, quam id, quod repræsentatur ex parte obiecti per cognitionem affirmativam, & existentia negativè cognita quod repræsentatur per cognitionem illius negativam ex parte obiecti: ergo existentia affirmativè cognita distinguitur ex parte obiecti à se ipsa negativè cognita. Maior probatur: cognitio affirmativa existentia Petri repræsentat ex parte obiecti existentiam Petri, & cognitio negativa repræsentat carentiam, sive negationem existentia: sed carentia, sive negatio existentia ex parte obiecti est distincta ab existentia: ergo propositio, sive cog-

nicio negativa existentiae Petri aliquid distinctum repræsentat, ac cognitio affirmativa illius.

23 Ex quo secundo probatur corollarium; hæc propositio *Petrus existit* non repræsentat omnino idem, ac hæc *Petrus non existit*; ergò propositiones contradictoriæ non repræsentant omnino idem. Antecedens probatur: illa prima propositio, scilicet affirmativa, repræsentat existentiam Petri, secunda repræsentat negationem existentie Petri: sed negatio existentie Petri, & existentia Petri non sunt omnino idem: ergò illæ duæ propositiones non repræsentant omnino idem.

24 Dices propositionem negativam non repræsentare ex parte obiecti negationem; sed repræsentare negative existentiam Petri. Sed contra: repræsentare negativè existentiam Petri nihil aliud est, quam repræsentare negationem existentie Petri: sed propositio negativa per vos negativè repræsentat existentiam Petri: ergò repræsentat negationem existentie Petri. Maior probatur: repræsentare negativè existentiam Petri nihil aliud est, quam repræsentare negando existentiam Petri; sed propositio, sive cognitio non aliter negat existentiam Petri, quam repræsentando negationem illius: ergò repræsentare negativè existentiam Petri nihil aliud est, quam repræsentare illius negationem;

Minor probatur: cognitio non negat entitativè, seu in essendo existentiam Petri, alias non possent simul existere cognitio negativa existentie Petri, & ipsa existentia Petri: ergò solum negat existentiam Petri repræsentativè: sed negare existentiam Petri repræsentativè nihil aliud est, quam repræsentare negationem existentie Petri: ergò de primo ad ultimum cognitio non aliter negat existentiam Petri, quam repræsentando illius negationem.

25 Ultimo probatur corollarium: propositiones contradictoriæ sunt illæ, quarum una repræsentat hoc esse, altera repræsentat hoc non esse: sed hoc esse, & hoc non esse non sunt omnino idem ex parte obiecti; ergò propositiones contradictoriæ non repræsentant omnino idem ex parte obiecti. Minor probatur: Petrum esse potest dari ex parte obiecti: quin ex parte obiecti detur Petrum non esse, ac per consequens possunt separari ex parte obiecti Petrum esse, & Petrum non esse: sed quæ possunt separari ex parte obiecti distinguuntur ex parte obiecti: ergò Petrum esse, & Petrum non esse distinguuntur ex parte obiecti, & consequenter propositiones contradictoriæ, repræsentantes Petrum esse, & Petrum non esse, repræsentant quid diversum ex parte obiecti.

26 **P**ROPOSITIO Conditionalis, & absoluta non repræsentant idem omnino ex parte obiecti. Exempli gratia, *Petrus consentiret, si vocaretur, Petrus consentit.* Est contra plures Societatis Doctores, asserentes idem omnino repræsentare ex parte obiecti conditionalem, & absolutam sola distinctione ex parte actus; quia scilicet una repræsentat absolute, & alia modo conditionato; sed idem ex parte obiecti.

27 Sed contra hos Authores, primo patet corollarium ex dictis; quia duarum propositionum, idem omnino repræsentantium ex parte obiecti, nequit una esse vera, & altera falsa; sed potest propositio conditionalis esse vera, cum absoluta sit falsa, ut patet in exemplo appposito: ergo propositio conditionalis, & absoluta non repræsentant omnino idem ex parte obiecti. Maior, quæ sola poterat esse difficilis, est nostra conclusio abundè probata supra.

28 Deinde specialiter probatur corollarium: consensum Petri dari conditionatè, & Petrum consentire absolutè distinguuntur ex parte obiecti: sed propositio conditionalis repræsentat consensum Petri dari conditionatè, & absoluta Petrum consentire absolutè; ergo propositio conditionalis, & absoluta non repræsentant omni-

no idem ex parte obiecti. Maior probatur: ea, quorum unum potest deficere ex parte obiecti, altero ex parte obiecti non deficiente, possunt separari ex parte obiecti, ac per consequens ex parte obiecti distinguuntur: sed Petrum consentire absolute potest deficere ex parte obiecti, quin ex parte obiecti deficiat consensum dari conditionatè: ergo consensum dari conditionatè & consentire absolutè distinguuntur ex parte obiecti.

29 Explicatur: propositio conditionalis affirmat Petrum consentire; non affirmat Petrum consentire absolutè, quod affirmabat propositio absoluta; ergo affirmat Petrum consentire conditionatè, quod non affirmabat propositio absoluta; ergo propositio conditionalis affirmat Petrum consentire conditionatè, quod non affirmatur per absolutam, & è contra: ergo absoluta, & conditionalis non repræsentant omnino idem ex parte obiecti.

30 Dices eundem omnino consensum repræsentare propositionem absolutam, & conditionalem, minimèque dari duos consensum ex parte obiecti, alium conditionatum, alium absolutum: sed unus, & idem consensus ex parte obiecti repræsentatur, seu affirmatur conditionatè per conditionalem, & absolutè per absolutam, & quatenus affirmatur per primam vocatur conditionatus, & quatenus

tenus affirmatus per secundam vocatur absolutus.

31 Sed contra primo: fatemur enim eundem omnino consensum ex parte obiecti representari per absolutam, & per conditionalem propositionem: sed per conditionalem affirmatur illum dari conditionatè, & per absolutam illum dari absolute: sed dari eundem consensum absolute, & dari conditionatè distinguuntur ex parte obiecti, cum possit dari conditionate, quin detur absolute, & deficere absolute, quin deficiat conditionatè: ergò licet prædictæ propositiones eundem omnino consensum representent, non tamen idem affirmant omnino ex parte obiecti.

32 Confirmatur: aliter se habet consensus ex parte obiecti, quando existit absolute, ac quando existit conditionate: sed per conditionalem affirmatur consensus se habere ex parte obiecti eo modo, quo se habet, quando existit conditionate, & per absolutam affirmatur se habere ex parte obiecti eo modo, quo se habet ex parte obiecti, quando absolute existit: ergò aliter, & aliter ex parte obiecti affirmatur consensus per absolutam, & per conditionalem, & consequenter non representant omnino idem ex parte obiecti.

33 Contra secundo: consensus prout affirmatus conditionatè, distinguitur ex parte

obiecti à se ipso, prout absolute cognito: ergò conditionalis, & absoluta distinguuntur ex parte obiecti: ergò idem omnino non representant ex parte obiecti. Antecedens probatur: si consensus conditionatè affirmatus, & ipsemet absolute affirmatus distinguuntur in alio, præterquam in cognitione, distinguuntur ex parte obiecti: sed distinguuntur in alio, præterquam in cognitione: ergò distinguuntur ex parte obiecti. Maior patet; quia distinctio, quæ non tenet ex parte cognitionis, à fortiori debet se tenere ex parte obiecti. Minor vero probatur; existente utraque cognitione, tam conditionali, quam absoluta, potest consensus existere conditionatè, quin existat absolute: sed si consensus absolutus, & conditionalis solum distinguerentur in cognitionibus, & in nullo alio distinguerentur, impossibile foret, existente utraque cognitione, deficere consensum absolute, & existere conditionatè: ergò in alio, præter cognitionem, distinguuntur. Minor probatur primo exemplo; quia Petrus cognitus ab homine, & Petrus cognitus ab Angelo in nullo alio distinguuntur, quam in cognitionibus, implicat dari Petrum, prout cognitum ab Angelo, & non dari, prout cognitum ab homine, simul existentibus cognitionibus Angeli, & hominis: ergò similiter, si potest existere

Q. XV. An ex duabus propositionibus idem omnino, &c. 77

conditionatè consensus, & absolute deficiente, existentibus cognitionibus absoluta, & conditionali, in alio distinguuntur; quam in cognitionibus, existere absolute, & existere conditionatè.

33 Secundo, quia coexistentibus omnibus, in quibus duo distinguuntur, implicat illa duo separari: sed si semel existere conditionatè, & existere absolute solum distinguuntur in cognitionibus conditionali, & absoluta, & in nullo alio distinguuntur, existentibus simul cognitionibus existunt omnia, in quibus distinguuntur: ergò existentibus simul cognitionibus absoluta, & conditionali, implicabit separari existere conditionatè, & existere absolute, & consequenter quod consensus existat conditionatè, quin existat absolute, quod est absurdum manifestum, & contra evidentiam.

34 Confirmatur: quando existit consensus conditionatè, & non existit absolute, existentibus nihilominus cognitione absoluta, & conditionali, aliquid separatur ab alio, scilicet existere conditionate ab existere absolute: sed non separantur cognitiones, cum simul supponantur existere: ergò separatur aliquid distinctum à cognitionibus: sed existere conditionatè, & existere absolute distinguuntur in eo, quod separatur, quando separantur: ergò distinguuntur in aliquo distincto à cognitionibus

bus: ergò distinguuntur ex parte obiecti.

Tertium Corollarium:

35 **T**ERTIO Colligitur omnem propositionem necessariam representare obiectum distinctum aliquo modo ab omnè propositione impossibili, & contingenti. Patet; quia propositio necessaria representat obiectum necessarium, & impossibile, & contingens obiectum contingens: sed obiectum necessarium non est omnino idem, nec potest esse cum obiecto impossibili, & contingenti, sed aliquo modo ab illis distinctum: ergò propositio necessaria non representat obiectum omnino idem, ac propositio impossibilis, seu contingens: ergò representant distinctum obiectum.

36 Ex quo rursus inferuntur propositionem de possibili non representare idem omnino, quod propositio de inesse, ipsi correspondens: v. g. *Petrus potest existere: Petrus existit.* Patet; nam prima est necessaria, secunda contingens. Nec propositionem de possibili, idem omnino representare, quod propositio de impossibili; quia prima est necessaria, secunda impossibilis.

(o)

Quartum Collorarium.

37 **Q**UARTO Colligitur, propositionem copulativam & disiunctivam, licet de eisdem extremis: v.g. *Petrus currit, vel sedet: Petrus currit, & sedet*, non representare idem omnino ex parte obiecti. Patet prima, quia una est falsa, quamvis altera sit vera: sed eo ipso, ut probatum manet, non possunt idem omnino representare ex parte obiecti: ergo. Secundo, nam disiunctiva non representat utrumque extremum dari simul, sed solum dari unum ex illis duobus: copulativa vero representat dari utrumque simul: sed dari ex parte obiecti unum ex duobus, & dari utrumque simul maximam importat distinctionem ex parte obiecti, quandoquidem ex parte obiecti separantur: ergo copulativa quid distinctum representat ex parte obiecti, ac disiunctiva.

Solvuntur Argumenta.

28 **O**BIECTES Primo contra conclusionem: ex duabus propositionibus idem omnino representantibus ex parte obiecti, potest una esse conformis, & altera disconformis obiecto: sed propositio conformis est vera, & disconformis est falsa: ergo ex duabus propositionibus idem omnino ex parte obiecti repræ-

sentantibus, potest una esse vera, & altera falsa. Maior, quæ sola difficilis est, probatur: ex duabus propositionibus idem omnino ex parte obiecti representantibus, potest una representare obiectum eo modo, quo se habet, & altera eo modo, quo non se habet: sed hoc est, unam esse conformem obiecto, & alteram disconformem: ergo potest una ex duabus propositionibus idem omnino representantibus ex parte obiecti, esse vera, & altera falsa. Maior probatur: duæ propositiones idem omnino representantes ex parte obiecti, possunt illud idem diverso modo representare: sed hoc ipso potest una illud representare eo modo, quo se habeat, & altera eo modo, quo se non habet: ergo. Maior patet; quia idem omnino potest diversis modis representari. Minor vero probatur; quia licet obiectum non possit eodem modo se habere, & non se habere; potest tamen diversis modis se habere, & non habere, ita ut vno modo se habeat, & altero non se habeat modo: ergo si duæ propositiones illud representant diversis modis, potest se habere eo modo quo per unam representatur, & altero modo, quo per aliam representatur non se habere: ergo poterit una representare obiectum eo modo, quo se habet, & altera eo modo, quo non se habet.

22. Respondeo, distinguendo

guendo maiorem: ex duabus propositionibus potest esse una conformis, & altera disconformis obiecto repræsentativè, nego maiorem: entitativè, concedo maiorem, & distincta minore eodem modo, nego consequentiam. Ad probationem maioris, quatenus distinctioni traditæ potest obstare, distinguo maiorem: potest una repræsentare obiectum eo modo ex parte actus, quo obiectum non se habeat, & altera eo modo, quo se habeat, concedo maiorem: modo se tenente, & repræsentato ex parte obiecti, nego maiorem, & minorem, eum consequentia. Ad probationem minoris, concedo antecedente, distinguo consequens: potest se habere eo modo, quo per unam repræsentatur ex parte actus, & non se habere eo modo, quo per alteram repræsentatur, concedo consequentiam: eo modo, quo per unam repræsentatur, non autem eo modo, quo repræsentatur per alteram, modo se tenente ex parte obiecti, & per actum repræsentato, nego consequentiam.

40 Itaque fatemur, posse optimè duas propositiones diversis modis idem omnino ex parte obiecti repræsentare: si diversitas illa modorum se teneat ex parte actus, non autem si repræsentetur ex parte obiecti; quia iam ex parte obiecti aliquid diversum repræsentaretur

per unam, quod non repræsentaretur per alteram, scilicet ille modus. Cæterum ex eo quod diverso modo repræsentent, diverso in quam modo ex parte actus, non sequitur unam posse esse conformem repræsentativè, & alteram repræsentativè disconformem, sicut licet cognitio divina, & humana diverso modo ex parte actus repræsentent Petrum existere, non inde poterunt una esse conformis, & altera simul disconformis repræsentativè. Solum ergo poterunt una esse conformis, & altera disconformis entitativè, quatenus una habeat ex parte actus modum essendi diversum, & disconformem modo essendi sui obiecti, altera vero habeat modum essendi similem modo essendi sui obiecti. Et hoc patet in actu divino, & humano repræsentantibus obiectum finitum: nam actus divinus est disconformis entitativè obiecto; quia habet modum essendi infinitum, & obiectum modum essendi finitum; actus vero humanus est conformis entitativè quia habet modum essendi finitum, sicut obiectum. Hæc autem conformitas, aut disconformitas, nec facit propositionem veram, nec falsam, ut ex se patet: sed requiritur conformitas, vel disconformitas repræsentativa, quo modo nequit una propositio esse conformis, & altera disconformis obiecto, si idem omnino repræ-

sentant ex parte illius; quia illa tantum est disconformis representativè, quæ representat in obiecto, quod ipsi non convenit, & illa solum est conformis, quæ nihil representat ex parte obiecti, quod obiecto non convenit: cum autè propositiones quæ idè omnino ex parte obiecti representant, nequeat vna representare quod obiecto non convenit, & altera quod obiecto convenit, cum idem omnino nequeat obiecto convenire, & non convenire; inde est quod vna nequit esse conformis representativè, & altera representativè disconformis obiecto.

41 Hoc argumentum solet aliter proponi, scilicet hoc modo; propositiones inter se disconformes nequeunt esse conformes cum tertio: sed possunt dari propositiones, idem omnino ex parte obiecti representantes, inter se disconformes: ergò illæ non erunt conformes cum eodem obiecto. Minor patet; quia propositiones, diverso modo representantes, sunt inter se disconformes: sed possunt dari propositiones, diverso modo idem omnino ex parte obiecti representare: ergò propositiones inter se disconformes possunt esse, licet idem omnino representantes ex parte obiecti.

42 Cui modo arguendi similiter respondetur: distinguendo maiorem, eo modo, quo sunt inter se disconformes,

concedo maiorem: alio modo, nego maiorem: & distinguo minorem: possunt dari propositiones, idem omnino ex parte obiecti representantes, inter se disconformes entitativè, concedo minorem: representativè, nego minorem, & consequentiam in eodem sensu. Et ad probationem minoris, concessa maiori, distinguo minorem: possunt propositiones diverso modo convenienti cognitioni entitativè idem omnino ex parte obiecti representare, concedo minorem: diverso modo convenienti cognitioni representativè, nego minorem; quia hoc est representare diversum modum in obiecto, ac per consequens non representare idem omnino ex parte obiecti.

42 Arguitur secundo contra primum corollarium: propositiones contradictoriæ sunt eiusdem de eodem secundum idem: ergò habent idem omnino obiectum, & consequenter idem omnino representant ex parte obiecti.

Respondeo, concessa antecedenti, negando consequentiã, quia ex illo solum colligitur, propositiones contradictorias habere idem omnino prædicatum, idem omnino subiectum, sive quod sint eiusdem prædicati, de eodem subiecto, secundum eandem subiecti formalitatem. Hoc autem non est habere idem omnino obiectum; quia obiectum non est idem, ac subiectum, sive præ-

prædicatum, in quo maxime æquivocantur adversarij: sed est idem ac convenire prædicatum subiecto, vel illi non convenire; est enim quid complexum. Unde obiectum huius propositionis, *Petrus est homo*; nec est præcisè Petrus, nec homo; sed Petrum esse hominem. Similiter que obiectum huius, *Petrus non est homo* est totum hoc, scilicet Petrum non esse hominem, cum autem Petrum non esse hominem, & Petrum esse hominem ex parte obiecti maxime distinguantur; inde est, quod non repræsentant omnino idem ex parte obiecti.

43. Sed replicabis: duæ propositiones contradictoriæ non solum habent idem subiectum, & prædicatum, sed etiam idem omnino obiectum: ergò repræsentant idem omnino ex parte obiecti. Antecedens probatur: negativa habet idem omnino obiectum, ac affirmativa: ergò habent idem omnino obiectum. Antecedens probatur: obiectum propositionis affirmativæ est quod affirmatur per ipsam, & obiectum propositionis negativæ est quod negatur per ipsam: sed idem omnino negatur per negativam, quod affirmatur per affirmativam; aliàs contradictoriæ non essent: ergò idem omnino obiectum habet propositio negativa, quod affirmativa.

44. Confirmatur: id ipsissimum, quod repræsentatur

affirmativè per unam, repræsentatur negativè per alteram: sed obiectum affirmativæ est quod affirmativè repræsentatur, & obiectum negativæ, quod negativè repræsentatur: ergò idem omnino obiectum per utramque repræsentatur, licet diverso modo.

45. Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem nego similiter antecedens: Ad cuius probationem distinguo maiorem, quoad secundam partem: obiectum negativæ est quod negatur per ipsam, & ipsa negatio, concedo maiorem; præcisè quod negatur per ipsam, nego maiorem: & distinguo minorem: idem omnino negatur repræsentativè per negativam quod affirmatur per affirmativam, concedo minorem: negatur formalitèr, seu entitativè, nego minorem, & consequentiam; quia propositio negativa negat, non entitativè, sed repræsentativè obiectum affirmativæ, ac per consequens repræsentat negationem talis obiecti; idem enim est repræsentativè negare aliquod obiectum, ac repræsentare negationem illius. Unde obiectum propositionis affirmativæ solum in obliquo est obiectum repræsentatum per negativam, & illius obiectum in recto est, non esse, sive negatio talis obiecti. Unde inferes obiectum propositionis negativæ non esse, propriè loquendo, quod per eam negatur, sed po-

rius non esse illius obiecti, quod negatur, est quod directè representatur per negativā; ideo enim, & eatenus est negativa, quatenus representat non esse, sive negationem obiecti, quod negatur.

46 Ad confirmationem, concessi maiori, & minori, quoad primam partem, distinguo quoad secundam: est obiectum negativæ, quod negativè per ipsam representatur, obiectum inquam negatum, concedo maiorem, obiectum representatum, nego maiorem; quia non est idem obiectum negatum, & obiectum representatum, ut patet in hac propositione, *Petrus non est homo*, in qua obiectum negatum est, Petrum esse hominem, quin tamen Petrum esse hominem sit quod per illam representatur; sed potius Petrum non esse hominem. Unde quando dicitur, idem obiectum representari negativè per unam, quod affirmatur per alteram, nihil aliud significatur, quàm eiusdem obiecti, quod affirmatur per unam, negationem, sive non esse representari per alteram.

47 Sed urgebis: propositio negativa solum representat quod negat; sed solum negat obiectum affirmativæ: ergo solum representat obiectum illius. Maior probatur: primo: propositio affirmativa solum representat quod affirmat: ergo propositio negati-

va solum representat quod negat. Secundo: propositio negativa nihil representat, nisi negativè: sed quod negativè representat negat: ergo solum representat quod negat. Maior probatur, primo à paritate affirmativæ, quæ nihil, nisi affirmativè, representat. Secundo, quia nullus alius modus datur representandi, nisi vel affirmativè, vel negativè: sed propositio negativa nihil affirmativè representat: ergo nihil, nisi negativè, representat. Tertio, si propositio negativa aliquid representaret, quod non negaret, maximè negationem: sed negationem non representat: ergo solum representat quod negat. Minor probatur; quia negativa non representat affirmativè negationem, cum affirmativa non sit; nec representat negativè negationem, cum non neget ipsam negationem: ergo nullo modo representat negationem.

48 Respondeo, negando maiorem. Ad cuius primam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; quia affirmare est representare *rem esse*, ac per consequens, cum id ipsissimum affirmetur per talem representationem, inde est quod idem omnino, quod representat, affirmat, & nihil representat, quod non affirmat. At vero negare, est representare *rem non esse*, cum

autem

Quest. XV. An ex duabus propositionibus, &c. 83

autem id non sit, quod negatur; quia potius negatur rem esse, ideo negativa aliud representat, & aliud negat, non autem affirmativa.

49 Ad secundam nego maiorem. Ad cuius primam probationem nego paritatem; quia propositio affirmativa est quae representat rem esse, & hoc idem affirmat; at vero propositio negativa est, quae representat rem non esse, quod quidem non negat, nec negativè representat. Unde negativa non negat ipsum non esse, licet affirmativa ipsummet esse affirmet. Potest autem dici quod propositio negativa representat ipsam negationem negativè in exercitio, sive eam negando in exercitio, & ut quo, quatenus per ipsam negationem representatam negat obiectum propositionis affirmativae. Unde licet ipsa negatio, sive non esse obiecti non sit quod signatè negatur, est tamen ipsum exercitium negandi, sive id quo negatur obiectum; quia propositio non per se, & formalitèr negat obiectum, sed quatenus representat negationem per se, & formalitèr excludentem obiectum, unde ipsa negatio representatur negativè, ut quo, & in exercitio, non autem, ut quod, & signatè.

50 Ex quo, ad secundam probationem maioris distinguo maiorem; nullus alius modus

representandi datur; nisi vel affirmativè, vel negativè, signatè, vel exercitè, concedo maiorem: negativè signatè precisè, nego maiorem; & concessa minori, distinguo consequens, ut supra. Itaque dupliciter potest aliquid negativè representari, vel quia sit id ipsum, quod negatur; vel quia sit id, quo negatur aliud in exercitio: quod primo modo negatur, signatè negatur, & ut quod; quod autem secundo modo exercitè, & ut quo, & hoc modo representatur negatio, sive non esse, cum dico, Petrus non est homo.

51 Dices: ergo negatio solum exercitè representatur, non autem signatè. Licet hoc concederemus, nihil contra nos, dummodo enim representetur negatio ex parte obiecti, sive sic signatè, sive sit exercitè, iam propositio negativa aliquid representaret ex parte obiecti, quod non representaret affirmativa. Sed nihilominus, nego consequentiam; quia licet negatio solum exercitè negetur, & ut quo; quia non est quod negatur, sed quo aliud negatur; tamen est quod representatur, & non quo aliud representatur; unde signatè, & ut quod representatur. Quare dum dicimus quod negatio, representatur negativè exercitè, & ut quo, ly exercitè a quo, determinat

ly negativè, non autem ly repræsentatur.

52 Ad tertiam probationem maioris principalis, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem distinguo minorem: nec repræsentat negativè, exercitè, & ut quo negationem, nego minorem: signatè, & ut quod, concedo minorem; nam licet non neget ipsam negationem signatè, & tanquam rem negatam; tamèn exercitè, & ut medium negandi, illam negat.

53 Obijcies tertio, contra primum corollarium: potest dari volitio, & nolitio, respicientes idem omnino ex parte obiecti: ergò affirmatio, & negatio etiam possunt dari, idè omnino repræsentantes ex parte obiecti. Respondeo primo, negando antecedens, idemque philosophando de actibus voluntatis; quia volitio est tendentia ad esse rei, & nolitio est tendentia ad non esse rei, illud enim nolumus, cuius non esse, carentiam, & decissionem appetimus. Verè volitio est appetitus in esse rei, nolitio autem est appetitus in non esse rei; habent ergò distincta obiecta. Vel aliter respondeo, negando consequentiam; quia actus nolitionis verè, & propriè est nolitio, non autem purè repræsentativè, ac proinde non est necessarium quòd illi ex parte obiecti correspondeat nolitio; ac vero nega-

tio intentionalis est impròpriè; & purè repræsentativè negatio, ac proinde debet illi ex parte obiecti correspondere vera negatio repræsentata; Huic secundæ solutioni firmitus adhæreo.

54 Obijcies quarto contra secundum corollarium: hæc duæ propositiones, *Petrus, si vocaretur, consentiret; Petrus consentit*, idem omnino repræsentant ex parte obiecti: ergò conditionalis, & absoluta idem omnino repræsentant ex parte obiecti. Antecedens probatur: propositio conditionalis nihil aliud repræsentat, quam quod repræsentat conditionalitèr: & absoluta nihil aliud repræsentat, quam quod repræsentat absolutè; sed propositio conditionalis repræsentat conditionalitèr, quod absoluta, absolutè: ergò propositiones prædictæ idem omnino repræsentant ex parte obiecti.

55 Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem distinguo maiorem, quoad primam partem: nihil aliud repræsentat, quam quod repræsentat conditionalitèr, exercitè, vel signatè, concedo maiorem: nihil aliud repræsentat, quam quod repræsentat conditionalitèr signatè, nego maiorem: & distinguo minorem: propositio conditionalis repræsentat conditionalitèr exercitè quod absoluta absolutè, nego minorem, condi-

Q. XV. An ex duabus propositionibus, &c.

289

nonaliter signatè, concedo minore, & nego consequentiam: itaque propositio conditionalis non est conditionalis propriè, & subiectivè in se ipsa: seu, quod idem est, non est conditionalis in essendo; quia, conditionale in essendo est quod non existit, sed expectat aliquam conditionem ad existendum; propositio autem conditionalis, cum absolute sit existens, non est hoc modo conditionalis: sed tantum est conditionalis ex parte obiecti, sive repræsentativè, quatenus repræsentat ex parte obiecti conditionalitatem; sive dependentiam, & alligationem, qua obiectum unice dependet, seu expectat illam conditionem ad sui existentiam.

56 Hanc autem conditionalitatem repræsentat conditionalitè exercitè, & ut *quo* obiectum vero à conditione dependens, sive conditionatum repræsentat conditionalitè signatè, & ut *quod*. Undè aliud est obiectum conditionatum, aliud obiectum repræsentatum per conditionalem; quia per conditionalem, quatenus talem, propriè, & in recto repræsentatur conditionalitas, sive nexus conditionis, & conditionati; & in obliquo, & tanquam extrema huius nexus, conditio, & conditionatū. Sicut enim propositio absoluta, v. g. *Petrus est homo*, specialitèr quatenus compositio est, repræsentat identitatem extremorum in recto,

extrema autem quasi in obliquo, ita similiter conditionalis per illam particulam *si*, vniens conditionem cum conditionato, propriè, & in recto repræsentat nexum, sive connexionem unius cum alio; extrema vero quasi præsuppositivè, & in obliquo. Et ita obiectum præcipuè repræsentatum est talis nexus, in quo consistit conditionalitas; at vero obiectum conditionatum, sive, ut proprius, & expressius loquar, obiectum, quod per conditionalem conditionalizatur, est ipsum conditionatum, & ipsa conditionalitas; diverso tamen modo, quia ipsum conditionatum conditionalizatur ut *quod*, & signatè; quia est quod expectat, & dependet à conditione, sive quod terminat connexionem conditionis. At vero ipsa conditionalitas, sive nexus conditionis cum conditionato, non conditionalizatur, ut *quod*, & signatè, sed ut *quo*, & exercitè, est enim id, quo aliud conditionalizatur.

57 Ex quo inferes, quod quando dicimus conditionalitatem repræsentari conditionalitè exercitè, *ly exercitè* non determinat *ly repræsentari*, sed *ly conditionalitè*; eo pacto quo supra num. 51. dicebamus de *ly negativè* in hac propositione, *ipsa negativè repræsentatur negativè exercitè*; quia licet ipsa conditionalitas

conditionalizetur ut quo, & exercitè, tamèn repræsentatur ut quod, & signatè, sicut ipsa negatio negatur exercitè, repræsentatur tamèn signatè per propositionem negativam.

58 Dices: propositio conditionalis non repræsentat ex parte obiecti nexum conditionis cum conditionato: ergò nihil repræsentat præter conditionatum, & consequenter, nec ex parte obiecti repræsentabit ipsam conditionalitatem. Antecedens probatur; quia conditionalis, de qua loquimur, est, in qua conditio non habet connexionem cum conditionato, possumus enim pro exemplo hanc propositionem, *si Petrus vocaretur, consentiret*, in qua vocatio non connectitur cum consensu: ergò saltem in hac conditionali non repræsentatur ex parte obiecti nexum conditionis cum conditionato. Confirmatur: quia omnis propositio conditionalis, in qua conditio connectitur cum conditionato, est necessaria: exempli gratia, *si Petrus currit, movetur*: ergò propositio conditionalis contingens non ita se habet, quod conditio habeat connexionem cum conditionato: ergò propositio conditionalis contingens non repræsentat connexionem conditionis cum conditionato, & consequenter non repræsentat conditionalitatem.

59 Respondo, negando ante-

cedens. Ad cuius probationem distinguo antecedens: propositio conditionalis, de qua loquimur, est, in qua conditio non habet connexionem essentialem, & intrinsecam cum conditionato, concedo antecedens: connexionem accidentalem, & extrinsecam, nego antecedens; nam omnis conditionalis per illam particulam *si* necit, & connectit extrema, non quidem entitativè, sed solum repræsentativè; necere autem repræsentativè nihil aliud est, quam repræsentare nexum extremorum; omnis ergò conditionalis repræsentat nexum extremorum. Si tamèn nexus, sive connectio est intrinseca, & essentialis extremis, conditionalis dicitur necessaria, & bona consequentia: Si autem talis nexus non est intrinsecus, & essentialis extremis, sed illis accidentalis, & proveniens ex aliquo divino decreto, vel proposito, erit conditionalis contingens, & huiusmodi est conditionalis, in qua possumus exemplum. De hac autem conditionali potest dici quod sit bona consequentia impropriè, & ex suppositione, sive per accidens, non autem absolute, & per se, sive in proprio sensu. Ex quo patet ad confirmationem. Sed de hoc latius, cum de futuritione contingenti sermonem instituimus.

60 Obijcies quinto contra ultimum corollarium: hæc propositio, *homo est possibilis intrinsecè,*


Q. XV. An ex duabus propositionibus, &c. 87

secè, est necessaria, & hæc, homo est existens, contingens: & tamen habent idè omnino obiectum: ergò propositio contingens, & necessaria possunt idem omnino ex parte obiecti repræsentare. Minor probatur: primæ propositionis obiectum est possibilitas hominis, secundæ autem existentiæ; sed existentiæ, & possibilitas ex parte obiecti non distinguuntur: ergò obiectum utriusque est omnino idem, & indistinctum.

61 Respondeo, negando minorem, ad cuius probationem, nego etiam minorem, quia possibilitas, si est extrinseca, consistit in Omnipotentia, quæ distincta est ab existentiæ rei possibilis: si autem est intrinseca consistit in prædicatis essentiæ-

libus rei possibilis, sive in eius essentiæ, quæ ab existentiæ rei distincta est, præcipuè in nostra sententiæ. Sed dices: existentiæ, & possibilitas existentiæ non distinguuntur: sed obiecta harum propositionum, *existentiæ est possibilis: existentiæ est existens*, sunt possibilitas existentiæ, & ipsa existentiæ: ergò hæc propositiones habent idem omnino obiectum: & tamen una est necessaria, & altera, contingens ergò.

62 Respondeo, negando maiorem; quia existentiæ, & eius possibilitas aliquo modo ex parte obiecti distinguuntur. Quomodo autem distinguuntur, dicemus, cum de possibilitate, & existentiæ, distinctioneque earum agamus.



LIBER TERTIVS,

DE HIS, QUÆ AD TERTIAM INTELLECTVS
OPERATIONEM PERTINENT.



POSTQVAM Dialectica instruxit intelle-
ctum quantum ad primam, & ad secun-
dam eius operationem, rectus exigit or-
do, vt ipsum in tertia ipsius operatione
dirigat. In qua quidem artificium logi-
cum maxime splendet, potissime in syllogismorum va-
ria, atque mirabili structura. Cuius gratia sit.

QVÆSTIO I.

*Quid, & quotuplex sit conse-
quentia?*

PRÆCIPVA Argumentationis pars
est consequentia,
ideoque primo de illa sermo-
nem instituimus: est ergò con-
sequentia, *illatio vnus ex alio*, si-
ue oratio significans connexionem
vnus cum alio. v. g. *Petrus cur-
rit: ergò movetur.*

2 Consequentia autem
primo dividitur in bonam, &
malam; consequentia bona est
*in qua revera consequens ex ante-
cedenti infertur.* v. g. *Petrus cur-
rit: ergò movetur.* Consequentia
mala, est *in qua consequens reve-
ro non infertur ex antecedenti*, li-
cet significetur inferri. v. g. *Petrus
est dives: ergò est doctus*; quia li-
cet oratio significet vnum ex

alio inferri, revera tamèn non
infertur. Relicta consequentia
mala, quæ revera consequentia
non est.

3 Consequentia bona
rursus dividitur in formalem,
& materialem. Formalis est, *quæ
tenet ex vi forme artificiosæ* ita
vt sub eadem forma, & artifi-
cio semper, & in omni materia
sit bona. v. g. *omnis homo est vi-
sibilis: omne rationale est homo:
ergò omne rationale est visibile.*
Consequentia autem materia-
lis est, *quæ tenet ex vi materie,*
non autem in vi forme, ita vt in
alia materia sub simili forma sit
mala consequentia. v. g. *ho-
mo est rationalis: ergò omnis ho-
mo est rationalis*; quæ conse-
quentia bona est, quia in ma-
teria necessaria benè arguitur
ab indefinita, ad universalem:
At vero, si sub simili forma fiat
in materia contingenti erit
mala

Quest. 1. Quid, & quotuplex sit consequentia?

39

Mala consequentia. V. g. *homo currit: ergo omnis homo currit.* Vbi nota, quod consequentia formalis in nulla materia potest instari, unde quia ab universali ad particularem est bona, & formalis consequentia, etiam si sit in materia repugnanti, erit bona. V. g. *omnis homo est lapis: ergo aliquis homo est lapis.* At vero consequentia materialis in alia materia potest instari, ut patet in exemplo supra posito.

Statuuntur leges bonae consequentiae.

4. **PRIMA** Est, *in bona consequentia non potest dari antecedens verum, & consequens falsum.* Hoc principium est lumine naturali notum, nam ut sit bona consequentia, debet antecedens esse connexum cum consequenti, & illud inferre: atqui, si antecedens esset verum, & consequens falsum, antecedens non esset connexum cum consequenti; staret enim veritas antecedentis, absque veritate consequentis: ergo in bona consequentia non stat antecedens verum, & consequens falsum.

5. **Secunda regula.** *Ex vero semper verum: falsum non nisi ex falso: ex falso tamen aliquando verum inferitur.* Primum patet, quia in bona consequentia, si antecedens est verum, consequens etiam debet esse

verum. Secundum etiam patet; quia consequens falsum non potest inferri ex antecedenti vero: ergo non potest inferri nisi ex antecedenti falso. Tertium etiam constat, nam haec est bona consequentia, *omne animal est rationale: ergo homo est rationalis*, & tamen antecedens falsum infert consequens verum.

6. **Tertia.** *Ex antecedenti necessario non sequitur consequens contingens: nec ex contingenti sequitur impossibile.* Primum patet, quia antecedens necessarium in omni casu debet esse verum: atqui contingens in aliquo casu potest esse falsum; ergo si antecedens esset necessarium, & consequens contingens, posset antecedens esse verum, & consequens falsum, unde iam non esset bona consequentia iuxta primam regulam. Secundo etiam patet, quia, si antecedens est contingens, potest aliquando esse verum, &, si consequens est impossibile semper debet esse falsum: ergo iam in aliquo casu poterit antecedens esse verum, & consequens falsum, & consequenter non erit bona consequentia. Igitur in bona consequentia ex antecedenti necessario non sequitur contingens, nec ex antecedenti contingenti sequitur impossibile.

7. **Ex his sequitur quarta regula.** *Ex impossibili sequitur quodlibet, id est, ex impossibili potest inferri consequens necessarium.*

rium, consequens impossibile, & consequens contingens V. g. ex hoc antecedenti, *equus disputat*, quod impossibile est, rectè inferitur: *ergò equus est vivens*, quod est necessarium. Sequitur etiam: *ergò est rationalis*, quod est impossibile. Et denique sequitur: *ergò existit*, quod est contingens.

8 Quinta regula. *Necessarium sequitur ex quolibet*. Hoc est ex contingenti, ex necessario, & ex impossibili. V. g. hoc consequens, *homo est animal*, quod est necessarium, inferitur ex hoc antecedenti necessario, *homo est rationalis*, & ex hoc contingenti, *homo discurrit*, & ex hoc impossibili, *homo est equus*.

9 Sexta regula: *In bona consequentia, quidquid sequitur ex consequenti, sequitur ex antecedenti*. Unde supposita hac consequentia, *Petrus est homo: ergò est vivens*, quia bene sequitur *est vivens: ergò substantia*, bene sequitur, *Petrus est homo: ergò est substantia*. Unde, si ex primo consequenti inferitur secundum, ex secundo tertium, ex tertio quartum & ex quarto quintum, poteris arguere de primo ad ultimum, & erit bona consequentia.

10 Septima regula: *Quid quid repugnat consequenti repugnat antecedenti, si sit bona consequentia*. Et ratio est, quia quod repugnat consequenti reddit consequens falsum, & quod repugnat antecedenti reddit illud

falsum; sed nequit reddere falsum consequens, nisi reddat falsum antecedens, cum in bona consequentia non possit consequens falsum esse, quin falsum sit antecedens: ergò quidquid repugnat consequenti repugnat antecedenti. Unde bene valet, ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis. V. g. si bene inferitur, *est homo: ergò rationalis*, etiam est bona consequentia, *non est rationalis: ergò non est homo*.

QUESTIO. II.

Quid, & quotuplex sit inductio?

1 **I**NDUCTIO, Quæ est una ex speciebus argumentationis, est argumentum manuducens per singularia sufficienter enumerata ad cognoscendam veritatem, aut falsitatem universalem. V. g. *hic ignis calefacit, & hic ignis calefacit, & ille, & ille, &c. numerando omnes: ergò omnis ignis calefacit*.

2 Dividitur inductio in ascensum, & descensum. Ascensus est à singularibus ad universale progressio. V. g. *hic ignis calefacit, & ille, & ille, &c. ergò omnis ignis calefacit*. Descensus est ab universali ad singularia progressio. V. g. *omnis ignis calefacit: ergò hic ignis calefacit, & ille, & ille, &c.* Rursus tam ascensus, quam descensus dividitur in disiunctivum, & copulativum; disiunctivum, & copulativum. Ascensus,

Quest. II. Quid, & quod duplex sit inductio?

96

& descensus copulativus est, in quo numerantur singularia copulativè per integras propositiones: v. g. *omnis homo est animal: ergò hic homo est animal, & hic homo est animal, &c.* Ascensus, & descensus disiunctivus est, in quo singularia numerantur disiunctivè per integras propositiones. V. g. *aliquis homo currit: ergò vel hic homo currit, vel ille homo currit, &c.* Ascensus, & descensus copulatus est, in quo singularia numerantur copulativè sub eadem propositione per plures terminos. V. g. *Omnes Apostoli sunt duodecim: ergò hic, & ille, & ille, &c. Apostoli sunt duodecim.* Ascensus, & descensus disiunctus, est, in quo numerantur singularia sub eadem propositione, per terminos disiunctim sumptos. V. g. *oculus requiritur ad videndum: ergò hic, vel ille oculus requiritur ad videndum.*

Regule ascensus, & descensus.

4 **PRIMA** Regula: Terminò supponenti distributivè debetur ascensus, & descensus copulativus: v. g. quia in hac propositione, *omnis homo est albus*, ly *homo* supponit distributivè, fit descensus copulativus in hunc modum: *ergò hic homo est albus, & hic homo est albus, & ille homo est albus, &c.*

5 Secunda: Terminò supponenti determinatè debetur ascensus, & descensus disiunctivus; v. g. quia in hac propositione, *aliquis homo currit*, ly *homo* supponit de-

terminatè, debet fieri descensus disiunctivus in hunc modum: *ergò, vel ille homo currit, vel ille homo currit, &c.*

6 Tercia regula: Terminò supponenti confusè tantum copulativè debetur ascensus, & descensus copulatus, v. g. quia in hac propositione, *omnes Apostoli sunt duodecim*, ly *Apostoli* supponit copulativè, debet fieri ascensus, & descensus copulatus in hunc modum: *ergò hic, & ille, & illi Apostoli, numeratis omnibus, sunt duodecim.*

QVÆSTIO III.

Quid, & quod duplex sit Syllogismus?

I **FINIS**, Quem tota dialectica respicit, syllogismus est, ideoque, quæ potuerimus claritate, & brevitate, illius naturam, partes, & proprietates explicare præsentis quæstionis est. Est igitur syllogismus iuxta Arist. & D. Thom. Oratio, in qua quibusdam possitis; & concessis, necesse est aliud sequi per ea, quæ possita sunt, & concessa. Dicitur oratio loco generis, quia per illam rationem convenit cum alijs orationibus, quæ syllogismi non sunt: & quidem syllogismus est oratio hypothetica ex tribus categoricis composita. Dicitur: in qua, quibusdam possitis; & concessis, necesse est aliud sequi per ea, quæ possita sunt; & concessa, ut distin-

guatur syllogismus à ceteris argumentationibus, per hoc enim differt syllogismus à ceteris, quod in syllogismo debent præmitti **duæ** propositiones cum recto ordine, & recta dispositione, ut ex illis inferatur conclusio.

2 Itaque syllogismus constat ex materia, & forma. Materia est duplex, proxima, & remota. Materia proxima sunt tres propositiones, maior scilicet, minor, & consequentia, sive conclusio. Materia remota sunt tres termini, medium scilicet, qui reperitur in maiori, & minori, non autem in conclusione. Maior extremitas, quæ reperitur in maiori, & conclusione, non autem in minori. Et minor extremitas, quæ reperitur in minori, & in conclusione, non autem in maiori. Totum hoc clarè prospicies in hoc syllogismo, *Omnis homo est animal: Petrus est homo: ergò Petrus est animal*, in quâ iam vides tres propositiones, quæ sunt materia proxima syllogismi, & tres terminos, scilicet, *homo, animal*, & *Petrus*, quorum *homo* est medium, *animal* maior extremitas, & *Petrus* minor extremitas.

Dividitur syllogismus.

RATIONE Materie remotæ dividitur syllogismus, in communem, & expositivum. Syllogismus communis est, cuius *medium est terminus communis.*

V. g. *omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergò omnis homo est risibilis.* Vbi ly *rationalis*, quod est medium, est terminus communis. Syllogismus expositivus est, cuius *medium est terminus singularis.* V. g. *Petrus est homo: Petrus est albus: ergò homo est albus.* Vbi ly *Petrus*, qui est terminus singularis, est medium.

4 Ratione materie proximæ dividitur syllogismus, primo in demonstrativum, topicum, seu probabilem, & sophisticum. Syllogismus demonstrativus est, cuius *premissæ sunt evidenter veræ.* V. g. *omne totum est maius sua parte: mundus est totum: ergò est maior sua parte;* qui quidem syllogismus demonstrativus generat scientiam. Syllogismus topicus, seu probabilis est, cuius *premissæ sunt tantum probabiles.* Ut, *omnis Mater diligit Filium suum: Maria est Mater: ergò Maria diligit Filium suum,* & hic syllogismus generat opinionem. Syllogismus sophisticus est, cuius *premissæ sunt apparentes, & generat errorem.* V. g. *omnis canis est latrabilis: fians est canis: ergò fians est latrabilis.*

5 Ulterius dividitur syllogismus in categoricum, & hypotheticum. Categoricus est, cuius *utraque præmissa est propositio categorica.* Hypotheticus est, cuius *altera præmissa est propositio hypothetica.* Ulterius dividitur in affirmativum, & negativum. Affirmativus est, cuius *utraque*

Quest. III. Quid, & quotuplex sit syllogismus?

que premissa est affirmativa. Negativus est, cuius altera premissa est negativa. Ulterius dividitur in simplicem, & modalem. Simplex est, cuius utraque premissa est propositio de inesse. Modalis est, cuius altera premissa est propositio modalis.

6 Forma syllogismi est recta dispositio terminorum, & situs penes subiectionem, & prædicationem, & similiter præmissarum penes universalitatem, vel particularitatem, affirmationem, aut negationem. Unde syllogismus ratione formæ dividitur in tres figuras, & decem & novem modos.

7 Prima figura est, in qua medium in vna præmissa subiicitur, & in altera prædicatur. Secunda figura, est in qua medium in utraque præmissa prædicatur. Tertia est, in qua medium in utraque præmissa subiicitur; quod memoriæ quæso mandate hoc versiculo,

Sub præ prima;
Secunda bis præ;
Tertia bis sub.

8 Hanc divisionem esse sufficientem, & adequatam patet, quia medium non aliter potest reperiri in præmissis, nisi ut subiectum in vna, & prædica-

Barbara, Celarem, Darij, Ferio, Baralipton.
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frijesomerum.
Celare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,
Felapton, Disamis, Datifi, Bocardo, Ferison.

11 Quælibet dictio istarum suum indicat syllogismum, tres autem cuiuslibet di-

tum in alia, vel ut subiectum in utraque, vel ut prædicatum in utraque. Si primum, est prima figura. Si secundum, secunda. Si tertium, tertia: ergo figuræ sunt præcisè tres à nobis numeratæ.

9 Dividitur ulterius syllogismus in decem & novem modos: quorum alij sunt perfecti, imperfecti alij. Perfecti sunt, qui tanta claritate inferunt conclusionem, ut non indigeant reduci ad perfectiores. Imperfecti sunt, qui non ita evidentè inferunt conclusionem, ut non indigeant reduci ad perfectiores. Rursus alij sunt indirectè concludentes, alij directè concludentes. Illi concludunt directè, quorum minor extremitas est subiectum in conclusione. Illi concludunt indirectè, quorum maior extremitas est subiectum in conclusione.

10 Pro quorum declaratione ad memoriæ revocate significationem, harum vocalium A, E, I, O, quarum A, universalem affirmativam, E, universalem negativam, I, particularem affirmativam, O, particularem negativam significant, quibus attente consideratis, sequentes percipies verius.

tionis vocales indicant quales debent esse propositiones, ex quibus formari debet syllogismus.

mus. V. g. illa dictio *Barbara*, quia constat triplici vocali A, & A denotat universalem affirmativam, illa dictio significat syllogismum in ipsa formandum debere constare tribus universalibus affirmativis.

12. Deinde advertite, quod novem priores dictiones pertinent ad primam figuram, unde in omnibus illis medium debet subijci in maiori, & prædicari in minori. Sed nota quod horum novem modorum, quatuor primi sunt perfecti, & directe concludentes, quinque vero sequentes sunt imperfecti, & indirecte concludentes. Unde in primis quatuor minor extremitas debet subijci in conclusione, in alijs autem quinque maior extremitas debet subijci in conclusione. Sequentes quatuor dictiones sunt modi pertinentes ad secundam figuram, & directe concludentes, unde in illis medium debet in utraque præmissa prædicari, & minor extremitas in conclusione subijci. Sex dictiones sequentes, quæ incipiunt à *Darapti*, pertinent ad tertiam figuram, & concludunt directe, unde medium debet in illis subijci in utraque præmissa, & minor extremitas in conclusione. Quibus rite servatis facilimum erit in qualibet dictione syllogismum formare. Sed ut cuiuslibet modi exemplar non deficiat, ideo sequentem tabulam subijcere libuit.

Pro directis primæ figuræ:

1

Bar *Omne animal est vivens;*
ba *Omnis homo est animal;*
ra *Ergò omnis homo est vivens;*

2

Ce *Nullus equus est homo;*
la *Omne inibibile est equus;*
rem *Ergò nullum inibibile est homo;*

3

Da *Omne animal est vivens;*
ri *Aliquod corpus est animal;*
i *Ergò aliquod corpus est vivens;*

4

Fe *Nullus leo est homo;*
ri *Aliquod animal est leo;*
o *Ergò aliquod animal non est homo.*

Pro indirectis primæ figuræ:

5

Ba *Omnis planta est vivens;*
ra *Aliqua vitis est planta;*
lip *Ergò aliquod vivens est vitis;*

6

Ce *Nullus equus est leo;*
lan *Omne inibibile est equus;*
tes *Ergò nullus leo est inibilis;*

7

Da *Omne bonum est amandum;*
bi *Aliquod arduum est bonum;*
tis *Ergò aliquod amandum est arduum.*

8

Fa *Omnis virtus est honesta;*
pel *Nulla gula est virtus;*
mo *Ergò aliquod honestum non est gula.*

9

Fri *Aliquod vitium est voluptas;*
se *Nulla virtus est vitium;*
son *Ergò aliqua voluptas non est virtus;*

Quæst. III. Quid, & quotuplex sit syllogismus?

95

Pro directis secundæ figuræ.

son Ergò aliqua linea non est substantia.

10

Ce Nullum vitium est bonum;
sa Omnis virtus est bona:
re Ergò nulla virtus est vitium.

11

Ca Omnis religio est virtus;
mel Nulla secta est virtus:
tres Ergò nulla secta est religio.

12

Fel Nulla gula est sana;
ti Aliqua comestio est sana:
no Ergò aliqua comestio non est gula.

13

Ba Omne animal est vivens;
ro Aliquod corpus nõ est vivens:
co Ergò aliquod corpus non est animal.

Pro directis tertiæ figuræ.

14

Da Omne album est coloratum;
rap Omne album est corpus:
ti Ergò aliquod corpus est coloratum.

15

Fe Nullus homo est equus;
lap Omnis homo est animal:
ton Ergò aliquod animal non est equus.

16

Di Aliquod animal rugit;
sa Omne animal est vivens:
mis Ergò aliquod vivens rugit.

17

Da Omne vitium est peccatum;
ti Aliquod vitium est amarum
si Ergò aliquod amarum est peccatum.

18

Bo Aliquis homo non est cæcus;
car Omnis homo est animal:
do Ergò aliquod animal non est cæcum.

19

Fe Nulla quãtitas est substãtia;
ri Aliqua quantitas est linea;

13 Nota tamen, quod in secunda, & tertia figura nullus datur modus indirecte concludens, facile tamen poteris indirecte concludere convertendo conclusionem iuxta regulas conversionis, ita vt loco conversæ, concludas convertentem. V. g. in Baroco cuius conclusio est: Aliquod corpus non est animal; concludes indirecte, si dicas: ergò aliquod animal non est corpus. Et in Darapti, cuius conclusio est: ergò aliquod corpus est coloratum, concludes indirecte, si dicas: ergò aliquod coloratum est corpus. Unde quotiescumque concluditur conversa, potest etiam concludi, seu inferri convertens.

14 Nota secundo, quod vbi cõcluditur subalternans, potest etiam concludi subalternata, ideoque quia in Barbara concluditur vniuersalis affirmativa, potest etiam concludi particularis affirmativa sub illa contenta, & quia in Celantes concluditur vniuersalis negativa, potest optime concludi particularis negativa sub illa contenta: Vbi ergò dicis Barbara, potes quam optime dicere Barbari, & vbi dixisti Celarem, Celantes, Cessare, Camestres, poteris dicere Celaron, Celantos, Cessaro, Camestros.

15 Nota tertio, quod vbi concluditur vniuersalis affirmativa, potest concludi singularis affirmativa.

affirmativa sub illa contenta; & ubi concluditur vniversalis negativa, similiter particularis negativa sub illa contenta: v. g. in *Barbara*, ubi concludebas; ergo *omne rationale est animal poteris concludere: ergo Petrus rationalis est animal.* Et in *Celarem* ubi concludebas: ergo *nullum inabile est Angelus*; poteris concludere: ergo *Bucephalus non est Angelus.*

QVÆSTIO IV.

Qualitèr reducantur syllogismi imperfecti ad perfectos?

LICET In quatuor modis primæ figuræ adeo evidentèr appareat bonitas consequentiæ, vt ulteriori probatione non egeat, tamèn in ceteris sequentibus modis non æque clarèscit, vnde à Logicis reducantur ad modos perfectos, vt eorum efficacia manifestetur. Duplex est reductio, altera per ostensionem, altera per impossibile. De prima nunc, de secunda postea tractaturi sumus. Re-

Simpliciter verti vult S; P vero per acci.

M, Vult transponi; C, per impossibile duci.

Quibus præintellectis facile poteris quemlibet modum imperfectum ad perfectum reducere. Exempli gratia, si in *Camestres* dixisti, *omnis religio est virtus: nulla superbia est virtus: ergo nulla superbia est religio.* Hic modus, quia eius littera initialis

ductio igitur per ostensionem fit transmutando præmissas aut ipsas convertendo iuxta conversionis regulas,

Vt autem prædictam possis praticare reductionem, nota primo, singulas dictiones supra positas incipere per vnã ex his consonantibus B, C, D, F. Nota secundo, quemlibet modum imperfectum reducendum esse ad modum perfectum eadem consonante incipientem; v. g. *Cessare* ad *Celarem*. Nota tertio in prædictis dictionibus alias consonantes reperiri præter initiales, scilicet S, P, M, C, quarum S, de notat præmissam designatam per vocalem antecedentem convertendam esse simpliciter. P, quod præmissa designata per antecedentem vocalem converti debet per accidens. M, designat præmissas esse mutandas, ita vt maior fiat minor, & e contra. C, in medio dictionis denotat illum modum reducendum esse per impossibile, & non per ostensionem. Quæ omnia, vt firmitèr memoria teneantur, hos versus inueniunt dialectici,

est C, reducitur ad *Celarem*. Prima præmissa non est convertenda, sed mutanda de maiori in minorem, quia ad illam sequitur, M. Secunda est convertenda simpliciter, quia ad illam sequitur S, & similiter conclusio, cum ad illam sequatur etiam S.

Vnde dices: Nulla virtus est superbia; omnis religio est virtus: ergo nulla religio est superbia; qui quidem syllogismus est perfectus in Celarem. Similiterque facies in cæteris modis, excepto Baroco, & Bocardo, in quibus littera C, in medio dictionis designat non posse reduci per ostensionem, sed tantum per impossibile.

Explicatur reductio per impossibile.

Reductio per impossibile est, in qua ex contradictoria conclusionis negata, & una præmissa inferitur contradictoria alterius præmissæ concessæ, in modo perfecto. Vnde autem scias quando contradictorium consequentis debeas ponere pro maiori, & quando pro minori, sequentes addidit versus

Maior fit minor in prima, & fit contradictio maior.

Dempto celantes, in quo pervertitur ordo.

Servat maiorem, variatque secundam minorem.

Tertia maiorem variat, servatque minorem.

Primus versus denotat, quod in prima figura, quando negatur consequentia in modis imperfectis, debet assumi contradictorium consequentis, & poni pro maiori, & maior pro minori, & sic inferri contradictorium minoris. In secundo versus denotatur, quod in Celantes è contra facienda est reductio, scilicet, ponendo contradictorium consequentis pro minori, & maiorem pro minori, & inferendo contradictorium maio-

ris. In tertio versus denotatur, quod in secunda figura contradictorium consequentis ponendum est pro minori, & inferendum est contradictorium minoris. Quartus versus designat quod in tertia figura contradictorium consequentis ponendum est pro maiori, & minori relicta, inferendum esse contradictorium maioris. Deinde nota vocales contentas in his dictionibus.

Nesciebatis, Odiebam letare, Romanis.

Designare modos perfectos ad quos reducendi sunt imperfecti, ita, ut quinque vocales, in prima dictione repertæ, designent suo ordine ad quos modos ex perfectis reducendi sunt quinque imperfecti primæ figuræ. Quatuor vero sequentis dictionis statuuntur pro quatuor modis secundæ figuræ. Sex vero duarum sequentium dictionum

statuuntur pro sex modis tertiæ figuræ; ita tamen quod modus ad quamlibet vocalem pertinens reducendus est ad modum perfectum cuius ultima vocalis est eadem cum illa. V.g. quia Baralipton pertinet ad primam vocalem primæ dictionis, quæ est E, reducendus est ad Celarem, cuius ultima vocalis est E, & Celantes, quia pertinet ad

G secunda

secundam vocalem, quæ est, I, reducendus est ad *Darij*, cuius ultima vocalis est, I, & ita de reliquis. Ut autem possis hoc facile executioni mandare, vnum, vel alterum accipe exemplum in *Baroco*, qui pertinet ad ultimam vocalem illius dictionis *odrebam*, ac per consequens reducendus est ad, *Barbara*, cuius ultima vocalis est, A; cum autem sit secundæ figuræ, debet contradictorium consequentis poni pro minori, & inferri contradictorium minoris. Itaque, si sic arguebas: *Omne animal est vivens; aliquod corpus non est vivens; ergo aliquod corpus non est animal*, & tibi negata fuit consequentia, assumes illius contradictorium, quod adversarius negare nequibit, cum non possit negare duo contradictoria, & illud pones pro minori, in hunc modum: *Omne animal est vivens: omne corpus est animal: ergo omne corpus est vivens*; quæ conclusio est in modo perfectio, scilicet in *Barbara*, & est contradictoria minoris concessæ, & consequenter adversarius tenetur concedere duas contradictorias.

* * * * *

QVÆSTIO V.

Quibus principijs, & regulis innitatur ars syllogistica? Explicantur principia extrinseca syllogismorum.

1 **P**rimum Principiū, quo innititur ars syllogistica, est hoc: *Dici de omni, Dici de nullo*. Prima pars deservit syllogismis affirmativis, & significat, quod ubi cumque prædicatum dicitur de subiecto distributo, dicitur etiā de omni singulari contento sub illo. In vi cuius principij concludit hic syllogismus: *Omnis homo est animal; Petrus est homo: ergo Petrus est animal*, quia in maiori *animal* prædicatur de homine distributo, & in minori *Petrus* tanquam singularis ponitur sub homine. Unde à fortiori *animal* debet predicari de Petro, ut fit in conclusione.

2 Secunda pars, scilicet: *Dicit de nullo*, deservit syllogismis negativis, & significat, quod, quando aliquid negatur de subiecto distributo debet negari de omni contento sub illo. In vi cuius tenet hic syllogismus: *Nullus homo est equus: Petrus est homo: ergo Petrus non est equus*, quia cum in maiori negetur *equus* de homine distributo, & in minori, *Petrus* contineatur sub homine, à fortiori infertur equum negari de Petro, ut fit in consequentia.

Secun-

3 Secundum principium, quo nititur ars syllogistica, est huiusmodi. *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, & ea quorum unum identificatur cum tertio, & alterum ab illo distinguitur, distinguuntur inter se.* V. g. quia in hoc syllogismo, *Petrus est albus; Petrus est homo: ergo album est homo: album, & homo identificantur cum Petro in praemissis; ideo bene inferitur in consequenti identitas illorum inter se.* Et quia in hoc syllogismo: *Petrus non est doctus; Petrus est dives: ergo dives non est doctus*, dives identificatur, & doctus distinguitur a Petro in praemissis, ideo bene inferitur in consequenti distinctio inter doctum, & divitem. Aliud principium, quo nititur ars syllogistica, est reductio imperfectorum ad perfectos. Sed quia iam egimus de illa, illam nunc omitimus.

& in conclusione identificari inter se. Unde in syllogismo precise debent reperiri tres termini, scilicet maior extremitas, minor extremitas, & medium.

5 Secunda regula: *In syllogismo debent servari omnes proprietates logicales.* Unde, si varietur suppositio, appellatio, aut ampliatio, non est bonus syllogismus, ut patet in his exemplis. *Deus est ubique: sed ubique est adverbium: ergo Deus est adverbium*, qui fallax est, quia ly *ubique* in maiori supponit formaliter, & in minori materialiter. Similiter hic est paralogismus. *Petrus est homo: homo est species; ergo Petrus est species*, quia variatur suppositio de simplici in personalem. Nec hic syllogismus valet: *Omnes homo vivit: Antichristus est homo: ergo Antichristus vivit*, quia variatur suppositio, de naturali in accidentalem. Nec valet: *Omnes Apostoli sunt duodecim: Petrus, & Iacobus sunt Apostoli: ergo sunt duodecim*, quia variatur suppositio collectiva in determinatam. Nec valet: *Albedo est similitudo; albedo est intensa: ergo similitudo est intensa*; quia variatur appellatio. Nec valet, *Omnes homo perijt in diluvio: Petrus est homo: ergo perijt in diluvio*, quia variatur ampliatio. Horum, & aliorum paralogismorum fallaciam agnosces, si proprietates terminorum recte percipias.

Explicantur regule Syllogismorum.

4 **E**X Dictis principijs plures regulae inferuntur servandae in constructione syllogismorum. Prima est: *Syllogismus debet constare tribus terminis, & non pluribus.* Ratio est, quia cum nitatur illo principio: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, &c.* debent in praemissis duo extremitates identificari cum uno tertio,

pendas: Notā tamēn optimē posse variari suppositionem de distributiva in determinatam, aut de determinata in confusam, dummodo non sit confusa ratione signi specialis confusionis, sed ~~vera~~ est prædicatum universalis affirmativæ. Hæc patet in omnibus syllogismis à nobis approbatis supra.

6 Tertia regula: *Medium in altera ex præmissis debet semper distribui.* Tunc distribuitur, cum accipitur pro omnibus singularibus sub illo contentis. Ratio est clara, quia si in neutra distribuitur, in neutra accipitur pro omnibus, ac per consequens poterit in vna accipi pro aliquibus, & in altera pro alijs, & iam non erit idem medium. Unde non valet hic syllogismus. *Omnis homo est animal: omnis equus est animal: ergo aliquis equus est homo.*

7 Quarta regula: *Medium nõ debet intrare inconclusionem.* Pater, quia syllogismus arguit ab identitate extremitatũ cum medio ad identitatem illarum inter se, unde in conclusione tantum debent reperiri duæ extremitates inter se identificate, vel distinctæ.

8 Quinta regula: *Nullus terminus debet distribui in conclusione, si non est distributus in præmissis,* quia tunc posset in præmissis accipi pro aliquibus, pro quibus non acciperetur in conclusione, ac per consequens iam non esset vnicus terminus, sed

plures, unde manavit illa regula generalis: *A non distributo ad distributum est mala consequentia.*

9 Sexta regula: *Ex puris negativis nihil sequitur;* ratio est, quia si vtraque præmissa est negativa, in vtraque significatur medium distingui ab vtraque extremitate, ex quo nec potest inferri, quod vtraque extremitas distinguatur inter se, cum rationale, & animal distinguantur ab equo, inter se tamēn identificantur: similiter, nec potest inferri identificari inter se, cum homo, & equus distinguantur à Leone, & tamēn inter se non identificentur: ergo nihil ex puris negativis infertur.

10 Septima regula: *Ex puris particularibus nihil sequitur,* quia vel medium supponeret in vna præmissa pro illis, pro quibus non supponeret in alia; vel aliqua extremitas supponeret in præmissis pro aliquibus, pro quibus non acciperetur in conclusione, ut patet in hoc syllogismo: *Aliquis homo est albus; aliquis niger est homo: ergo aliquis niger est albus;* qui paradoxus est, quia medium in maiori supponit pro hominibus, pro quibus non supponit in minori.

11 Ex his regulis generalibus alie inferuntur pro singulis figuris, duæ pro modis perfectis primæ figuræ, quarum prima est: *Maiori existenti particulari nihil*

nihil sequitur: quia si minor esset affirmativa medium in neutra praemissa distribueretur, contra tertiam regulam. Si autem esset negativa, maior extremitas distribueretur in conclusione, quae esset negativa, & non distribueretur in maiori, contra quintam regulam. Secunda regula est: *Minori existenti negativa, nihil sequitur*, quia tunc esset maior affirmativa, ac per consequens maior extremitas non distribueretur, distribueretur autem in conclusione, quae esset negativa, contra quintam regulam.

12 Pro modis autem imperfectis primae figurae duae statuuntur regulae. Prima est: *Maiori existenti particulari negativa, nihil sequitur*. Ratio est, quia tunc minor esset affirmativa, ac per consequens medium in neutra praemissa distribueretur, contra tertiam regulam. Secunda regula est: *Maiori existenti particulari affirmativa in syllogismo affirmativo, nihil sequitur*, quia tunc medium in neutra praemissa distribueretur. Tertia regula est: *Minori existenti particulari, nihil sequitur in syllogismo negativo*, quia minor extremitas non distribueretur in minori, distribueretur autem in conclusione, contra quintam regulam.

13 Pro secunda figura sic prima regula: *Ex puris affirmativis nihil sequitur*, Pa-

ter, quia cum medium in utraque praemissa sit praedicatum, in neutra distribueretur, contra tertiam regulam. Secunda regula: *Maiori existenti particulari, nihil sequitur*, quia maior extremitas non distribueretur in maiori, distribueretur autem in conclusione, quae debet esse negativa. Quod quidem militat contra quintam regulam.

14 Pro tertia figura: *Minori existenti negativa, nihil sequitur*. Patet quia in maiori, quae esset affirmativa, non distribueretur maior extremitas, distribueretur autem in conclusione, quae esset negativa. Secunda regula: *Conclusio debet esse particularis*. Patet, quia cum minor debeat esse affirmativa iuxta precedentem regulam, minor extremitas, quae in ea praedicatur, non potest distribui, distribueretur autem in conclusione, si esset universalis, quia in illa subiceretur.

15 Vbi nota, alteram regulam generalem, scilicet: *Conclusio sequitur debiliorem partem*, hoc est, si altera ex praemissis est negativa conclusio debet esse negativa; similiterque si una ex praemissis sit particularis, conclusio debet esse particularis.

Ex quibus regulis sequentes ordinate numero pro demonstratione immediate subiicienda. In qua ad oculum ostenditur ex omnibus modis, qui formari possunt in prima figura, sive directe,

sivè indirectè, & in secunda, & tertia directè concludentibus, tantum manere decem, & novem utiles ad rectè concludendam, cæterosque omnes reprobari ut inutiles. Nam in qualibet figura sexdecim modis possunt combinari præmissæ; nam vel utraque est affirmativa; vel utraque negativa; vel maior affirmativa, & minor negativa; vel maior negativa, & minor affirmativa. Rursus ex his quatuor combinationibus quælibet potest ulterius quadrupliciter combinari penes universalitatem, & particularitatem. Nam vel utraque est universalis; vel utraque particularis; vel maior universalis, & minor particularis; vel e contra: cum ergò quatuor per quatuor ducta sexdecim inveniantur, clarè inferitur in qualibet figura sexdecim modos excogitari posse, quibus possunt diverso modo combinari præmissæ. Propterea in sequenti tabula quatuor invenies quadrangulos, quorum quilibet continet decem suprâ sex combinationes præmissarum diversas; unaquaque suo quadrato inclusa per litteras designantes præmissas certæ qualitatis, & quantitatis. Primus quadrangulus pro modis directis primæ figuræ, Secundus pro indirectis eiusdem figuræ. Tertius pro directis secundæ figuræ. Quartus pro directis tertiæ figuræ; & cum quilibet

quadrangulus contineat decem & sex modos, qui quater ducti reddunt sexaginta quatuor; patet evidentè, tantum sexaginta quatuor modos excogitari posse in tribus figuris directè concludentes, & in prima indirectè (de indirectis secundæ, & tertiæ figuræ non fit mentio prolixitatis vitandæ gratia) Iam igitur, ut ex prædictis sexaginta quatuor modis, quinam reprobentur, quinam approbentur, constet, prædictas numero regulas.

Regulæ generales pro omnibus modis.

1 *Ex puris negativis nihil sequitur.*

2 *Ex puris particularibus nihil sequitur.*

Pro modis directis primæ figuræ:

3 *Minori existente negativa, nihil sequitur.*

4 *Maiori existente particulari, nihil sequitur.*

Pro indirectis eiusdem figuræ:

5 *Maiori existente particulari negativa, nihil sequitur.*

6 *Maiori existente particulari affirmativa in syllogismo affirmativo, nihil sequitur.*

7 *Minori existente particulari in syllogismo negativo, nihil sequitur.*

Pro secunda figura:

8 *Ex puris affirmativis nihil sequitur.*

9 *Maiori existente particulari, nihil sequitur.*

Pro tertia figura:

10 *Minori existente negativa, nihil sequitur.*

PRO DIRECTIS I. FIGURÆ.

PRO DIRECTIS II. FIGURÆ.

<i>Barba</i>	R. 1	R. 3	<i>Celar</i>
A,A,	E,E,	A,E,	E,A,
R. 2	R. 2	R. 2	R. 2
I,I,	O,O,	I,O,	O,I,
<i>Dari</i>	R. 1	R. 3	<i>Ferio</i>
A,I,	E,O,	A,O,	E,I,
R. 4	R. 1	R. 4	R. 4
I,A,	O,E,	I,E,	O,A,

R. 8	R. 1	<i>Cames</i>	<i>Cesar.</i>
A,A,	E,E,	A,E,	E,A,
R. 2	R. 1	R. 2	R. 2
I,I,	O,O,	I,O,	O,I,
R. 8	R. 1	<i>Baroc.</i>	<i>Festi.</i>
A,I,	E,O,	A,O,	E,I,
R. 8	R. 1	R. 9	R. 9
I,A,	O,E,	I,E,	O,A,

Pro imperfectis 1. figuræ.

Demonstratur numerus modorum utilium.

Pro directis 3. figuræ.

<i>Baral.</i>	R. 1	<i>Fapes.</i>	<i>Celant</i>
A,A,	E,E,	A,E,	E,A,
R. 2	R. 2	R. 2	R. 2
I,I,	O,O,	I,O,	O,I,
<i>Dabit.</i>	R. 1	R. 7	R. 7
A,I,	E,O,	A,O,	E,I,
R. 6	L. 1	<i>Frisef.</i>	R. 7
I,A,	E,O,	I,E,	O,A,

<i>Darap</i>	R. 1	R. 10	<i>Felapt</i>
A,A,	E,E,	A,E,	E,A,
R. 2	R. 2	R. 2	R. 2
I,I,	O,O,	I,O,	O,I,
<i>Datifi</i>	R. 1	R. 10	<i>Ferif.</i>
A,I,	E,O,	A,O,	E,I,
<i>Disam</i>	R. 1	R. 10	<i>Bocar.</i>
I,A,	O,E,	I,E,	O,A,

Vbi, ut vides, reprobantur omnes modi, quibus superscribitur littera R, propter regulam designatam per numerum ipsi in eodem quadrato correspondentem: huius autem generis sunt quadragintaquinque, un-

de quadragintaquinque sunt modi inutilis. Cæteri restantes, scilicet decem & novem, approbantur, designanturque per dictiones minusculis litteris superscriptas; unde demonstratur decem & novem tantum esse modos utiles. G4 QVÆ

QVÆSTIO VI.

*De syllogismo expositorio, &
locis arguendi.*

I SYLLOGISMVS Expositorius est, cuius medium est terminus singularis. V. g. Petrus est albus; Petrus est animal; ergò aliquod animal est album. Quiquidem syllogismus non inititur illi principio: Dicitur de omni; dicitur de nullo, sed alteri videlicet: Quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se.

2 Regule tamèn in syllogismo expositorio servandæ sunt omnes, quas pro categoricis statuimus, si attendatur ad extremitates; secus autem si ad medium attendamus, quia licet extremitates sint communes, sicut in syllogismis communibus, medium tamèn debet esse terminus singularis. Et quidem debet esse singularis, non ut cumque, sed omnino, ita ut nullo modo sit communis; vnde hic syllogismus est paralogismus: Hic Deus est Pater; hic Deus est Filius; ergò Filius est Pater, quia medium, scilicet Deus, licet non sit communis logicè, hoc est, per multiplicationem, est tamèn communis realiter tribus divinis personis; ut autem syllogismus expositorius teneat, debet medium esse ita singulare, ut nullo modo sit commune, nec realiter, nec logi-

cè, nec specificè, nec genericè.

3 Licet syllogismus expositorius in qualibet figura possit formari, aptius tamèn formatur in tertia, quia cum medium sit terminus singularis, qui convenientius subiicitur in propositione quam prædicatur, indè est quod convenientius subiicitur in utraque præmissa, ac per consequens formari debet in tertia figura. Ex quo inferes in syllogismo expositorio conclusionem non posse esse universalem, quia cum medium sit singulare, neutra præmissa potest esse universalis, ac per consequens, nec conclusio.

Satuuntur loci arguendi:

4 LOCVS Arguendi nihil aliud est quam recta consequentia. Si vero sit consequentia formalis, quæ teneat ratione formæ, vocatur prioristicus. Si vero sit consequentia materialis, vocatur posterioristicus. Quia vero loci prioristici sunt præcipui in hac materia, ideò de illis tantum agere decrevimus.

5 Primus igitur locus arguendi est: A superiori ad inferius negativè. V. g. non est animal; ergò non est homo. Secundus: Ab inferiori ad superius affirmativè: v. g. est homo; ergò animal.

6 Tertius: A definitione ad definitum, & e contra. V. g. est

*est homo : ergo animal rationale :
est animal rationale : ergo est
homo.*

7 Hic in memoriam revocabis loca arguendi, quæ statuimus questione quarta secundi libri, agentes de divisione, & etiam quæ annotavimus questione septima, agentes de ampliatione.

8 Quartus: *In terminis contrarijs ab affirmatione unius ad negationem alterius. Ut, est albus : ergo non est niger.*

9 Quintus: *A subalter-nante ad subalternatam : v. g. omnis homo est animal : ergo aliquis homo est animal.*

10 Sextus: *A conversa ad convertentem : ut aliquis homo est albus : ergo aliquod album est homo.*

11 Septimus: *Ab infinita ad universalem in materia naturali affirmativè, & e contra; negativè in qualibet materia ut homo est animal, ergo omnis homo est animal; nullus homo est albus, ergo homo non est albus.*

12 Hinc etiam in memoriam revocabis loca arguendi, quæ numeravimus in secundo libro questione 12.

13 Octavus: *Ab opposito consequentis, ad oppositum antecedentis : v. g. Petrus currit : ergo movetur; sed non movetur; ergo non currit.*

Ad finem Dialecticæ aliqui agere solent de arte invepiendi medium, sed experientia

iam docuit huiusmodi artem prorsus esse inutilem ad finem, cui destinatur; nam si desit ingenium, penitus inaddiscibilis est, si autem adsit, facilius naturali acumine investigatur medium pro assumpta conclusione probanda, quam addiscitur huiusmodi ars. Unde nullam meliorem artem inveniendi medium studiosus inveniet, quam assiduam ingenij exercitationem, ac librorum perlectionem indefensam; obinde que eam omittimus.

Solet etiam hic institui specialis questio de fallacijs. Hæc namque alię sunt fallacię dictionis, alia, quæ vocantur extra dictionem. Fallacia dictionis est defectus syllogismi fallentis ratione alicuius termini diformiter, ambigüè, vel æquivocè significantis, ita ut in vna præmissa accipiatur sub vna significatione, in alia vero sub alia. Fallacia extra dictionem est defectus syllogismi fallentis ratione rei significatæ. Sed quia omnes fallaciæ, hi fallor, reducuntur ad regulas syllogismorum, & bonæ consequentiæ supra memoratas, & earum observatione deteguntur facillè, ac vitabuntur, ideò pro hoc assumpto caput speciale non institimus, cum ferè omnes Dialecticæ institutiones detengis, ac vitandis fallacijs inserviant.

QVÆSTIO VLTIMA.

*An conclusio sit de essentia
syllogismi?*

VT Nullus liber dialecticæ
sua careat speciali dispu-
tatione, hanc quæstio-
nem ad finem excito. Pro cuius
resolutione nota, syllogismum
dupliciter posse considerari. Pri-
mo, ut est quædam species modi
sciendi. Secundo, ut est quidam
discursus intellectualis. Secun-
dam hanc duplicem considera-
tionem varias Authorum sen-
tentias concordari existimo
duabus sequentibus conclusio-
nibus.

Prima conclusio:

DICO Primo: *Syllogismus, in
quantum est instrumen-
tum sciendi, essentialiter,
& in recto tantum importat præ-
missas, & solum de connotato con-
clusionem.* Probatum primo ex
Arist. 1. prior. cap. 9. aiente:
syllogismum constare tribus ter-
minis, & duabus propositioni-
bus. Idem docet 2. prior. cap.
2. & 1. posterior cap. 2. de syl-
logismo demonstrativo: sed istæ
duæ propositiones, in quibus
dantur tres termini, scilicet
maior, & minor extremitas, &
medium sunt præmissæ: ergo
syllogismus in recto tantum im-
portat præmissas.

Secundo probatur ratione
conclusio; nam instrumentum

sciendi, ut tale, tantum consti-
tuitur per id ratione cuius ma-
nifestet ignotum; sed syllogis-
mus non constituitur manife-
stans ignotum per conclusio-
nem, sed tantum per præmissas
artificiose dispositas: ergo in
quantum est instrumentum scien-
di, solum constituitur per præ-
missas, non per conclusionem.
Maior patet, nam instrumen-
tum, vel modus sciendi con-
stituitur per esse ignoti manife-
stativum. Minor vero probatur,
quia syllogismus non constitui-
tur manifestans ignotum per ip-
sum ignotum, quod manifestat;
cum ignotum non possit mani-
festari per ipsummet ignotum;
sed conclusio est ignotum, quod
manifestat syllogismus, ut est
instrumentum sciendi: ergo non
constituitur manifestans igno-
tum per conclusionem.

Explicatur: sicut definitio
manifestat ignotum explicative,
ita syllogismus argumentative:
sed quia definitum est id, quod
manifestatur per definitionem
explicative, definitum non in-
greditur in recto in definitione,
nec definitio constituitur in re-
cto per definitum: ergo quia
conclusio est id quod manifestat
syllogismus argumentative non
potest ingredi in recto ad con-
stitutionem syllogismi.

Dices, conclusionem etiam
manifestare præmissas, quia in-
tellectus regreditur via resolu-
tionis ex conclusione ad præci-
pia. Sed contra; nam licet intel-
lectus

lectus aliquando regrediatur ex conclusione per viam resolutionis ad principia, probando à posteriori principia per conclusionem, veruntamen in eo casu iam conclusio non est exercite conclusio, sed assumitur vt præmissa: sed in præsentì solum loquimur de conclusione, vt est exercite conclusio: ergò solutio, licet verum teneat, nostræ sententiæ non contrariatur.

Tertio probatur conclusio: nulla causa constituitur in recto per suum effectum, sed conclusio est effectus syllogismi: ergò syllogismus non constituitur per conclusionem in recto. Minor probatur: nam vt docet D. Thom. cum Arist. 1. posterior cap. 2. & cum eis communiter logici, demonstratio est syllogismus faciens scire, & syllogismus probabilis causat opinionem, & sophisticus errorem, nimirum circa conclusionem: ergò syllogismus demonstrativus est causa conclusionis scitæ, syllogismus probabilis conclusionis opinatæ, sicuti sophisticus conclusionis erroneæ: ergò syllogismus est causa conclusionis, & conclusio effectus syllogismi: non ergò conclusio ingreditur ad constitutionem syllogismi, vt est instrumentum sciendi.

Secunda conclusio:

DICO Secundo: *Syllogismus, in quantum est quidam discursus, & propositio ratio-*

nalis importat in recto non solum præmissas; sed etiam conclusionem; vt partes essentielles ex quibus componitur. Probatur primo ex D. Thom. opusc. 48. tractatu de syllogismo, cap. 4. aiente, quod omnis syllogismus constat tribus propositionibus, quarum duæ sunt præmissæ, & vltimæ conclusio: Ergò non solum præmissæ, verum etiam conclusio ingreditur ad constitutionem syllogismi in recto. Pater consequentia, quia D. Thom. æqualiter asserit syllogismum constare conclusione, àc præmissis. Tunc sic, sed non potest intelligi D. Thom. de syllogismo, vt est instrumentum sciendi: ergò debet intelligi de syllogismo, vt est discursus, & processus intellectualis.

Secundo probatur ratio: quia syllogismus, vt est discursus intellectualis, non salvatur præcisè in coniuncto ex præmissis: ergò consistit in coniuncto ex præmissis, & conclusione. Antecedens probatur: nam postquam intellectus assentitur præmissis, & antequam assentiat conclusioni, nondum intelligitur discurrens: ergò nec intelligitur syllogismus, vt est discursus intellectualis, & consequenter iste non salvatur in coniuncto ex præmissis. Antecedens probatur; nam intellectus assentitur præmissis per lumen principiorum, & sine discursu: ergò intellectus, antequam assentiat conclusioni præ-

præcisè per assensum præmissarum nondum intelligitur discurrens.

Confirmatur primo: nam iuxta D. Thom. 1. parte quæst. 58. art. 4. *Sicut in intellectu ratiocinante comparatur conclusio ad principium, ita in intellectu enuntiativè componente, aut dividente comparatur prædicatum ad subiectum*: sed enuntiatio constat essentialiter, & in recto, non solum subiecto, sed etiam prædicato: ergò ratiocinatio, seu discursus intellectualis non solum importat in recto præmissas, sed etiam conclusionem. Explicatur paritas D. Thom. nam sicut intellectus unit prædicatum cum subiecto per copulam est, ita unit, & connectit conclusionem cum præmissis per notam illationis; sed quia in enuntiatione unitur prædicatum cum subiecto per copulam, enuntiatio prout talis æqualiter, & in recto constat, non solum subiecto, verum etiam prædicato: ergò quia in syllogismo, quatenus est assurtus intellectualis, connectitur conclusio cum præmissis per notam illationis, syllogismus sic acceptus constat æqualiter, & in recto, non solum præmissis, verum etiam conclusionem.

Confirmatur secundo: syllogismus est quædam oratio hypothetica rationalis, in qua præmissæ sunt antecedens, & conclusio consequens, copula vero est nota illationis, sive particula ergò; sed propositio hy-

pothetica rationalis essentialiter, & in recto constat antecedenti, & consequenti: ergò syllogismus æqualiter, & in recto constat non solum præmissis, verum etiam conclusionem. Minor probatur: quia omnis oratio hypothetica æqualiter, & in recto constat ex categoricis unitis per particulam adverbialem; unde conditionalis: v. g. *si Petrus currit, movetur*, non importat in recto præcisè unam categoricam, & alteram in obliquo, sed utranque æqualiter in recto, & similiter de causali, coniunctiva, & disiunctiva: sed syllogismus est oratio hypothetica, in qua præmissæ connectuntur cum conclusionem per notam illationis: ergò importat in recto non solum præmissas, sed etiam conclusionem.

Urgetur: omne compositum artificiale importat æqualiter, & in recto partes immediate, & ex æquo unitas; nunquam vero contingit, quod ex partibus immediate unitis, unam dicat in recto, & alteram in obliquo; sed syllogismus est compositum artificiale constans præmissis, & conclusionem, tanquam ex partibus immediate unitis: ergò importat in recto tam præmissas, quam conclusionem. Minor probatur: nam in syllogismo per notam illationis immediate connectuntur præmissæ cum conclusionem; sed compositum ex huiusmodi nexu, & unione resultans est formaliter syllogismus, cum

ad

Ad aliud artificium logicale non pertineat: ergo syllogismus est compositum constans premissis, & conclusionem tanquam ex partibus immediate unitis. Explicatur: nota illationis in syllogismo, apud omnes, est copula adverbialis, sive unio artificialis logica: ergo unit immediate aliqua extrema, sive aliquas partes: sed non sunt alie partes, & extrema, quae immediate uniat, nisi praemissas cum conclusione, & conclusionem cum premissis: ergo immediate unit praemissas cum conclusione, & conclusionem cum premissis; sed ex omni unione artificiali immediata duorum resultat compositum artificiale utrumque importans in recto: ergo ex praedicta copula, vel unione resultat compositum artificiale logicum importans in recto tam conclusionem, quam praemissas: sed huiusmodi compositum est formalissime syllogismus, non enim est assignabilis alia species artefacti logici, ad quam pertineat: ergo syllogismus constat in recto tam conclusione, quam praemissis.

Confirmatur tertio: si conclusio non esset pars intrinseca syllogismi, nec esset pars intrinseca enthymematis; sed est pars intrinseca enthymematis: ergo & syllogismi. Maior patet: quia enthymema non minus est argumentatio, quam syllogismus: Minor vero probatur; quia si conclusio non esset pars intrinseca enthymematis, enthymema

tantum consisteret pro recto in unica propositione, cum praeter conclusionem, unicam tantum, & simplicem propositionem importaret; sed enthymema non potest consistere in unica tantum, & simplici propositione: ergo conclusio est pars intrinseca enthymematis. Minor probatur primo; quia enthymema essentialiter est propositio hypothetica; sed hypothetica non potest consistere in unica propositione categorica, sed essentialiter coalescit ex duabus propositionibus categoricis, tanquam ex partibus principalibus sui, ut constat ex eius definitione supra tradita, & a Logicis communiter admitta: ergo. Secundo, quia enthymema est species argumentationis; sed argumentatio non potest consistere pro recto in unica, & simplici propositione adaequate: ergo nec enthymema. Minor probatur primo, quia argumentatio definitur, *in qua, uno dato, aliud sequitur*; sed haec definitio non potest convenire simplici propositioni: ergo. Secundo; quia argumentatio pertinet ad tertiam intellectus operationem; sed simplex propositio tantum pertinet ad secundam: ergo argumentatio non potest consistere adaequate pro recto in unica, & simplici propositione.

(o)

Solvuntur argumenta.

EX Dictis facile iam erit argumenta dissolvere; hæc enim sunt in duplici differentia: alia, quæ probant syllogismum non importare in recto conclusionem, quia est instrumentum sciendi, manifestativum ipsius conclusionis. Alia suadent conclusionem in recto ingredi ad constitutionem syllogismi propter rationes memoratas. Et utrisque facile responderetur iuxta duplicem considerationem syllogismi, nimirum, distinguendo syllogismum, & prout est instrumentum sciendi, & prout est discursus intellectualis, seu oratio hypothetica rationalis: Et ad priora argumenta concedendum est, quod syllogismus, ut est instrumentum sciendi, non importat in recto conclusionem, sed solum præmissas artificiose dispositas, quia hoc per ea argumenta efficaciter probatur: negandum vero est id ipsum de syllogismo, ut est discursus, seu oratio rationalis; quia de syllogismo hoc modo sumpto probant efficaciter posteriora argumenta constare in recto tam conclusionem, quam præmissis.

14 Sed contra replicabis primo, quia syllogismus in quantum discursus, & oratio rationalis, est instrumentum, & modus sciendi: sed in quantum est instrumentum, & modus sciendi, non importat in recto con-

clusionem: ergo nec etiam in quantum est discursus, sive oratio rationalis. Respondeo, distinguendo maiorem: est adæquate, & secundum omne quod dicit in recto modus sciendi, nego maiorem: inadæquate, & secundum aliquid quod importat in recto, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Quia, sicut non valet: *Homo, in quantum homo, est rationalis; sed in quantum rationalis non est animal: ergo in quantum homo non est animal;* quia homo non est rationalis adæquate, & secundum omne quod dicit, sed solum secundum differentiam; ita non valet prædictus syllogismus, quia videlicet syllogismus ut est discursus, seu oratio rationalis, non est modus sciendi adæquate, & secundum omne quod dicit, sed inadæquate; & secundum aliquid sui, scilicet secundum præmissas.

15 Explicatur etiam in hac propositione, *homo est animal rationale*, quæ abs dubio explicat essentiam hominis, & in quantum illam explicans, est modus sciendi, seu definitio hominis: Quo supposito, si quis ita arguerat: hæc propositio est modus sciendi, seu definitio; sed in quantum est modus sciendi, & definitio, non importat in recto subiectum, sed tantum prædicatum, quia subiectum est definitum, quod non potest ingredi in recto in definitione: ergo nec huiusmodi propositio, in quan-

tum talis propositio importat in recto subiectum. Si, nimirum, ita argueret, non aliter melius responderi posset, quam distinguendo maiorem; hæc propositio explicat essentiam hominis, & est modus sciendi adæquate, & secundum omne quod dicit in recto, nego maiorem: in adæquate, & ratione prædicati, concedo maiorem, & minorem, & negatur consequentia; videlicet, quia talis propositio, ut propositio est, præter modum sciendi, seu definitionem importatam ex parte prædicati, vltius importat etiam in recto subiectum, & copulam, quæ, licet ingrediantur in recto ad constitutionem propositionis, non tamen ingrediuntur in recto in definitione.

16 Sic ergo dicimus, quod discursus syllogisticus est quidem modus, seu instrumentum sciendi inadæquate, & secundum quod importat præmissas, non tamen est discursus syllogisticus, nec oratio rationalis præcisè secundum quod importat præmissas, sed in quantum importat præmissas, ut instrumentum sciendi conclusionem, & ipsam conclusionem, ut scitam ex vtrius præmissarum; quæ licet non ingrediatur in recto ad constitutionem illius, ea parte, qua est instrumentum sciendi, ingreditur tamen in recto ad constitutionem illius, ut est discursus syllogisticus, & oratio rationalis.

17. Replicabis secundo, Adhuc

in quantum est instrumentum sciendi syllogismus constituitur in recto ex conclusione: ergo prima conclusio est falsa. Antecedens probatur, quia adhuc in quantum est instrumentum sciendi, est species argumentationis, & pertinet ad tertiam intellectus operationem; sed in quantum pertinet ad tertiam intellectus operationem, estque species argumentationis, essentialiter includit conclusionem; ut probatum manet: ergo etiam in quantum est instrumentum sciendi. Secundo, quia syllogismus directus distinguitur ab indirecto, vnicè per conclusionem præmissæ in *Barbara* sunt ipsæ quæ in *Baralipon*, & tamen *Baralipon* est modus specie diversus à *Barbara*, vnicè quia conclusio est diversa, nimirum directa in vno, indirecta in alio. Sed constitutum, & distinctivum idem sunt: ergo syllogismus constituitur essentialiter, etiam in quantum est instrumentum sciendi, per conclusionem.


18 Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem, distinguo maiorem, in quantum est instrumentum sciendi, est species argumentationis, & pertinet ad tertiam operationem intellectus formaliter adæquate, nego maiorem; inadæquate, incoative, & illative, concedo maiorem, & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Quia sicut hæc

hæc propositio: *homo est animal rationale*, in quantum est modus sciendi, non pertinet adæquatè ad secundam operationem intellectus, nec est formaliter adæquatè enuntiatio, sed inadæquatè, & constitutivè, quatenus per modum extremi definitum constituit enuntiationem; ità pariter dicimus quod syllogismus, secundum quod importat instrumentum sciendi, non est adæquatè formaliter argumentatio, nec adæquatè formaliter spectat ad tertiam operationem intellectus, sed constitutivè, quatenus inadæquatè constituit discursum syllogisticum, & orationem argumentativam, quæ formaliter pertinent ad tertiam operationem intellectus.

Ad secundam probationem distinguo maiorem: syllogismus directus distinguitur ab indirecto, in quantum est discursus, vel propositio rationalis, transeat; in quantum est instru-

mentum sciendi, nego maiorem, vel suppositum; quia syllogismus in *Barbara*, & in *Baralipon*, quoad vim ostensivam, & probativam, qua ratione sunt instrumenta sciendi, minime distinguuntur, sed sunt eiusdem speciei in recto, & solum distinguuntur ex parte effectus, quatenus idemmet instrumentum sciendi in *Barbara* causat, & infert effectum perfectiorem, seu clariorem conclusionem, quam in *Baralipon*; quia bene potest eadem causa specificè talis nunc causare effectum perfectum, deinde imperfectum, quamvis sic eadem specificè, immo individualiter. Sicuti enim instrumentum equitandi idem, potest causare in equo nunc motum directum, nunc indirectum, cur idem instrumentum sciendi in syllogismo non poterit causare, nunc conclusionem directam, nunc indirectam, etsi sit idem instrumentum sciendi?





LOGICA MAGNA

PROOEMIUM



POSTQVAM Totius humani generis Pro-
 toparens Adamus suo miserabili lapsu
 fœlicissimum iuocentię amisit statum,
 adeò infirmam, miserisq̃ue expositam
 humanam reliquit naturam, vt vix vlla
 ipsius facultas suo munere fungi valeat sinè defectibus,
 & erroribus plurimis: ideoque eam rectitudinem, quam
 primi culpa Parentis homines amiserunt, labore, & in-
 dustria contendunt recuperare. Quo sine plurimas inge-
 niosissimè invenerunt artes, quibus humanæ naturæ fa-
 cultates in suis regerentur officijs, & proprio munere, vllò
 absque defectu, erroreque, funderentur. Cùm autem
 præcipua humanæ naturæ facultas intellectus existat, il-
 leque, dum carcere corporis tenetur inclusus, in plures fa-
 cile dilabatur errores, necessarissimum fuit quãdam insti-
 tute artem, quæ eum pro posse ab omni vindicaret erro-
 re, & in suis dirigeret exercitijs, & operationibus: hæc
 igitur est Logica, sivè Philosophia rationalis, cuius exi-
 stentiam fatentur omnes rationis lumine non orbatij
 cuiusque originem adeò extollunt authores, vt eam Ada-
 mo divinitus infusam ab Omnipotenti artificè tueantur;
 exindèque per plura sæcula, & generationes dimanasse
 per disciplinam, qua Patres filijs, filij nepotibus, hique cæ-
 teris tradebant posteris, vsque dum Græcorum tempo-
 ribus

ribus, ea iam penè oblita, in lucem, & hominum memoriam fuit redacta ab illius sæculi Sapientibus; quales fuerunt Zeno, Socrates, Plato, & Architas. Sed inter omnes eminent Aristoteles, qui per antonomasiam *Philosophus* ab omnibus nostrorum sæculorum Scholasticis est vocatus, interpretemque meruit habere Angelicum Præceptorem; huic enim potissimè suum debet rationalis Philosophia splendorem. Et, quod maximè illam ex tollit, adeò eam Ecclesiæ Patres existimant necessariam, quod Rhetoricam, Historiam, Poësim, Philosophiam, & Medicinam, nisi logica præceserit, suo debito carere asserant splendore. Inò Clemens Alexandrinus lib. 1. *Stromatum*, sic eam extollit: *Logica sola manuducit ad veram sapientiam, & reddit id, quod est optimum, & præstantissimum, ut rectè cognoscamus hominemque, Deumque. Similiterque Div. Hieron. super Ezechielem: Quidquid in hoc sæculo, inquit, perversorum Dogmatum est, hac arte subvertitur, & instar incendij, in cineres, favillasque dissolvitur. Nec desunt Patres, qui Logicam à Christo Domino, & probatam, & exercitam asserunt. Non igitur otiosus censendus est labor, qui pro ea insumitur comparanda, imò totis viribus conari oportet, ut tam perutilem addiscatis artem, quæ mentem ab erroribus purget, & in veritatis cognitione manuducat foeliciter.*

TRACTATUS PRIMVS

DE PROOEMIALIBVS

LOGICÆ.



SVS Iam obtinuit, vt in exordio cuiuslibet facultatis quæstiones aliquæ excitentur reflectentes supra naturam, qualitatem, conditiones, & obiectum talis facultatis, quæ prooemiales vocantur: quod prolixius vsuuenit in logica; tum quia eius natura, & obiectum captu difficilimum; tum quia, cum sit prima ordine disciplinæ, exigere videtur, vt in eius prooemio ea explicentur, quæ pro alijs etiam facultatibus prodesse possunt. Sit igitur.

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit logica?

LOGICA Communiter sumpta est Facultas indagandi veritatem. Dividitur primo in naturalem, & artificialem. Logica naturalis est nativa facultas intellectus ad aliquammodo diffiniendum, dividendum, & discurrendum. Logica artificialis est facultas præbens intellectui certas, & universales regulas diffiniendi, dividendi, & argumentandi. Rursum Logica artificialis dividitur in actualem, & habitualem. Logica actualis est Colle-

ctio omnium actuum Logica. Logica habitualis est habitus, seu facultas ex actibus relicta in intellectu, quæ etiam permanet in dormientibus. Vtterius dividitur Logica in docentem, & utentem. Dicitur Logica docens, in quantum tradit regulas diffiniendi, dividendi, & argumentandi. Dicitur autem Logica utens, in quantum illis utitur ad aliquid sciendum, siue ad aliquod ignotum manifestandum. Dividitur etiam Logica in magnam, & parvam. Logica parva est, quæ considerat syllogismum ex parte formæ purè doctrinaliter tradendo regulas; vt fecimus in Summulis. Logica Magna est, quæ considerat

modum sciendi disputative, inquirendo naturam, & partes eius, tam quoad formam, quam quoad materiam, ut in præsentibus faciemus. Hæc nulli dubia, omnibus pervia: ad difficiliora transeo.

QUESTIO II.

Quid, & quotuplex sit obiectum in genere?

1 **N**ON Melius percipitur cuiuslibet facultatis natura, quam per sui obiecti examen: ideòque, sicut in omnibus scientijs solet fieri, prius de obiecto Logicæ agendum est, ut illius natura postea clarius elucescat. Pro quo præmittendam duxi præsentem quæstionem, in qua declarandum assumo, quid sit obiectum, & quotuplex, ut quæ de obiecto Logicæ dicturi sumus, ex se satis difficilia, & confusa, aliquantulum ab incipientibus percipiantur.

2 Obiectum igitur dicitur ab eo quod est obijci. Unde illud est obiectum alicuius facultatis, vel potentie, quod obijcitur ipsi, ut ab ipsa attingendum. V. g. paries dicitur obiectum potentie visivæ, quia ipsi obijcitur, ut ab ipsa attingendus.

3 Primo dividitur obiectum in formale, & materiale. Formale est quod per se, & ratione sui est attingibile ab aliqua facultate, præ alia. Obiectum materiale est quod redditur ratione alterius po-

tius attingibile ab una facultate, quam ab alia. V. g. in pomo color est obiectum potentie visivæ, quia pomum per colorem redditur attingibile potius à visu, quam ab olfatu: & olor est obiectum formale olfactus, quia per illud redditur potius attingibile ab olfatu, quam ab alia potentia, & idem est dicendum de sapore respectu gustus; ipsum autem pomum est obiectum materiale, quia per se non magis pertinet ad unam, quam ad alteram facultatem, sed hoc advenit ei ratione coloris, oloris, saporis, &c.

4 Rursus obiectum formale dividitur in obiectum formale quod, sive, quod idem est, in rationem formalem quæ, & in obiectum formale quo, sive, quod idem est, in rationem formalem sub qua. Obiectum formale quod, est quod per se est attingibile ab aliqua facultate præ alia, dependet tamen ut attingatur ab ulteriori determinatione ex parte obiecti. Obiectum formale quo est ultima determinatio, & formalizatio obiecti, ut attingatur à potentia. V. g. Color est obiectum formale quod visus, quia dependet à luce ut attingatur, & lux est obiectum formale quo, quia est ultimum complementum, & determinatio, ut color videatur.

5 Iterum obiectum formale dividitur in adæquatum, sive totale, & inadæquatum sive parziale. Obiectum adæ-

Quest. II. Quid, & quotuplex sit obiectum in genere?

4 *quatum: Est ratio communis attingendi omnia obiecta materialia: v. g. respectu potentiae vivae, color ut sic. Obiectum inadaequatum, seu parziale est ratio specialis attingendi tantum aliqua obiecta materialia: v. g. viride, respectu visus. Vbi nota quod obiectum formale adaequatum, quod praecipuum locum obtinet in ratione obiecti, solet appellari obiectum primum, eo quod ipsius attingentia est finis, quem per se primo intendit facultas. Vocatur etiam obiectum specificativum, quia ab illo sumit facultas suam specificationem, eiusque essentia specifica per illud mensuratur.*

4 *Obiectum etiam materiale dividitur in primum sive denominabile, & in secundarium, seu non denominabile. Obiectum materiale primum: Est quod in se recipit obiectum formale: v. g. paries, quae in se recipit colorem. Obiectum materiale secundarium, & non denominabile est quod in se non recipit obiectum formale, ad illud tamen aliquatenus ordinatur, sive tanquam signum, sive tanquam causa, sive tanquam oppositum, sive aliter: v. g. respectu Theologiae Deus est obiectum formale, virtutes vero, & alia quae ad ipsum ordinantur, sunt materiale secundarium, nec non peccata, quia ei opponuntur.*

5 *Ultimo nota, quod in quolibet arte illud est obiectum*

formale, & primum, quod est forma artificiosa, quam artifex intendit introducere in materia; ipsam autem materiam, in qua formam artificiosam inducit, esse obiectum materiale primum: quidquid autem per se ordinatur aliqua ex praedictis modis ad formam artificiosam, est obiectum materiale secundarium. Totum hoc patet in arte domificatoria, cuius obiectum formale, & primum est forma artificiosa domus in lignis, & lapidibus recepta. Obiectum autem materiale primum, sive denominabile: sunt materialia, in quibus recipitur artificium domus, & ex quibus ipsa domus componitur. Obiectum item materiale secundarium sunt actiones edificantium, quae diriguntur ab arte, id est domus depicta, & alia, quae aliquomodo conducunt, & ordinantur ad domum artificiose componendam.

6 *Quibus suppositis, cum Logica sit quaedam ars liberalis, cuius obiectum apud omnes est modus sciendi, hicque triplex excogitari possit, scilicet modus sciendi vocalis, modus sciendi formalis, & modus sciendi obiectivus: ideo de his tribus dubitari potest quomodo sint obiectum logicae: v. g. in hac definitione. Homo est animal rationale, potest inquiri, qualiter voces significantes animal rationale, quae sunt modus sciendi vocalis, sit obiectum Logicae.*

Qualiter actus intellectus representans animal rationale, qui est modus sciendi mentalis, sit obiectum Logicæ; deinde qualiter ipsum animal rationale, in quo consistit definitio obiectiva, sit obiectum formale, sive materiale Logicæ. Pro his omnibus declarandis triplicem exagitabo questionem. Quarum prima sit.

QVÆSTIO III.

Qualiter modus sciendi vocalis sit obiectum Logicæ?

Statuitur, & defenditur prima conclusio.

DICO Primo: *Voces significantes instrumenta sciendi, sive quod idem est, modus sciendi vocalis est obiectum, saltim materiale per se pertinens ad Logicam.* Probatur in hunc modum. Omne illud de quo aliqua scientia per se tractat, pertinet ad illam, saltim sive obiectum materiale: sed voces, prout significantes instrumenta sciendi, sunt de quibus Logica per se agit: ergo prædictæ voces sunt obiectum saltim materiale Logicæ. Maior est certissima. Minor probatur: Logica tractat de definitione, divisione, & syllogismo vocali, ut vidimus in minori dialectica: sed omnia prædicta nihil aliud sunt, quam voces, prout significantes instrumenta sciendi.


ergo voces, prout significantes instrumenta sciendi, sunt id, de quo Logica tractat.

2. Confirmatur primo: Illud, cuius proprietates Logica demonstrat, est obiectum saltim materiale Logicæ: sed Logica demonstrat de vocibus significantibus instrumenta sciendi plures proprietates: ergo voces sic significantes sunt obiectum saltim materiale illius. Minor probatur: Logica demonstrat de vocibus suppositionem, ampliationem, appellationem, æquivocationem, &c. Sed hæc omnia sunt proprietates vocum, prout significantium instrumenta sciendi: ergo Logica demonstrat proprietates de vocibus, prout significantibus instrumenta sciendi.

3. Secundo probatur conclusio: Obiectum Logicæ non solum sunt instrumenta sciendi, sed etiam instrumenta docendi: sed voces, prout significantes instrumenta sciendi, sunt instrumenta docendi: ergo voces sic significantes sunt obiectum Logicæ, saltim materiale. Minor patet, quia non aliter Magistri, & Doctores docent, & tradunt discipulis scientias, nisi per voces significantes instrumenta sciendi. Maior vero probatur: ideo instrumenta sciendi sunt obiectum logicæ, quia logica docet scire: sed etiam docet docere: ergo etiam instrumenta docendi sunt obiectum saltim materiale Logicæ.

et. Minor patet ex Divo Augustino, qui lib. 1. de ordine, cap. 13. ait: *Sola Logica docet docere, & sola illa scientes facere potest.*

4 Denique probatur conclusio: Oratio enuntiativa componitur ex vocibus: sed oratio enuntiativa est proprie obiectum Logicae: ergo voces sunt proprie obiectum Logicae. Minor probatur, primo ex Aristotele, qui primo de Interpretatione cap. 4. enumerans species orationis vocalis, sic ait: *Orationes caetera omittantur, ad oratoriam enim artem, aut Poeseos pertinent, enuntiativa praesentis est propria contemplationis: ergo iuxta Aristotelem oratio enuntiativa est proprie obiectum praesentis contemplationis, scilicet Logicae. Secundo ex Divo Thoma, qui primo Perhiermenias ait, quod significatio vocum, quae est immediata ipsis conceptibus intellectus, pertinet ad principalem considerationem Logicae; sed quod pertinet ad principalem considerationem Logicae, est obiectum illius, scilicet materiale: ergo significatio vocum, & consequenter voces, prout significant instrumenta sciendi, sunt obiectum Logicae, scilicet materiale.*



Solvuntur argumenta.

5 **S**ED Contra obijcies primo: Obiectum unius facultatis nequit esse obiectum alterius facultatis: sed voces sunt obiectum Grammaticae, & Rhetoricae: ergo non sunt obiectum Dialecticae. Confirmatur: Si Logica ageret de vocibus, esset scientia vocalis, aut sermocinalis: sed non est ita, sed scientia rationalis: ergo Logica non agit de vocibus, & consequenter voces non sunt obiectum logicae. Confirmatur secundo: Finis Logici non est instruere alios, sed se ipsum, iuxta Aristotelem dicentem, Logicum non esse ad alios, sed ad se: sed medijs vocibus Logicus non instruit se ipsum, sed alios: ergo Logicus per se non agit de vocibus.

6 Respondeo ad argumentum, distinguendo maiorem: obiectum unius facultatis nequit esse obiectum alterius sub eadem consideratione, concedo maiorem; sub diversa consideratione, nego maiorem; & concessa minori, distinguo consequens eodem modo. Itaque voces sunt obiectum Grammaticae, Rhetoricae, Poeseos, & Dialecticae, sed sub diversis considerationibus; nam ad Grammaticam pertinent, quatenus ordinantur ad componendum sermonem congruum; ad Rhetoricam, quatenus componuntur venustum, itaque ordi-

natè dispositum, ut suo artificio persuadeat audientem, ad Poësim autem, quatenus componunt sermonem certis metris, & accentibus mensuratum, ac proinde demulcentem auditum: Sub nulla autem ex his considerationibus ad Logicam pertinent voces; sed quatenus significant res eo ordine, & artificio conceptas, ut ex vi illius ignotum manifestent intellectui.

7 Ad primam confirmationem distinguo maiorem: Si Logica ageret de vocibus tanquam de fine primario, concedo maiorem: Si ageret de illis, tanquam de obiecto, & fine secundario, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam in sensu iam dicto. Itaque facultas sumit suam denominationem ab obiecto, & fine primario; cum autem voces, nec obiectum sint, nec finis primarius Logice, sed tantum obiectum secundarium, inde est quod Logica propter illas non est appellanda scientia vocalis, sed propter artificiose rationis, quod est illius primarium obiectum, debet appellari rationalis. Ad secundam distinguo maiorem: Finis primarius, concedo maiorem: Finis secundarius, nego maiorem: Et concessa minori, nego consequentiam. Ut enim vidimus ex Divo Augustino inter probandam primam conclusionem, Logica

non solum docet scire; sed etiam docet docere, ac per consequens saltem secundario ordinatur ad instruendum alios: Unde de vocibus agere debet tanquam de obiecto saltem secundario, ut ad utilibus instruendum alios.

8 Obijcies secundo. Ad Logicam non pertinet docere quænam sit definitio vocalis hominis, v. g. ergò Logica per se non agit de definitione vocali, & consequenter, nec de modo sciendi vocali. Antecedens probatur: ad Logicam non pertinet docere quod Grammatica docet; sed Grammatica docet quænam sit definitio vocalis hominis: ergò ad Logicam non pertinet hoc docere. Probo minorem: illa facultas docet quænam sit definitio vocalis hominis, quæ docet quænam voces significant definitionem hominis obiectivam; sed Grammatica docet quænam voces significant definitionem hominis, obiectivam: ergò Grammatica docet quænam sit hominis definitio vocalis. Minor probatur: definitio hominis obiectiva est animal rationale: sed Grammatica docet quænam voces significant animal rationale: ergò Grammatica docet quænam voces significant definitionem obiectivam hominis.

9 Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem, concessa maiori, nego

mi

Q. III. Qualiter modus sciendi vocalis sit obiectum Logica? 125

minorem. Ad cuius probationem iterum nego minorem. Ad eius probationem distinguo maiorem: definitio hominis obiectiva est animal rationale, animali sumpto per modum generis, & rationale per modum differentiae, concedo maiorem: independenter ab hac consideratione, nego maiorem: & distinguo minorem; Grammatica docet quænam voces significant animal rationale per modum generis, & differentiae, nego minorem: præcindendo ab hac consideratione, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque Grammatica solum docet quænam voces significant animal, & rationale absolute, & præcindendo à consideratione generis, aut differentiae; Grammatica enim solum docet hanc vocem *animal* significare animal; an vero significet genus, aut speciem, in tota Grammatica non docetur: Hoc enim pertinet ad Logicam, quæ non inquirat quænam voces absolute significant animal rationale, sed quæ illud significant per modum generis, aut differentiae.

10 Sed replicabis: Ad Grammaticam pertinet tradere voces significantes res eo modo, & ordine quo concipiuntur: Sed animal sæpe concipitur per modum generis, & rationale per modum differentiae; ergò ad Gramma-

ticam pertinet tradere voces significantes animal per modum generis, & rationale per modum differentiae. Confirmatur: Hæc vox *animal* ex vi suæ impositionis significat rationem communem sine differentijs: Sed Grammatica docet quidnam significantes voces ex vi suæ impositionis; ergò Grammatica docet hanc vocem *animal* significare rationem communem sine differentijs. Sed hoc est significare animal per modum generis; ergò Grammatica docet hanc vocem *animal* significare animal per modum generis. Maior probatur: Hæc vox *animal* in primis significat ex vi suæ impositionis animalitatem, quæ est ratio communis: deinde non significat differentias: ergò ex vi suæ impositionis significat rationem communem absque differentijs.

11 Ad replicam distinguo maiorem: Ad Grammaticam pertinet tradere voces significantes res eo modo, & ordine Grammaticali, quo concipiuntur, concedo maiorem, eo modo, & ordine Logico, quo concipiuntur, nego maiorem, & consequentiam. Nam ordo Grammaticalis in rebus conceptis est quod concipiuntur in casu nominandi, vel in casu dandi, vel in casu accusandi, vel in casu auferendi; quod concipia-

piatur de præfenti, vel de præterito, vel de futuro, & alia huiusmodi: at verò ordo logicus in rebus conceptis, est quod concipiuntur, ut subijcibiles, vel prædicabiles, ut genus, vel ut species, vel ut differentia, &c. Grammatica igitur tradit voces, ut significantes res primo ordine, non tamèn, ut significantes res secundo ordine, quia hic secundus ordo, non ad Grammaticam, sed ad Logicam pertinet per se.

Statuitur, & probatur secunda conclusio.

DICO Secundo: *Voces, prout significantes instrumenta sciendi, sive, quod idem est, modus sciendi vocalis, non est obiectum formale Logicæ, nec obiectum materiale denominabile, & primum, sed tantum obiectum materiale secundarium.* Tres partes continet conclusio, quæ suo ordine sunt probandæ. Prima igitur, scilicet, quod voces, sive modus sciendi vocalis non sit obiectum formale Logicæ, sic probatur primo; quia iuxta Philosophum in hoc distinguitur Logica à Rhetorica quod Rhetorica est ad alios, Logica vero ad se; sed, si voces essent obiectum formale Logicæ, æquè Logica esset ad alios, ac Rhetorica: ergò voces non sunt obiectum formale Logicæ; Minor probatur: ideo Rhetorica est

ad alios, quia agit de vocibus, tanquam de obiecto formali: ergò si Logica similiter haberet voces pro obiecto formali, æquè esset ad alios, ac Rhetorica.

13 Secundo probatur prima pars conclusionis: Id quod pertinet ad aliquam facultatem, tanquam signum manifestativum sui obiecti formalis, non est obiectum formale illius; sed modus sciendi vocalis pertinet ad Logicam, tanquam signum modi sciendi mentalis, & obiectivi, quorum alter, vel utrumque est obiectum formale Logicæ: ergò modus sciendi vocalis non est obiectum formale Logicæ. Maior, in qua sola est difficultas, probatur exemplis: ideo enim pulsus non est obiectum formale Medicinæ, quia ad illam pertinet, tanquam signum sanitatis, quæ est illius obiectum formale. Rursus: ideo Sphæra lignea non est obiectum formale Astrologiæ, quia ad illam pertinet, tanquam signum Sphære cœlestis, quæ est illius obiectum formale. Et denique, ideo Musica non respicit pro formali obiecto figuras musicas in libro exaratas, quia ad illam pertinent, tanquam significantes concentum tonorum, qui est obiectum formale illius: ergò id quod pertinet ad aliquam facultatem, tanquam signum manifestativum obiecti formalis, non est obiectum formale illius.

14 Confirmatur: Ideò pulsus non est obiectum formale

Medicinæ, quia licet dicatur sanus, non tamen est in se propriè & formalitèr sanus, sed tantum indicativè, quatenùs indicat sanitatem formalem animalis: sed modus sciendi vocalis non est propriè, & formalitèr in se modus sciendi, sed tantum significativè, quatenùs significat modum sciendi formalem, & obiectivum: ergò modus sciendi vocalis non est obiectum formale Logicæ. Minor, in qua est difficultas, probatur, quia hæ voces, *animal rationale* sunt modus sciendi vocalis; sed hæ voces non sunt formalitèr in se definitio, sive modus sciendi: ergò modus sciendi vocalis non est in se formalitèr modus sciendi. Minor, in qua est difficultas, probatur, quia definitio, quæ propriè, & formalitèr est talis, prædicatur de definito, & constat genere, & differentia; sed prædictæ voces nec constant, aut sunt genus, & differentia, nec possunt prædicari de homine, qui est definitum: ergò prædictæ voces non sunt propriè, & formalitèr definitio.

15 Secunda pars conclusionis, quod scilicet modus sciendi vocalis, sive voces non sint obiectum materiale primum, sive denominabile, probatur: Obiectum materiale artis primum, sive denominabile est id, in quo recipitur artificium, quod est obiectum formale illius, ut vidimus questione secunda numero 8. sed artifi-

cium modi sciendi, quod est obiectum formale Logicæ, non recipitur in vocibus, sed ab ipsis tantum significatur, cum sit artificium mentale, aut obiectivum: ergò modus sciendi vocalis, aut voces non sunt obiectum materiale primum, aut denominabile Logicæ.

16 Tertia pars, scilicet quod voces sint obiectum materiale secundarium, patet à sufficienti partium numeratione, quia in primis sunt obiectum Logicæ, ut vidimus in prima conclusione: Deindè non sunt obiectum formale, aut primum materiale: ergò sunt obiectum secundarium materiale Logicæ.

17 Sed contra primam partem conclusionis, obijcies primo: Quod per se, & immediatè attingitur à Logica est obiectum formale Logicæ; sed voces per se, & immediatè attinguntur à Logica: ergò sunt obiectum formale Logicæ. Maior patet ex definitione obiecti formalis. Minor verò probatur: eatenùs voces attinguntur à Logica, quatenùs significant modum sciendi mentalem, & obiectivum: ergò per se, & immediatè attinguntur à Logica. Confirmatur primo: quod non est indifferens, ut attingatur ab hac, vel illa facultate, sed per se est determinatum ut attingatur potius ab una, quàm ab alia, non est obiectum materiale illius, sed formale; sed voces prout signifi-

ficantes instrumenta sciendi nō sunt indifferentes, sed potiùs determinatæ, vt attingantur à Logica: ergò sūt obiectum illius, non materiale, sed formale. Confirmatur secundo: quod est obiectum formale alicuius actus Logice, est obiectum formale Logice: sed voces sunt obiectum formale alicuius actus Logice: ergò sunt obiectum formale Logice. Minor probatur, quia obiectum formale huius actus: *Oratio est vix significatiua ad placitum, cuius partes separate significant*, habet pro formali obiecto voces, vt ex se patet; sed ille actus est logicus. ergò aliquis actus Logice habet pro obiecto formali voces.

18 Ad argumentum respondeo distinguendo maiorem. Quod per se primo, & immediate attingitur à Logica, est obiectum formale Logice, concedo maiorem: quod per se secundo, & immediate attingitur, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; & ad probationem minoris, concessa maiori, & minori, distinguo consequens prædicto modo. Itaque illud per se primo attingitur à Logica, quod attingitur ab ipsa, non quatenus dicit respectum, & ordinem ad suum obiectum formale, sed absolute, & independentè à tali ordine, & respectu, & quod hoc modo attingitur est obiectum formale Logice. Illud autem attingitur per se secundo,

quod attingitur quatenus per se dicit ordinem ad obiectum formale: quia cū Logica per se primo agat, & attingat suum obiectum formale; per se secundo debet attingere quidquid per se ordinatur ad illud; cum autem voces per se ordinentur ad modum sciendi obiectivum manifestandum, qui est formale Logice obiectum, inde est quod per se secundo, & tanquàm obiectum materiale secundarium pertineant ad Logicam.

19 Ad confirmationem distinguo maiorem: Si sit per se primo determinatum, vt potiùs ab vna, quàm ab altera facultate attingatur, concedo maiorem; si sit determinatum per se secundo, nego maiorem; & distincta eodem modo minori, nego consequentiam: quia voces, vt significantes instrumenta sciendi, non sunt per se primo determinatæ, vt attingantur à Logica, sed tantum secundario, quatenus ordinantur ad modum sciendi obiectivum, quod per se primo determinatum est vt attingatur à Logica, & ratione cuius cætera ab ipsa attinguntur.

20 Ad secundam confirmationem distinguo maiorem: quod est obiectum formale alicuius actus Logice, prius; est obiectum formale Logice, concedo maiorem: alicuius actus secundarij, nego maiorem, & distinguo minorem eodem modo: cuius probatio nihil con-

vincit, quia fatemur plures actus Logice habere voces pro obiecto formali: Sed hi actus Logice non sunt actus primario ab illa intenti, sed secundo, & per ordinem ad alios: unde licet voces sint obiectum formale respectu illius actus, non tamen respectu Logice: sicut bonitas proximi est obiectum formale alicuius actus charitatis, quia tamen ille actus non est actus primario intentus a charitate, ideo bonitas proximi non est obiectum formale charitatis.

QUESTIO IV.

Qualiter modus sciendi mentalis sit obiectum Logice.

MODVS Sciendi mentalis appellari solet modus sciendi formalis; ille tamen nihil aliud est, quam actus intellectus, sive illius operationes, ut representantes obiecta cum ordine, & artificio logico. V. g. definitio mentalis hominis nihil aliud est, quam actus, seu operationes intellectus representantes animal per modum generis, & rationale per modum differentie. Unde questio interrogat qualiter huiusmodi actus, sive operationes intellectus sint obiectum Logice.

Statuitur, & probatur prima conclusio.

DICO primo: Actus sive operationes intellectus sunt obiectum materiale a Logica dirigibile: Est communis apud omnes, & probatur: Quia Logica instituta fuit ut dirigeret intellectum in suis operationibus; sed hoc ipso operationes intellectus sunt obiectum Logice materiale ab ipsa dirigibile: ergo operationes intellectus sunt obiectum materiale a Logica dirigibile. Minor probatur: Quia ars edificatoria instituta est, ut dirigeret edificantem domum in suis actionibus, actiones edificantis sunt obiectum materiale ab hac arte dirigibile: & quia ars citarizandi instituta est ad dirigendum citarizantem in movendis digitis, & tangendis chordis, ideo motus digitorum, & tactus chordarum est materia dirigibilis ab arte citarizandi, & sic similiter in qualibet arte, actiones artificis sunt materia dirigibilis ab arte, quia ars inventa fuit ad dirigendum artificem in suis actionibus; sed Logica fuit instituta ad dirigendum intellectum in suis actionibus, & operationibus: ergo actus intellectus, seu illius operationes sunt obiectum materiale a Logica dirigibile.

3 Deinde probatur: Conclusio singillatim de tribus operationibus intellectus: Omnis

nis operatio, in qua intellectus potest errare, est dirigibilis à Logica, & consequenter obiectum materiale illius; sed intellectus in qualibet ex tribus operationibus potest errare: ergò quælibet ex tribus operationibus intellectus est materia dirigibilis à Logica. Minor, in qua est difficultas, probatur: quia in primis intellectus potest errare in prima operatione apprehendendo ut genus, quod est species, & ut concretum substantiale quod est concretum accidentale, itemque potest elicere malas definitiones, & divisiones, ut ex se patet, quod totam pertinet ad primam operationem. Deinde potest etiam errare in secunda operatione, quia potest iudicare falso, & per tertiam operationem potest inferre malè, quod totum errare est: ergò intellectus per quamlibet ex tribus operationibus errare potest.

4 Obijcies secundo: Similitudo naturalis obiecti nequit esse difformis obiecto: sed quælibet intellectus operatio est naturalis similitudo sui obiecti: ergò nulla operatio intellectus potest esse difformis suo obiecto, & consequenter in illis intellectus errare nequit. Minor patet, quia actus intellectus non repræsentant ad placitum, sed naturaliter: ergò sunt similitudo naturalis sui obiecti.

5 Respondeo, distinguendo maiorem: naturalis, & physi-

ca similitudo obiecti nequit esse difformis suo obiecto, omitto maiorem (quàm revera negare possem, quia filius est similitudo naturalis physica Patris, & tamèn non semel evadit difformis in pluribus accidentibus Patri) naturalis intentionalis, sub distinguo, si sit similitudo obiecti prout est in se, concedo maiorem: si sit similitudo obiecti aliter ac est in se, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Itaque actus intellectus naturaliter repræsentant obiectum, sed non physicè, sed intentionaliter; repræsentatio autem intentionalis potest repræsentare obiectum adæquatè, & prout est in se, & tunc caret omni errore: & potest repræsentare obiectum inadæquatè sub hoc, vel illo respectu, hoc, vel illo modo, in quo facillime potest error contingere, & repræsentare obiectum aliter ac exigit repræsentari, apprehendendo cum respectu generis, quod talis respectus est incapax, affirmando de aliquo subiecto prædicatum, quod illi repugnet, & inferendo ex aliquo antecedenti quod revera non inferitur.

6 Sed replicabis: Iuxta Div. Thom. intellectus nequit errare, seu falli circa simplicem quidditatem, sicut sensus nequit decipi circa proprium sensibile: sed ita sensus nequit decipi circa proprium sensibile, quod minimè errare potest

potest, & ideo non indiget arte dirigente ad illud attingendum; ergo similiter intellectus ad attingendam simplicem quidditatem per apprehensionem non indigebit arte dirigente, nec errare poterit. Respondeo explicando D. Thom. Intellectus nequit decipi circa simplicem quidditatem absolute, & quoad substantiam, concedo maiorem: circa simplicem quidditatem quoad respectum, & modum sub quo debet concipi, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Itaque D. Thom. æquiparat sensum, & intellectum in eo, quod sicut sensus nequit falli, seu decipi circa sensibile in attingendo unum pro alio, ita intellectus circa quidditatem rei intellectæ decipi nequit, hoc est, concipiendo unam quidditatem pro alia: non tamen negat D. Thom. posse intellectum decipi concipiendo, v. g. quidditatem hominis per modum generis, & quidditatem animalis per modum differentia, seu speciei.

7 Obijcies secundo: Omnis actus intellectus, vel est rectus, vel est pravus; sed nullus actus rectus, & nullus actus pravus est dirigibilis à Logica: ergo nullus actus intellectus est à Logica dirigibilis. Minor probatur, quia ille solum actus effectus dirigibilis, qui posset fieri bene, vel male; sed si est rectus, nequit fieri male, & si est pravus, nequit fieri recte: ergo nullus actus in-

tellectus, sive rectus, sive pravus est à Logica dirigibilis. Maior patet; quia illud tantum est per artem dirigibile, quod indifferentiter potest fieri tam recte, quam prave.

8 Respondeo distinguendo maiorem: Omnis actus intellectus, vel est rectus, vel est pravus ex suo genere, nego maiorem; ex sua specie, aut individuo, concedo maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Ad probationem maioris dico, quod ut aliquis actus sit dirigibilis, non requiritur quod idem actus consideratus in specie, aut individuo possit recte, & prave fieri; sed sufficit quod ex suo genere possit ille actus fieri bene, vel male, ut patet in actibus voluntatis, qui à Philosophia morali dirigibiles sunt, & à Prudentia; & tamen plures actus voluntatis in specie, aut in individuo considerati nequeunt fieri male, ut sunt omnes actus virtuosus, & plures nequeunt fieri bene, ut sunt omnes actus vitiosus; sunt autem dirigibiles, quia cum ex genere actus humani sint capaces rectitudinis, vel pravitatis, Philosophia moralis, & Prudentia dicunt, quod si voluntas se exercent circa materiam virtutis, sic cum rectitudine illius virtutis, & non cum pravitate oppositi vitij. Pariter ergo, quia actus intellectus ex genere suo sunt capaces rectitudinis, vel erroris in representando obiecto

Et propterea sunt dirigibiles à Logica, quæ dicitur intellectui qualiter debeat repræsentare objecta, ut repræsentatio evadat recta, & ordinata, non confusa, & inordinata.

9 Pro cuius intelligentia, & pro sequenti conclusione valde notandum est, dupliciter aliquid posse esse dirigibile ab arte, vel ab alia facultate directiva, scilicet, subiective, vel obiective. Illud dicitur obiective dirigibile, quod est objectum dictatum, aut præscriptum per regulas, & præcepta facultatis dirigentis. Unde, cum Logica dicitur definitionem, v. g. esse ita construendam, aut syllogismum esse ita formandum, definitio, ut sic, construenda, & syllogismus ita formandus, sicut præcipit Logica, est dirigibilis obiective. Illud vero dicitur dirigibile subiective, quod ex se est capax rectitudinis, vel pravitatis, & propterea dirigitur per regulas, & præcepta, ut rectitudinem potius quam pravitatem contrahat.

Hoc tamen adhuc dupliciter contingere valet: nam potest aliquid esse dirigibile subiective per modum subiecti physici, vel tantum per modum subiecti logici. Illud est subiective dirigibile per modum subiecti physici, quod supponitur in suo esse naturali adæquate constitutum, & ulterius est capax recipiendi rectitudinem accidentalem, & ar-

tificialem dispositionem: & hoc pacto sunt dirigibiles partes cuiuslibet artefacti: v. g. ligna & lapides, siquidem constitutæ prius in suo esse essentiali, & naturali, ulterius sunt capaces recipiendi novam dispositionem, & formam artificialem, quæ recte ordinentur in formam domus. Illud autem est dirigibile subiective per modum subiecti logici, quod adæquate consideratum in suo esse essentiali est determinate rectum per suam entitatem, & essentiam; inadæquate tamen, & secundum rationem genericam consideratum est capax rectitudinis, vel pravitatis contrahendæ per differentiam specificam. Et quia ratio generica respectu differentialis non est subiectum physicum, sed pure logicum, ideo hoc dicitur subiective dirigibile per modum subiecti logici.

10 Igitur actus intellectus, ut ex sua specie determinate recti, solum sunt dirigibiles obiective à Logica, quia Logica dicitur tales actus esse eliciendos, ut determinate rectos; non sunt autem hoc pacto dirigibiles subiective, quia ut determinate recti non sunt subiective capaces erroris, vel falsitatis, rectitudinis, aut pravitatis. Considerati autem inadæquate, & ex genere suo, sunt dirigibiles subiective per modum subiecti logici rectitudinis, quia ex suo genere sunt logice indifferentes, & contrahibiles per rectitudinem.

dinem; vel pravitatem. An autem actus intellectus ex sua specie determinate recti sint ulterius subiective dirigibiles per modum subiecti physici ita ut sint subiective capaces ulteriori dispositionis, rectitudinis, & ordinis accidentalis, & artificialis, tanquam partes disponibles in formam artefacti logici? non satis est compertum. Affirmare quidem videtur Collegium D. Thom. Complut. in presenti art. 2. n. 35. sed inconsequentè, nam, ut sepe affirmat, præsertim num. 63. conceptus formales non recipiunt in se formam artificialem, sed sunt via ad illam introducendam in obiectis. Unde censeo actus intellectus non esse dirigibiles subiective per modum subiecti physici, in quo tanquam in materia artis recipiatur rectitudo artificialis: de quo infra. Sed quocumque modo sint subiective dirigibiles.

Secunda conclusio.

11 **D**ICO Secundo: *Actus ut subiective dirigibiles ad construendum artefactum logicum non sunt obiectum formale Logicæ.* Ità communiter Authores utriusque Scholæ. Probatur primo: quia nullius artis obiectum formale est materia subiective dirigibilis ad artefactum componendum: ergò, nec obiectum formale Logicæ sunt operationes intellectus; ut subiective dirigibiles ad construendum

logicum artefactum. Maior probatur ratione, & exemplis; ratione quidem, quia obiectum formale artis est forma artificiosa, quam artifex intendit introducere in materia; sed materia subiective dirigibilis ad construendum artefactum non est forma artificiosa, quam artifex intendit introducere in materia, ut ex se patet: ergò materia subiective dirigibilis ad construendum artefactum nequit esse obiectum formale artis.

12 Deinde exemplis. Ideò enim, nec actiones manus, nec lapides, & ligna, ut subiective dirigibilia ad construendam domum, sunt obiectum formale artis domificatorie, quia ut sic sunt materia subiective dirigibilis ad construendam ipsam domum: & ideò ferrum ut subiective dirigibile non est obiectum formale artis frenofactorie, quia ut sic est materia disponibile ad construendum frænum: ergò universaliter verum est, quod materia, prout subiective dirigibilis ad construendum artefactum, non est obiectum formale artis. Ex quo inferes, quod quamvis actus intellectus essent subiective capaces formæ artificialis modi sciendi, adhuc ut subiective dirigibiles per ipsam, non essent obiectum formale Logicæ.

13 Confirmatur: Obiectum formale artis debet esse forma artificiosa; sed dirigibilitas operationum intellectus non est forma artificiosa in actibus intellectus; ergò dirigibilitas non est obiectum formale artis.

obiectum formale artis logica-
lis, & consequenter, nec opera-
tiones intellectus, vt dirigibi-
les. Minor probatur: forma ar-
tificiosa non convenit rei in
qua invenitur tanquam pro-
prietas naturalis illius, sed ex vi
artis, & industrie, vt patet in for-
ma artificiosa domus; sed diri-
gibilitas convenit actibus intel-
lectus tanquam proprietate na-
turalis illorū independenter ab
omni arte, & industria, cū actus
intellectus ex natura sua dirigi-
biles sint subiective: ergo dirigi-
bilitas reperta in actibus intelle-
ctus non est forma artificiosa.

14 Obijcies primo. Illud
est obiectum formale Logicæ,
quod est ratio attingendi obie-
cta materialia illius: sed opera-
tiones intellectus sunt obiectum
materiale Logicæ, & eorum di-
rigibilitas est ratio ipsas atting-
endi: ergo dirigibilitas opera-
tionum intellectus est obiectum
formale Logicæ, & consequen-
ter ipsæ operationes, vt dirigi-
biles. Minor, quoad secundam
partem, prob. quia interroganti
quare logica attingit operatio-
nes intellectus? Reddes rationē:
quia dirigibiles sunt: ergo earū
dirigibilitas est ratio attingendi
ipsas operationes intellectus.

15 Respondeo distin-
do maiorem: Illud est obiectum
formale Logicæ quod est ra-
tio primaria attingendi obie-
cta materialia, concedo maio-
rem: quod est ratio secunda-
ria, nego maiorem; & distin-

cta minori eodem modo quoad
secundam partem; nego con-
sequentiam: & ad probationem
dico, quod qui illam reddide-
rit rationem, reddet rationem
secundariam. Unde ulterius in-
terroganti; quare quod est di-
rigibile in formam artefacti Lo-
gici, est attingibile à Logica?
Necessario debet ad aliam ra-
tionem principaliorē, & pri-
mariam recurrere, dicendo:
*Quid obiectum formale logicæ est
artefactum Logicum: & conse-
quenter ipsum artefactum Lo-
gicum erit ratio primaria, qua-
re Logica attingit operationes
dirigibiles ad illud constru-
endum. Et instatur: Interroganti,
quare Theologia agit de pec-
cato? Recte respondetur, quia
peccatum est contra Deum; &
tamē indē non licet inferre:
ergo contrarietas cū Deo est
obiectum formale Theologiæ.
Quare? quia illa ratio non est
primaria, sed secundaria. Unde
ulterius interrogati, quare Theo-
logia agit de eo quod est contra
Deum? Ultimo, & primario res-
pondetur: *Quia primario agit de
Deo.* Sic similiter in nostro casu;*

16 Obijcies secundo: obie-
ctum formale artis non est quid
directum, sed quid dirigibile: er-
gō operationes intellectus vt di-
rigibiles sunt obiectum forma-
le Logicæ. Antecedens proba-
tur: obiectum formale intelle-
ctus non est intellectum, sed in-
telligibile, & obiectum formale
potentiæ visivæ non est visum,
sed

sed visibile: ergo similiter obiectum formale artis directive non est directum, sed dirigibile. Confirmatur: Scientia supponit suum obiectum; sed Logica non supponit operationes intellectus, ut directas, sed illas tantum supponit ut dirigibiles: ergo operationes intellectus, ut dirigibiles, sunt obiectum formale Logicæ.

17 Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas stat in eo quod facultates artificiales sunt sui obiecti factivæ, cum dirigant ad illius constructionem. Cum autem dirigibile, ut tale, non fiat ab arte, sed ad illud præsupponatur existens, inde est quod dirigibile, ut tale, nequit esse obiectum formale artis. At verò intellectus, & potentia visiva non sunt factivæ suorum obiectorum, sed mere speculativæ respectu illorum; unde possunt quam optimè habere pro obiecto intelligibile, & visibile. Rursus: visum ut tale constituitur formaliter per actum potentia visivæ, & intellectum ut tale per actum intellectus; quia visum, & intellectum sunt denominationes extrinsecæ a visione, & intellectione. Cū autem nec actus potentia visivæ sit obiectum formale illius, nec actus intellectus, potentia intellectivæ, inde est quod intellectum ut tale, aut visum ut tale, non possunt esse obiectum formale harum potentiarum. At vero obiectum artis

non constituitur formaliter directum, sive rectum ut tale per actus artis, sed per formam artificiosam in ipso artefacto reperiendam, & ab actibus artis distinctam, consequenterque potest esse obiectum formale artis.

18 Ad confirmationem distinguo maiorem: scientia supponit suum obiectum ut existens, vel possibile, concesso maiorem: ut existens semper, nego maiorem, & distinguo minorem: Logica non supponit operationes intellectus, ut directas, actualiter, & in exercitio concesso minorem: ut directas possibiliter nego minorem, & conseq. Quia scientia artificialis, qualis est Logica, non solum non debet, sed nec potest supponere suum obiectum, ut exercite existens; alias, ut quid dirigeret ad eius constructionem? Unde sufficit quod illud supponat ut factibile; & hoc pacto bene potest supponere artefactum rectum, scilicet, ut factibile cum tali rectitudine.

Statuitur tertia conclusio:

19 **D**ICO Tertio: Actus intellectus, ut directi, sive prout sunt modus sciendi mentalis, non sunt artefactum, quod per se respicit Logica, tanquam obiectum formale. Hæc conclusio est communis inter plerosque Thomæ contraria tamen ferè omnibus Societatis Auctoribus, & prob. primo. Quia id, in quo non reperitur forma artificialis, non est ar-

refactum quod respicit ars tanquam obiectum formale; sed in operationibus intellectus, ut directis, non reperitur forma artificialis Logica: ergo predictae operationes non sunt artefactum quod Logica respicit tanquam obiectum formale. Min. prob. Si in actibus intellectus aliqua reperiretur forma artificialis, esset rectitudo illorum; sed rectitudo actuum intellectus non est forma illorum artificialis: ergo in actibus intellectus non invenitur forma artificialis Logica. Min. prob. Rectitudo actuum intellectus consistit in recta representatione obiectorum; sed recta representatio obiectorum non est forma artificialis in actibus intellectus: ergo rectitudo actuum intellectus non est forma artificialis illorum. Mai. est certa Min. prob. Omnis forma artificialis convenit rei, cuius est forma artificialis, accidentaliter, per artem, & industriam, non autem essentialiter, & per identitatem; sed recta representatio convenit actibus intellectus per identitatem, & essentialiter, non autem accidentaliter, & per industriam: ergo. Min. patet, nam actus intellectus per suasmet entitates representant recte obiecta.

20 Confirmatur: Actus intellectus non sunt materia, in qua recipitur forma artificialis modi sciendi: ergo actus intellectus, adhuc ut directi, non sunt artefactum quod Logica respi-

cit pro formali obiecto: Antecedens probatur. Quia in actibus intellectus nulla forma artificialis recipitur, quae sit realis, & vera: nec quae sit rationis, & ficta: ergo actus intellectus non sunt materia, in qua recipitur forma artificialis modi sciendi. Antec. quoad secundam partem, conceditur a contrariis, quia forma ficta rationis semper se tenet ex parte obiecti, nunquam tamen ex parte actus. Quoad primam autem prob. quia forma artificialis, quae recipitur in materia artis, debet esse distincta a materia ipsa; sed nulla datur forma artificialis realis ab actibus intellectus distincta, & in ipsis realiter recepta: ergo nulla forma artificialis, quae sit realis, recipitur in actibus intellectus tanquam in materia artis.

21 Respondebis pro contrariis, dari formam artificiosam actibus intellectus convenientem, non distinctam ab omni actu intellectus, sed tantum ab eo, cuius est forma artificialis; ita ut inter actus intellectus, unus se habeat ut forma, & alij se habeant ut materia. V.g. apprehensiones terminorum se habent ut materia, & iudicium illas uniens tanquam forma artificialis.

22 Sed contra primo; quia forma artificialis recipitur in materia, cuius est forma artificialis; sed iudicium non recipitur in apprehensionibus ad illud preceden-

mentibus: ergo iudicium non est forma artificialis respectu apprehensionum precedentium. Minor, in qua est difficultas, patet, quia unus actus intellectus non recipitur in alio, sed omnes recipiuntur in potentia à qua eliciuntur; cum sint actus formaliter immanentes.

23 Secundo: Eatenus iudicium esset forma apprehensionum, quatenus illas uniret tanquam partes ad componendam propositionem mentalem; sed iudicium non uniret apprehensiones: ergo non est forma illarum. Probo minorem: si illas uniret esset per modum subiecti, & predicati; sed hoc modo nequit illas unire: ergo. Probo minorem una apprehensione nequit esse subiectum respectu alterius, nec altera predicatum (subiectum enim est de quo aliquid predicatur, una autem apprehensio non predicatur de altera:) ergo iudicium non uniret apprehensiones per modum subiecti, & predicati.

24 Tertio: Ea precise uniret iudicium, quorum identitatem repræsentat; sed iudicium non repræsentat identitatem apprehensionum, alias omne iudicium esset fallum; cum fallum sit apprehensiones identificari: ergo iudicium non uniret apprehensiones. Maior patet, quia iudicium non habet unire, aut dividere, nisi quatenus repræsentat identitatem, vel distinctionem extremorum.

25 Secundo probatur conclusio: artefactum, quod Logica

respicit tanquam obiectum formale, sunt instrumenta sciendi proprie dicta, v. g. definitio, divisio, subiectum, & predicatum, genus, & differentia, & his similia; sed actus intellectus, adhuc ut directi, proprie loquendo, non sunt subiectum, predicatum, genus, &c. ergo actus intellectus, adhuc ut directi, non sunt artefactum, quod Logica respicit tanquam obiectum formale. Minor probatur. Genus est quod predicatur de pluribus differentiis specie, predicatum est id quod dicitur de subiecto, &c. sed nec actus intellectus, ut directus, predicatur de pluribus specie differentiis. nec dicitur de subiecto: ergo actus intellectus, proprie loquendo, non sunt subiectum, predicatum, genus, &c.

26 Respondebis, esse quidem actus intellectus, genus, subiectum, & predicatum mentale, non autem obiectivum. Sed contra. Nam predicatum mentale (& idem de cæteris instrumentis sciendi) non est proprie, & simpliciter predicatum: sed obiectum formale logicae est predicatum, quod proprie, & simpliciter est predicatum: ergo predicatum mentale, & consequenter actus intellectus, ut directus, non est obiectum formale Logicae. Minor probatur primo; quia predicatum mentale non est quod dicitur de subiecto. Secundo, quia quod tantum repræsentative, & significative est tale, non est proprie, & simpliciter tale; sicut imago

Cælaris, quia tantum repræsentative est Cæsar, non est proprie, & simpliciter Cæsar; & pullus, quia tantum significative est sanus, non est proprie, & simpliciter sanus; sed prædicatū mentale tantū est prædicatum repræsentative, quatenus repræsentat rē, quæ proprie, & simpliciter prædicatur: ergo prædicatū mentale non est proprie, & simpliciter prædicatum.

27 Tertio probatur conclusio. Actiones, quibus fit artefactum, quod respicit ars, non sunt obiectum formale artis: sed actus intellectus, ut directi, sive modus sciendi mentalis sunt actiones, quibus fiunt artefacta, quæ respicit Logica: ergo prædicti actus non sunt obiectum formale Logicæ. Maior patet in qualibet arte. Ars enim edificatoria, v. g. non respicit pro formali obiecto actiones manuum, quibus fit artefactum domus, sed ipsam domum: ergo similiter qualibet. Minor verò probatur; nam intellectus aliquibus actibus facit instrumenta sciendi, sive artefacta Logicalia: v. g. syllogismum, definitionem, &c. sed non alijs, quam suis actibus, ut directis: ergo actus intellectus, ut directi sunt actus quibus fiunt artefacta logicalia.

Confirmatur. Nam iuxta D. Thom. primo Posteriorum lect. 2. *Logica versatur circa actus rationis, sicut ars edificatoria versatur circa actiones*

manuum; sed ars edificatoria non respicit actiones manuum, adhuc ut directas, tanquam obiectum formale, quia sunt actiones quibus fit artefactum domus, quod per se respicit ars edificatoria: ergo nec actus intellectus, adhuc ut directi, sunt obiectum formale Logicæ, cum etiam sint actus, quibus fiunt artefacta Logicalia.

28 Denique probatur conclusio ratione speciali; quia rectitudo, quam Logicus non debet attendere, ut rectè procedat, non est obiectum formale Logicæ, ut per se patet; sed Logicus, ut rectè procedat, non debet attendere ad rectitudinem se tenentem ex parte actuum intellectus. ergo rectitudo ex parte actuum intellectus non est obiectum formale Logicæ, & consequenter, nec actus intellectus ut directi. Minor probatur primo, nam per hoc præcisè, quod Logicus attendat ad rectam dispositionem obiectorum, sub qua debent repræsentari, & eam dispositionem observet, licet nullo pacto reflectat admodum activum repræsentandi ex parte actus, rectè procedet in repræsentatione obiectorum; siquidē per hoc præcisè repræsentabit ea sub recta forma, & figura: ergo ut rectè procedat non debet attendere ad rectitudinem ex parte actus. Secundo, quia non debet attendere ad illam rectitudinem, quæ licet non attendatur, resultat ex præcisâ attentione

tionem ad aliam formam: sed ex eo præcisè, quod intellectus in constructione definitionis, v.g. attendat ad rectam dispositionem obiectorum per modum generis, & differentiam, licet non reflectat supra rectitudinem ex parte actus, resultat rectitudo actu representante: ergò opus non est attendere ad ipsam. Tertio, quia potius si attenderet reflexe ad rectitudinem ex parte actus, exponeretur periculo errandi: ergò ut rectè procedat, non debet attendere ad rectitudinem ex parte actus. Antecedens probatur: primo, quia ex reflexione supra rectitudinem ex parte actus, forsan impediretur attentio ad rectam dispositionem obiectorum, qua non attempta, abs dubio errare posset intellectus: ergò exponeretur periculo errandi. Secundo, quia si scribens, v.g. non tam attenderet ad formam obiectivam litterarum, quam ad motum manus, & calami, abs dubio exponeretur periculo errandi, quia ex attentione ad motum manus, & calami impediretur attentio ad rectam formam litterarum: ergò similiter in nostro casu.

Explicatur hoc eodem exemplo; quia per hoc præcisè quod scribens præstituat sibi rectam formam obiectivam litterarum, & cum attentione ad illam, eamque observando, scribat, rectè scribet, etsi non attendat ad modum, quo manum, & calamum movet, idcirco mo-

odus scribendi se tenens ex parte actus non est obiectum formale illius artis, sed solum forma obiectiva litterarum; sed per hoc præcisè, quod logicus præstituat sibi formam obiectivam syllogismi, v.g. & ex attentione ad illam, eamque observando, representet obiecta sub illa forma, licet non reflectat ad hanc representationem, rectè nihilominus ea representabit: ergò recta ipsa representatio non est obiectum formale Logicæ.

Solvuntur Argumenta contra hanc conclusionem.

OBIECTES PRIMUS
 Ad intellectus, ut directi, sunt artefactum logicale: sed quodlibet artefactum logicale est obiectum formale Logicæ: ergò actus intellectus, ut directi, sunt obiectum formale quod Logica respicit. Minor probatur: Quia modus sciendi mentalis est compositum artificiale ad Logicam pertinens; sed actus intellectus, ut directi, sunt modus sciendi mentalis: ergò sunt artefactum, sive compositum artificiale ad Logicam pertinens.

30 Respondeo, distinguendo maiorem: sunt artefactum logicale propriè, & simpliciter tale, nego maiorem; representativè, & effectivè tale concedo maiorem: & distincta minori eodem modo, nego

consequentiam. Ad probationem maioris eadem distinctione respondeo, modum sciendi mentalem non esse propriè compositum artificiale; nam actus intellectus, in quibus consistit, propriè non ununtur inter se, nec recipiunt aliquam formam artificialem, ac per consequens nullum compositum artificiale simpliciter tale constituunt; est autem modus sciendi mentalis artefactum logicum representativè, sicut modus sciendi vocalis, quatenus uterque repræsentat modum sciendi obiectivum, quid est propriè artefactum logicum; & etià est effectivè artefactum, quatenus est illius formatio, & effectio.

31 Sed replicabis. Modus sciendi mentalis est similitudo modi sciendi obiectivi, cum sit illius repræsentatio naturalis, & non ad placitum; sed in modo sciendi obiectivo invenitur propriè, & simpliciter artificium, & forma artificiosa logicalis; ergò etiam in modo sciendi mentali. Consequentia probatur: Ideò in imagine repræsentante domum reperitur forma artificialis domus, quia est similitudo ipsius domus in qua vere & propriè reperitur forma artificialis; sed modus sciendi mentalis est similitudo modi sciendi obiectivi, & in eo reperitur forma artificialis Logicæ: ergò etiam in modo sciendi mentali.

32 Respondeo distinguendo maiorem: Est similitudo physica modi sciendi obiectivi, nego maiorem: est similitudo intentionalis, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Ad cuius probationem eadem distinctione distinguo causalem maioris: quia est similitudo ipsius domus physica, concedo maiorem: quia est similitudo intentionalis, nego maiorem, vel suppositum, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Nam si similitudo intentionalis, qualis est quilibet actus intellectus, non exigie habere formam artificialem, quam habet obiectum, cui assimilatur; noticia enim domus est similitudo intentionalis illius; & tamen in ipsa noticia nemo dicit inveniri propriè, & simpliciter formam artificialem domus, sed tantum repræsentativè; ità similiter in modo sciendi mentali invenitur tantum repræsentativè forma artificialis.

33 Replicabis secundo: Actus intellectus sunt subiectivè dirigibiles ab arte Logicæ; sed solum est subiectivè dirigibile ab arte id, in quo recipitur forma artificialis ab arte præscripta: ergò in actibus intellectus recipitur forma artificialis à Logica præscripta. Confirmatur: Rectitudo ab arte præscripta est forma artificialis; sed in actibus intellectus reperitur propriè rectitudo ab

ab arte logica praescripta: ergo in illis reperitur proprie forma artificialis. Minor probatur; quia actus intellectus sunt subiective dirigibiles ab arte logica: sed solum est subiective dirigibile ab arte, quod recipit rectitudinem ab arte praescriptam: ergo in actibus intellectus reperitur proprie rectitudo ab arte logica praescripta.

34 Respondeo, distinguendo maiorem: sunt subiective dirigibiles per modum subiecti physici rectitudinis, nego maiorem; per modum subiecti logici rectitudinis, concedo maiorem; & distincta minore eodem modo, nego consequentiam. Quia solum est proprium subiectum formae artificialis illud, quod per modum subiecti physici accidentaliter recipit formam artificialem, & per illam disponitur, & ordinatur; quia forma artificialis semper debet comparari ad subiectum, vel materiam, in qua proprie recipitur, tanquam forma accidentaliter per industriam artis illi adveniens: Cum autem actus intellectus non sint subiective dirigibiles per modum subiecti physici, cui accidentaliter adveniat rectitudo, sed tantum per modum subiecti logici contrahibilis per rectitudinem, tanquam per differentiam essentialem, inde est quod in illis tanquam in subiecto proprio non recipitur forma artificialis Logicae.

35 Ad confirmationem distinguo maiorem. Rectitudo ab arte praescripta primario est forma artificialis, concedo maiorem: rectitudo ab arte praescripta secundo, subdistinguo: est forma artificialis proprie talis, nego maiorem; vialiter, effectivè, aut repraesentativè talis, concedo maiorem; & distinguo minorem: in actibus intellectus reperitur proprie rectitudo primario ab arte praescripta, nego minorem; secundo ab arte logica praescripta, concedo minorem, & distinguo consequens: ergo in illis reperitur forma artificialis proprie talis, nego consequentiam: vialiter, repraesentativè, aut effectivè talis, concedo consequentiam. Ad probationem minoris dico, actus intellectus esse subiective dirigibiles, ut explicatum manet; quatenus ex suo genere sunt capaces rectitudinis in repraesentando obiecta; huiusmodi autem rectitudo in repraesentando proprie illis convenit, & in illis reperitur; sed huiusmodi rectitudo non est in illis forma artificialis proprie loquendo, sed ad summum effectivè, repraesentativè, & vialiter, quatenus est via ad introducendam formam artificialem in obiectis, & quatenus per rectam repraesentationem fit, & repraesentatur in obiectis forma artificialis rationis. Nec obest quod talis rectitudo in repraesentando sit ab arte

te Logicali præscripto, quia est solum præscripta secundario, & per ordinem ad artefactum obiectivum. Rectitudo autem secundaria ab arte præscripta non debet esse proprie forma artificialis.

36 Imò verius censeo rectitudinem actuum intellectus non esse directe, & per se à Logica præscriptam; sed tantum ex consequenti, & per resultantiam; nam sicut ars scribendi, vel magister huius artis non aliter dirigit motus manus, & calami in discipulo, quam præscribendo ei formam obiectivam litterarum, sub qua litteræ sunt exarandæ, qua forma præscripta, ex consequenti dirigitur manus discipuli ad litteras formandas, absque speciali præcepto, aut regula circa actiones manus, ita similiter Logica non aliter dirigit actus intellectus ad rectè repræsentanda obiecta, quam præscribendo intellectui formam obiectivam, sub qua obiecta debent repræsentari, qua forma præscripta, ex consequenti, & absque speciali præcepto, aut regula, dirigitur intellectus ad rectè repræsentanda ipsa obiecta.

37 Sed instabis: Rectitudo in actibus intellectus non est naturalis: ergò est proprie in illis forma artificialis. Consequentia patet; quia inter artificiale, & naturale, quantum ad præsens, non datur medium. An-

tecedens probatur; quia pro forma naturali non datur ars, sed sufficit natura: sed pro rectitudine servanda in actibus intellectus datur ars, nimirum, Logica: ergò talis rectitudo in actibus intellectus non est naturalis, sed artificialis. Respondeo, distinguendo antecedens: non est naturalis in essendo, nêgo antecedens: in repræsentando, & causando, concedo antecedens; & nego consequentiam. Ad probationem antecedentis dico, quod pro forma omnibus modis naturali non datur ars, sed sufficit natura; ceterum pro forma naturali quidem actibus in essendo, sed in repræsentando, & causando artificiali, datur utilissime ars, quia ars non potest dirigere ad artefactum logicum componendum, nisi dirigendo in ordine ad tale artefactum actus quibus fit, & repræsentatur forma artificialis.

38 Instabis secundo: In materia, circa quam versatur ars, reperitur forma artificialis; sed iuxta D. Thom. in principio Posterior. Logica versatur circa actus intellectus, tanquam circa propriam materiam: ergò in actibus intellectus reperitur forma artificialis Logicæ; & consequenter, ut directi, sunt obiectum formale illius. Distinguo maiorem: in materia denominabili circa quam versatur ars; concedo maiorem; in materia pure di-

rigibili, nego maiorem. Et eadem distinctione explio D. Thom. Nam iuxta D. Thom. ut supra vidimus, Logica versatur circa actus intellectus, sicut ars domificatoria circa actiones manuum; sed actiones manuum non sunt materia artis denominabilis, sed pure dirigibilis: ergo similiter actus intellectus.

39 Obijcies secundo. Solus modus sciendi mentalis est proprie modus sciendi; sed modus sciendi proprie talis est obiectum formale Logicæ: ergo modus sciendi mentalis est obiectum formale Logicæ. Maior probatur: sola definitio mentalis est proprie definitio: ergo solus modus sciendi mentalis est proprie modus sciendi. Antecedens probatur: Sola definitio mentalis explicat essentiam rei: ergo sola definitio mentalis est proprie definitio. Antecedens probatur: definitio obiectiva non explicat essentiam definiti; cum sit ipsum obiectum definitionis mentalis, quod, proprie loquendo, nihil explicat: ergo sola definitio mentalis explicat essentiam definiti.

Respondeo, negando maiorem. Ad cuius probationem nego antecedens. Ad cuius probationem distinguo antecedens: sola definitio mentalis explicat repræsentative, & per definitionem obiectivam essentiam definiti, concedo antecedens: per se, & formaliter, ne-

go antecedens. Ad cuius probationem dico, quod definitio mentalis hominis, v. g. non explicat illius essentiam formaliter, & per se ipsam, sed per definitionem obiectivam, quam repræsentat, scilicet per *animal rationale*; hæc autem definitio obiectiva, *animal rationale*, est quæ proprie, & per se explicat essentiam hominis. Nam interroganti quid sit homo? non respondebis, est actus repræsentans animal rationale; sed est *animal rationale*; vnde per ipsum animal rationale, & non per definitionem mentalem, explicatur essentia hominis, proprie loquendo.

40 Obijcies tertio. Finis Logicæ est obiectum formale Logicæ; sed finis Logicæ est rectitudo actuum intellectus: ergo rectitudo actuum intellectus est obiectum formale Logicæ. Minor patet: nam Logica fuit instituta ut intellectus rectè procederet, & non erraret in suis operationibus. Respondeo distinguendo maiorem; finis intrinsecus Logicæ est obiectum formale illius concedo maiorem: finis extrinsecus nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Ad cuius probationem dico quod finis immediatus, & proximus Logicæ sunt instrumenta sciendi veritatem sive instrumenta sciendi, & non erubus intellectus

re Logicali præscripto, quia est solum præscripta secundario, & per ordinem ad artefactum obiectivum. Rectitudo autem secundaria ab arte præscripta non debet esse proprie forma artificialis.

36 Imò verius censeo rectitudinem actuum intellectus non esse directe, & per se à Logica præscriptam; sed tantum ex consequenti, & per resultantiam; nam sicut ars scribendi, vel magister huius artis non aliter dirigit motus manus, & calami in discipulo, quam præscribendo ei formam obiectivam litterarum, sub qua litteræ sunt exarandæ, qua forma præscripta, ex consequenti dirigitur manus discipuli ad litteras formandas, absque speciali præcepto, aut regula circa actiones manus, ita similiter Logica non aliter dirigit actus intellectus ad rectè repræsentanda obiecta, quam præscribendo intellectui formam obiectivam, sub qua obiecta debent repræsentari, qua forma præscripta, ex consequenti, & absque speciali præcepto, aut regula, dirigitur intellectus ad rectè repræsentanda ipsa obiecta.

37 Sed instabis: Rectitudo in actibus intellectus non est naturalis: ergò est proprie in illis forma artificialis. Consequentia patet; quia inter artificiale, & naturale, quantum ad præsens, non datur medium. An-

tecedens probatur; quia pro forma naturali non datur ars, sed sufficit natura: sed pro rectitudine servanda in actibus intellectus datur ars, nimirum, Logica: ergò talis rectitudo in actibus intellectus non est naturalis, sed artificialis. Respondeo, distinguendo antecedens: non est naturalis in essendo, nego antecedens: in representando, & causando, concedo antecedens; & nego consequentiam. Ad probationem antecedentis dico, quod pro forma omnibus modis naturali non datur ars, sed sufficit natura; ceterum pro forma naturali quidem actibus in essendo, sed in representando, & causando artificiali, datur utilissime ars, quia ars non potest dirigere ad artefactum logicum componendum, nisi dirigendo in ordine ad tale artefactum actus quibus fit, & repræsentatur forma artificialis.

38 Instabis secundo: In materia, circa quam versatur ars, reperitur forma artificialis; sed iuxta D. Thom. in principio Posterior. Logica versatur circa actus intellectus, tanquam circa propriam materiam: ergò in actibus intellectus reperitur forma artificialis Logicæ, & consequenter, ut directi, sunt obiectum formale illius. Distinguo maiorem: in materia denominabili circa quam versatur ars; concedo maiorem; in materia pure di-

rigibili, nego maiorem. Et eadem distinctione explio D. Thom. Nam iuxta D. Thom. ut supra vidimus, Logica ver-
satur circa actus intellectus, si-
cut ars domificatoria circa ac-
tiones manuum; sed actiones
manuum non sunt materia ar-
tis denominabilis, sed purè di-
rigibilis: ergò similiter actus
intellectus.

39 Obijcies secundo. Solus modus sciendi mentalis est propriè modus sciendi; sed modus sciendi propriè talis est obiectum formale Logicæ: ergò modus sciendi mentalis est obiectum formale Logicæ. Ma-
ior probatur: sola definitio mentalis est propriè definitio: ergò solus modus sciendi men-
talis est propriè modus sciendi. Antecedens probatur: Sola de-
finitio mentalis explicat essen-
tiam rei: ergò sola definitio mentalis est propriè definitio. Antecedens probatur: definitio obiectiva non explicat essen-
tiam definiti; cum sit ipsum obiectum definitionis mentalis, quod, propriè loquendo, nihil ex-
plicat: ergò sola definitio men-
talis explicat essentiam definiti.

Respondeo, negando ma-
iorem. Ad cuius probationem
nego antecedens. Ad cuius
probationem distinguo anre-
cedens: sola definitio mentalis
explicat repræsentativè, & per
definitionem obiectivam essen-
tiam definiti, concedo antece-
dens: per se, & formalitèr, ne-

go antecedens. Ad cuius pro-
bationem dico, quod definitio
mentalis hominis, v. g. non
explicat illius essentiam formali-
tèr, & per se ipsam; sed per
definitionem obiectivam, quam
repræsentat, scilicet per *animal
rationale*; hæc autem definitio
obiectiva, *animal rationale*, est
quæ propriè, & per se explicat
essentiam hominis. Nam inter-
roganti quid sit homo? non
respondebis, est actus repræsen-
tans animal rationale; sed est
animal rationale; vndè per ipsum
animal rationale, & non per
definitionem mentalem, expli-
catur essentia hominis, propriè
loquendo.

40 Obijcies tertio. Fi-
nis Logicæ est obiectum for-
male Logicæ; sed finis Logicæ
est rectitudo actuum intellectus;
ergò rectitudo actuum intelle-
ctus est obiectum formale Lo-
gicæ. Minor patet: nam Logi-
ca fuit instituta ut intellectus
rectè procederet, & non erra-
ret in suis operationibus. Res-
pondeo distinguendo maiorem;
finis intrinsecus Logicæ est
obiectum formale illius conce-
do maiorem: finis extrinsecus
nego maiorem; & distincta mi-
nori eodem modo, nego conse-
quentiam. Ad cuius probatio-
nem dico quod finis immedia-
tus, & proximus Logicæ sunt
instrumenta sciendi veritatem,
sivè instrumenta rectè proce-
dendi, & non errandi in acti-
bus intellectus; cum autem
hæc

hæc instrumenta ordinentur, tanquam ad finem, ad veritatem, & rectitudinem actuum intellectus; inde est quod Logica tanquam ad finem remotum, & mediatum, ordinatur ad rectitudinem actuum intellectus, immediate tamen ad ipsa instrumenta sciendi, siue non errandi. Sicut ars frænestatoria instituta est ad rectè equitandum; & tamen recta equitatio non est finis immediatus, & obiectum formale illius, sed instrumentum rectè equitandi.

41 Sed replicabis: Illud est finis immediatus Logicæ, quod immediatius respicit Logica; sed Logica immediatius respicit actus intellectus rectos, quam instrumenta sciendi obiectiva: ergò finis immediatus Logicæ sunt operationes intellectus, ut rectificatæ. Minor probatur: Logica attingit instrumenta sciendi obiectiva medijs actibus rectis intellectus: ergò immediatius respicit actus intellectus rectos. Respondeo, distinguendo maiorem; quod immediatius respicit in executione, nego maiorem: in intentione, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Ad probationem minoris dico, quod sicut ars domificatoria medijs actionibus manuum attingit formam artificiosam domus, ex quo non sequitur illas actiones respicere tanquam finem immediatum, sed tanquam medium, & viam,

quâ illas respicit immediatius in executione, non autem in intentione; ita similiter Logica non respicit actus intellectus tanquam finem immediatum, quâ illas tantum respicit immediatius in executione, non autem in intentione.

42 Hæc est communis solutio. Sed contra illam sequens occurrit obiectio: Finis remotus, & mediatum est prius in intentione, quam finis immediatus; siquidem finis ultimus prius intenditur, quam finis proximus, cum proximus sit propter ultimum: sed per nos actus intellectus, ut recti, sunt finis remotus, & mediatum Logicæ: ergò sunt prius, non solum in executione, sed etiam in intentione. Confirmatur primo: nunquam finis ultimus, aut remotus respicitur, ut via, & medium in ordine ad finem proximum: sed per nos actus intellectus, ut rectè representantes obiecta, sunt finis remotus respectu Logicæ, obiecta vero rectè disposita sunt finis proximus: ergò male asserimus, quod Logica respicit actus intellectus, ut via, & medium ad rectam dispositionem obiectorum. Confirmatur secundo. Quia actiones manuum respiciuntur ab arte domificatoria, ut via, & medium ad formam artificiosam domus, implicat quod respiciantur, ut finis remotus, & mediatum talis formæ; vnde nullus dixit formam domus ordi-

nari, tanquam ad finem, ad actiones edificantium: sed per nos formam artificiosam obiectorum respicitur à Logica propter operationes intellectus rectificandas, tanquam propter finem extrinsecum, & remotum: ergò implicat quod respiciantur, ut via, & medium ad talem formam artificiosam. Confirmatur tertio: quia actus intellectus sunt quid perfectius, quam forma obiectiva rationis: sed quid perfectius non potest ordinari ad imperfectius, tanquam ad finem, adhuc proximum: ergò actus intellectus non possunt ordinari, adhuc tanquam ad finem proximum, ad formam obiectivam rationis. Maior patet, nam actus intellectus sunt quid reale, forma vero obiectiva est quid rationis: quid autem reale perfectius est, quam quid fictum, & rationis.

43 Nihilominus respondeo, quod actus intellectus recte repræsentans obiecta, potest dupliciter considerari. Primo, in quantum fingit, & repræsentat practice, & in actu exercito formam debitam rationis ex parte obiectorum. Secundo, in quantum in obiectis sub tali forma repræsentatis, speculatur veritatem, quam obiecta sic disposita manifestant. Sub prima consideratione actus intellectus est fictio: sub secunda est speculatio, & agnitio veritatis. Est fictio respectu formæ rationis, quam practice, & exercite re-

præsentat ex parte obiectorum: Est contemplatio respectu veritatis, quam signate cognoscit in obiectis sic exercite dispositis. Igitur actus intellectus, ut fictio est, respicitur à Logica, ut via, & medium in ordine ad formam artificiosam rationis introducendam in obiectis: ipsam vero formam artificiosam rationis respicit Logica, ut finem proximum obiectivum, in ordine tamen ad eundem actum intellectus, ut est speculatio veritatis, tanquam ad finem mediatum, quia illa forma obiectiva maxime conducit, ut obiecta manifestent clare veritatem, & ut intellectus illam clare cognoscat, & contempletur. Ad modum quo, iuxta communem doctrinam Thomistarum, intellectio, ut dictio est, ordinatur ad verbum producendum, ipsum vero verbum est propter eandem intellectionem, ut contemplatio est obiecti, seu ut in illo contempletur obiectum. Unde recte coheret quod idem actus intellectus, & sic via, seu medium, & simul sic finis respectu eiusdem formæ obiectivæ rationis, quia est medium, ut fictio, finis vero, ut contemplatio veritatis.

44 Iam ergò in forma concessâ maiori, distinguo minorem: actus intellectus, ut recti, quatenus speculantur veritatem obiecti, sunt finis mediatæ Logicæ, concedo maiorem: quatenus practice repræsentant, &c.

& fingunt formam rationis in obiectis, nego maiorem, & consequentiam in eodem sensu; quia actus intellectus, ut practici, & factivi formæ rationis in obiectis, minime sunt finis Logicæ, nec mediatum, nec proximum, sed solum via, & medium ad formam rationis tanquam ad finem proximum, licet, ut speculationes sunt veritatis, sint finis cuius gratia fingitur ipsa forma rationis, & sic sunt finis mediatum, & extrinsecus Logicæ.

Ad primam confirmationem, concessa maiori, distinguo minorem: actus intellectus, ut rectè representantes speculative obiecta, quantum ad veritatem signate cognitam, sunt finis remotus Logicæ, concedo minorem: ut rectè representantes practice obiecta quantum ad formam obiectivam rationis, nego minorem, & consequentiam in eodem sensu. Ad secundam confirmationem pariter, concessa maiori, distinguo minorem: forma artificiosa rationis respicitur à Logica propter operationes intellectus, ut rectificandas speculative in ordine ad veritatem obiecti, concedo minorem; ut rectificandas practice in ordine ad formam rationis obiectorum, nego minorem, & consequentiam.

45 Itaque actus intellectus habent duplicem rectitudinem, unam speculativam in ordine ad veritatem obiecti: aliam practicam in ordine ad

formam rationis fingendam in obiectis: hæc secunda rectitudo est medium in ordine ad formam rationis obiectivam tanquam ad finem proximum Logicæ, & ad rectitudinem speculativam, tanquam ad finem mediatum. Unde actus intellectus, ut rectè practice representantes obiecta hoc est, ut fingentes in obiectis formam debitam rationis, sunt medium ad ipsam formam rationis debitam; ipsa vero forma rationis est finis intermedius, seu ordinatus ad actus intellectus, ut rectè specularentur obiecta quantum ad veritatem. Nam, ut infra explicabimus, fingere in obiectis formam rationis conducit maxime, & est necessarium ad rectè speculandam veritatem obiectorum, & prius est rectè fingere, quam rectè speculari, illudque propter hoc. Actiones vero edificantium non habent nisi unicum considerationem, practicam scilicet, & factivam; non enim habent munus speculandi partes, quas disponant, & ideò solum sunt medium, & via ad formam artificiosam, non vero finis talis formæ artificiosæ.

46 Ad tertiam confirmationem distinguo maiorem: actus intellectus sunt quid perfectius quam forma obiectiva rationis, prout ipsam fingentes, nego maiorem: prout veritatem speculantes, concedo maiorem. Ad cuius probationem dico, quod actus intellectus, ut
fin

figentes in obiectis formam rationis non sunt explicite quid reale, nec explicant entitatem, aut perfectionem ullam; propterea enim infra dicemus, eos, ut sic figentes, non procedere à Deo, quia vnicè explicant deformitatem, & imperfectionem; unde sub hac consideratione bene possunt ordinari ad formam obiectivam rationis, quæ licet nullam perfectionem realem dicat, obiectivè tamè explicat obiecta, & manifestat veritatem, quod importat quandam perfectionem, licet purè obiectivam, tamen valde utilem ad sciendum. Ut speculantes vero veritatem, sunt quid perfectius; sed hoc pacto non ordinantur ad formam rationis, sed potius forma rationis est propter ipsos.

47 Si vero contendas, actus intellectus, adhuc ut figentes, esse quid reale, & quid perfectius præ forma obiectiva rationis; ut de hoc non sit litigium, dicam, vel omittam, quod sint quid perfectius entitative, & in se, non vero explicativè, & in ordine ad sciendam veritatem; nam perfectius explicatur, & manifestatur veritas per formam obiectivam rationis, quæ per ipsos actus, ut figentes. Cum autè finis Logicæ sit manifestare veritatem, bene potest respicere actus, ut figentes, veluti medium ad formam rationis, quia in ordine ad hunc finem perfectior est ista, quam illi, quidquid

sic de perfectione in esse entis;

48 Obijcies quarto: Sic Logica dirigit actus intellectus, sicut prudentia, & Philosophia moralis actus voluntatis; sed obiectum formale prudentiæ, & Philosophiæ moralis sunt actus recti voluntatis, sive ipsorum rectitudo; ergò obiectum formale Logicæ sunt actus intellectus, ut recti, sive eorum rectitudo. Confirmatur; ita Logica dirigit actus intellectus, sicut Poësia, & Rhetorica voces, sed Rhetorica, & Poësia respiciunt pro formali obiecto artificiosam vocum concordantiam; ergò & Logica formam artificiosam actuum intellectus.

49 Respondeo, negando minorem. Nam obiectum formale Philosophiæ moralis sunt obiecta virtutum moralium, ut honesta, vel inhonesta. Philosophia enim moralis dirigit voluntatem docendo quænam obiecta honesta sunt, & eligenda; quænam autem mala, & fugienda. Similiterque obiectum prudentiæ sunt prædicta obiecta, ut hic, & nunc agibilia, & exequenda, quia; docendo, antè dictando quidnam sit exequendum hic, & nunc, dirigit voluntatem ad executionem mediorum. Ad confirmationem, fateor Rhetoricam, & Poësiam habere pro obiecto formali rectam vocum dispositionem, & collocationem terminorum; cæterum hoc idè est, quia officium Rhetoricæ est persuadere audien-

dicentem, non medijs rebus veris rectè dispositis, sed medijs vobis demulcentibus auditum. Unde instrumenta, quibus utitur Rhetorica, & Poësis sunt. voces sua armonia, & concordia demulcentes, & animum delectantes. At vero instrumenta, quibus Logicus intellectum convincit, non est armonia, aut concordia actuum intellectus, sed veritas obiectiva rerum sub forma syllogistica, v. g. ordinata. Unde Logicæ obiectum est forma artificiosa in obiectis veris: reperta; obiectum autem Rhetoricæ, & Poëtiæ est armonia in vocibus concordis inventa.

50 Ex dictis colliges, qualiter actus intellectus, sive modus sciendi mentalis sit obiectum Logicæ. Nam ex prima conclusione constat actus intellectus esse obiectum materiale à Logica dirigibile. Ex secunda autem, quod, ut sic dirigibiles, non sunt obiectum formale Logicæ. Ex tertia autem, & illius probationibus, quod nec ut directi, & ut sunt modus sciendi mentalis, sunt obiectum formale, imò nec materiale primum, in quò tanquam in subiecto recipitur forma artificialis. Restat igitur esse tantum obiectum materiale secundarium dirigibile in ordine ad obiectum primum. Cuius explicationem sequenti aggredimur quaestione.

(0)

QVÆSTIO. V.

Qualiter modus sciendi obiectivus sit obiectum Logicæ?

PRO Solutione quaestionis nota primo; quod modus sciendi obiectivus sunt res cognitæ, sive obiecta disposita in forma definitionis, divisionis, & argumentationis: v. g. in hoc syllogismo: *Omnis homo est rationalis. Aliquod animal est homo: ergò aliquod animal est rationale*: Modus sciendi obiectivus sunt illa tria obiecta: *Homo, animal, rationale*, disposita cum ea forma artificiosa subiectionis, prædicationis, universalitatis, particularitatis, &c. Nota secundo, quod in modo sciendi obiectivo ipsa obiecta se habent de materiali, tanquam materia artefacti logici, forma autem artificialis, sub qua disponuntur, se habet de formali, tanquam forma artefacti.

2 Circa quod maximum inter Thomistas, & Patres Societatis dissidium in eo stat; quod Thomistæ asserunt formam artificialem constituentem obiecta in ratione instrumentorum sciendi esse relationes, quas intellectus suis actibus format, & fingit in obiectis cum fundamento in ipsis reperto. Patres autem Societatis timentur formam prædictam artificiosam esse actus intellectus, sive modum

Ad sciendi mentalem, inquantum extrinsecè denominat obiecta artificiosè cognita; cum autè ille relationes sint ens rationis; actus autem intellectus sint ens reale intentionale; inde est quod Thomistè consequenter defendimus obiectum formale Logicæ esse ens rationis ab intellectu constitutum; PP. autem Societatis ens reale intentionale. Pro quo nota tertio, quod ens est duplex. Aliud est reale, aliud rationis. Ens reale, *Est quod vere existit in rerum natura independenter ab intellectu illud fingente.* Ens rationis est illud, *quod tantum existit obiectivè in intellectu, illud representante in obiecto.* Quibus suppositis, resolutione quæstionis,

Statuitur, & defenditur prima conclusio.

3 **D**ico Primo: *Obiectum materiale primum Logicæ sunt omnia obiecta, sive realia, sive rationis; obiectum autem formale primum, est forma artificialis constituens obiecta formaliter in ratione instrumentorum sciendi.* Hæc conclusio est communis, non solum nostratibus, sed etiã pluribus scholæ contrariè Doctoribus. Et prob. quoad primam partem. Nam obiectum materiale primum cuiuslibet artis est omne illud, ex quo formari possunt artefacta talis artis: sed ex omnibus obiectis, sive realia sint, sive rationis, formari possunt artefacta logicalia: ergò omnia illa sunt obiectum materiale prima-

rium Logicæ. Mai. patet ab inductione in qualibet arte: Nam semper materia ex qua ars conficit artefacta est obiectum materiale artis, ut patet in arte domificatoria, cuius obiectum materiale primum sunt lapides, ligna, &c. & in arte ferraria, cuius obiectum materiale primum est ferrum, & sic in alijs. Minor vero probatur. Quia ex quibuslibet obiectis formari possunt prædicatum, aut subiectum, genus, aut differentia, definitio, aut divisio; vel etiam syllogismi: siquidè omnia possunt vel prædicari, vel subijci, vel defini, vel dividi, vel de illis disputari, &c. sed hæc sunt artefacta propria, quæ per se respicit Logica: ergò ex omnibus obiectis, cuiuscumque generis sint, possunt formari artefacta, quæ per se respicit Logica. Deinde probatur quoad secundam partem. Nam obiectum formale cuiuslibet artis semper est forma artificialis constitutiva artefactorum talis artis: sed artefacta, quæ per se primo respicit Logica sunt instrumenta sciendi, quæ formantur ex obiectis rectè dispositis in formam divisionis, argumentationis, aut syllogismi: ergò obiectum formale Logicæ est forma artificialis constituens obiecta in ratione instrumentorum sciendi.

4 **C**onfirmatur: Artefactum quod per se primo respicit Logica, quoad materiam, ex qua componitur, est obiectum mate-

riale primariū; & quo ad formā est obiectū formale primarium; sed forma artefacti, quod per se primo respicit Logica, est forma artificialis constituens obiecta instrumenta sciendi, & materia ex qua sunt omnia obiecta, sive realia, sive rationis: ergo. Minor prob. Nam artefactum, quod per se primo respicit Logica, sunt obiecta, ut recte disposita in forma definitionis, divisionis, & argumentationis; sive, quod idē est, modus sciendi obiectivus; sed forma huius artefacti est forma relata, & materia similiter: ergo.

5 Sed contra primam partē conclusionis obijcies: Obiectum materiale primariū Logicæ debet esse capax directionis; sed obiecta, sive res non sunt capaces directionis: ergo non sunt obiectum materiale primarium Logicæ. Minor probatur: Quod non est capax erroris, non est capax directionis; sed obiecta, sive res non sunt capaces erroris: ergo nec directionis. Respondeo, concessa mai. negando min. Ad cuius probationem distinguo maiorem: Quod non est capax erroris formalis, nec occasionalis non est capax directionis, concedo mai. Quod non est capax erroris formalis, est tamē capax erroris occasionalis, nego mai. & sub eadem distinctione minoris nego consequ. Res enim, ut inquit D. Th. 1. p. q. 17. art. 1. dant occasionem falsitatis, præcipuē, si non disponantur sub recta forma modi sciendi, nam sub prava forma-

movet intellectum potius ad errorem, quā ad veritatem; ut igitur moveant ad assensum veritatis diriguntur, & disponuntur à Logica in forma modi sciendi:


6 Contra secundam partem obijcies: obiectum, quod per se primo respicit, Logica sunt actus intellectus recte repræsentantes obiecta, non autem obiecta recte repræsentata: ergo obiectum formale Logicæ non est forma denominans obiecta recte disposita, sed forma denominans actus intellectus recte repræsentantes Antecedens prob. Logica docet modū sciendi, sicut ars pictoria modū pingendi: sed obiectum, quod per se primo respicit ars pictoria, nō sunt obiecta recte repræsentata per picturam, sed pictura recte repræsentans: ergo obiectum primarium Logicæ non sunt obiecta recte repræsentata, sed actus intellectus recte repræsentantes. Confirmatur. Logica est scientia reflexa: ergo nō per se primo agit de rebus, sed de actibus intellectus. Pater consequ. quia scientia de rebus est directa: scientia autem reflexa debet esse de actibus intellectus, sive de altera scientia:

7 Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem distinguo maiorem: Logica docet modum sciendi, sicut ars pictoria modum pingendi, sicut; & eodem modo, nego mai. sicut, & diverso modo concedo mai. & minorem, & nego consequentiam. Disparitas ergo
stat

Stat in eo; quod Logica docet modum sciendi, dictando modum, quo obiecta sunt disponenda, quibus rectè dispositis, naturali sequela resultat scientia: unde obiectum primarium illius sunt obiecta sic disposita. At vero ars pictoria docet modum pingendi, non dictando modum quo obiecta picturatum sunt disponenda: quocumque enim modo disponantur, tota restat difficultas in pictura construenda; sed dictando modum, quo colores sunt disponendi, quibus rectè dispositis, resultat pictura, quæ est obiectum primarium talis artis.

8 Ad confirmationem respondeo, concesso antecedenti, distinguendo consequens: ergò non per se primo agit de rebus, ut sunt à parte rei, concedo consequentiam: de rebus, ut indutis secunda intentione per intellectum, nego consequentiam. Ad probationem dico, quod scientia reflexa non petit per se primo agere de actibus intellectus, sed sufficit quod tractet primario de rebus, non ut sunt à parte rei, sed ut sunt cognitæ, & indutæ secunda intentione rationis: quia eo ipso tractat de rebus reflectendo supra statum, quem habent in intellectu ex vi cognitionis, & hoc pacto se habet Lo-

gica.



Statuitur, & probatur secunda conclusio.

9 Dico Secundo: Obiectum formale Logicæ est ens rationis, & non reale intentionale: Hæc conclusio est expressa Div. Thom. & omnium Thom. contra fere omnes Societatis RR. Et probatur primo ex D. Thoma, qui 4. Metaph. lect. 4. sic ait: *Ens rationis propriè dicitur de illis intentionibus quas ratio adinvenit in rebus consideratis; sicut intentio generis, & speciei, quæ quidem non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur. Et huiusmodi ens rationis est propriè subiectum Logicæ.* Itemque in opulc. 56. ait *Logicam considerare ens rationis per se: ens autem reale per accidens; sed obiectum formale Logicæ, est quod Logica per se considerat: ergò obiectum formale Logicæ est ens rationis, & non reale.*

10 Egre ferunt Adversarij tantum nostram sententiam habere Patronum; ideoque respondent D. Thom. loqui de ente rationis subiectivo, quale sunt actus rationis in intellectu receptis; non autem de ente rationis ficto, & obiectivo ab actibus intellectus distincto. Sed, si verba D. Thom. fideliter legantur, minime prædictam sustinent interpretationem. Nam D. Tho. loquitur de ente rationis, quod propriè dicitur tale, & consistit in illis intentionibus, quas ratio

adinvenit in rebus consideratis, quæ non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur; sed ens rationis subiectivum, sive actus intellectus propriè non dicuntur ens rationis, nec inveniuntur in rebus consideratis, sed in intellectu considerante, alias inveniuntur in rerum natura, & non consequuntur considerationem rationis, sed sunt ipsa consideratio: ergò D. Thomas minimè loquitur de ente rationis subiectivo consistenti in actibus intellectus.

11 Deindè probatur ratione conclusio. Obiectum formale Logicæ est forma artificialis constituens formaliter instrumenta sciendi; sed hæc forma artificialis est ens rationis, non autem ens reale intentionale: ergò obiectum formale Logicæ est ens rationis, non autem ens reale intentionale. Min. in qua sola stat difficultas, prob. Omne fictum, sive formatum per actus intellectus est ens rationis, & non reale intentionale; sed forma artificialis constituens instrumenta sciendi est aliquid fictum per actus intellectus in obiectis: ergò prædicta forma est ens rationis, & non reale intentionale. Minor, in qua sola stat difficultas, probatur. Prædicta forma artificialis non sunt actus intellectus: ergò aliquid fictum in obiectis per ipsos. Consequentia patet; quia nihil aliud datur, in quo possit talis

forma consistere: Antecedens probatur: forma artificialis constituens artefactum formaliter non sunt actiones, quibus fit tale artefactum; sed artefacta logica sunt instrumenta sciendi, & actus, quibus fiunt, sunt actus intellectus: ergò forma artificialis constituens instrumenta sciendi non sunt actus intellectus.

12 Confirmatur. Nec actus dirigentes ad construendum syllogismum, nec actus illum construentes sunt forma artificialis constituens formaliter syllogismum; sed nullus alius datur actus intellectus, in quo talis forma consistat: ergò nulli actus intellectus sunt forma artificialis constituens formaliter syllogismum. Antecedens probatur: nam iuxta Div. Thomam, ut supra vidimus, sic versatur Logica circa actus intellectus, sicut ars domificatoria circa actiones manuum; sed nec actus construentes domum, nec dirigentes ad illius constructionem sunt forma artificialis domus: ergò nec actus construentes syllogismum, nec actus dirigentes ad illius constructionem sunt forma artificialis constituens formaliter syllogismum.

13 Secundo probatur: In hoc syllogismo: *Omnis homo est rationalis; aliquod animal est homo: ergò aliquod animal est rationale;* forma syllogistica constituens

homi-

hominem rationale, & animal in ratione syllogismi est obiectum formale Logicæ; sed forma syllogistica constituens illa tria obiecta in ratione syllogismi est ens rationis: ergo ens rationis est obiectum formale Logicæ. Maior est certissima; & minor probatur. forma syllogistica prædicta consistit in respectibus subiecti, prædicati, mediij, maioris, & minoris extremitatis, & similium: sed respectus subiecti, & prædicati (idem dic de reliquis) est ens rationis: ergo prædicta forma syllogistica est ens rationis. Minor probatur: relatio rationis est ens rationis: sed prædictus respectus subiecti, & prædicati non est relatio realis, sed rationis: ergo est ens rationis. Minor patet: nam relatio realis semper debet esse inter extrema realiter distincta; relatio autem inter extrema tantum ratione distincta, solum est rationis: sed relatio prædicta est inter extrema tantum ratione distincta, non autem realiter diversa: ergo est relatio rationis, & non realis.

14 Respondebis pro contrarijs, relationem realem intrinsecam extremis exigere realem extremorum distinctionem, non autem relationem realem extrinsecam, & intentionalem, qualis est relatio subiecti, & prædicati; hæc enim non est intrinseca rei, quæ prædicatur, & subijcitur, sed extrinseca ipsi; consistensque in actu intelle-

ctus cognoscente obiecta relate vnum ad aliud, & illa extrinsecè denominante relata.

15 Sed contra hanc solutionem, in qua consistit aduersariorum doctrina, sic insurgo: actus intellectus referens vnum obiectum ad aliud non constituit obiecta formaliter, & propriè relata: ergo actus intellectus non est in quo formalitèr consistit relatio subiecti, & prædicati. Antecedens, in quo est difficultas, sic probatur: quod tantum effective, & repræsentative refert vnum obiectum ad aliud non constituit obiecta propriè, & formalitèr relata; sed actus intellectus tantum effective, & repræsentative refert vnum obiectum ad aliud: ergo non denominat ea, nec constituit formalitèr relata. Maior patet: nam quod tantum effective, & repræsentative refert vnum obiectum ad aliud, eatenus hoc facit, quatenus efficit, & repræsentat in obiecto relationem ad aliud; sed quod efficit, & repræsentat in obiecto relationem ad aliud non constituit obiecta formalitèr relata; sed potius obiecta constituentur formalitèr relata per relationem factam, & repræsentatam in obiectis: ergo quod effective, & repræsentative refert vnum obiectum ad aliud non constituit obiecta formalitèr relata. Minor etiam probatur quia actus intellectus eatenus

refert vnum obiectum ad aliud, quatenus obiectum repræsentat sub ordine, & respectu ad aliud, talem efficiendo respectum: ergò tantum effective, & repræsentative refert vnū obiectum ad aliud.

16 Dices: actum intellectus minimè efficere in obiectis talem respectum, & ordinem, sed solum repræsentare ordinem, & respective illa obiecta. Sed contra est. Et in primis, vt æquivocatio vitetur, notandum est, quod, dū loquimur de efficientia entis rationis, aut relationis rationis, minimè accipimus efficere propriè, & rigorosè. Compertum enim nobis est quod ens rationis propriè, & rigorosè non efficitur; sed accipimus efficere impropriè, & metaphoricè, pro eo quod est fingere. Quo supposito, sic arguo: actus intellectus non aliter refert vnum obiectum ad aliud, nisi fingendo ex parte obiecti ordinem, & respectum vnus ad aliud: sed hoc est idem ac efficere in sensu dicto talem respectum, & ordinem: ergò actus intellectus efficit respectum, & ordinem vnus obiecti ad aliud, eaque effective, & non formaliter refert. Mai. probatur: quia actus intellectus non aliter refert vnum obiectum ad aliud, nisi repræsentando obiectum sub respectu ad aliud, sub quo non erat à parte rei; sed hoc est fingere ex parte obiecti talem respectum: siquidem repræsentare ex parte obiecti,

quod non est in obiecto, est illud fingere in obiecto: ergò actus intellectus non aliter refert vnum obiectum ad aliud, nisi fingendo talem respectum ex parte obiecti.

17 Dices, actum intellectus minimè repræsentare ex parte obiecti talem respectum, sed solum repræsentare vnum obiectum respective ad aliud. Sed contra: quia repræsentare vnum obiectum respective ad aliud, est repræsentare ex parte obiecti respectum vnus ad aliud: ergò solutio implicat in terminis, dū concessio primo, negat secundum. Antec. prob. primo, quia repræsentare vnum obiectum respective ad aliud, est repræsentare vnum obiectum sub respectu, vel cū respectu ad aliud: Sed hoc est formalissime repræsentare ex parte obiecti respectum vnus ad aliud: ergò. Secundo; quia repræsentare vnū obiectum relative ad aliud, est referre vnum obiectum ad aliud repræsentative: sed referre vnū obiectum ad aliud repræsentative, est repræsentare respectum vnus ad aliud: ergò idem quod prius. Minor probatur, quia actus intellectus in tantum facit aliquid repræsentative, in quantum illud repræsentat.

18 Urgetur: actus repræsentative referens *hominem*, v. g. vt subiectum, ad *animal*, vt prædicatum, siue repræsentans vnum relative ad aliud, est repræsentative disconformis obiecto, vt est à parte rei; sed non esset dis-

conformis repræsentative, si non repræsentaret ex parte, obiecti respectum, qui non est in obiecto à parte rei: ergò repræsentat ex parte obiecti respectum, qui non est à parte rei, & consequenter illum fingit. Maior patet: nam actus ille abs dubio repræsentat hominem aliter, ac est à parte rei: nam distinguit in ipso, & esse hominem, & esse animal, vnumque repræsentat tanquam subiectum, & aliud, vt prædicatum; cum tamen à parte rei, nec homo distinguitur ab animali, nec vnum sit subiectum respectu ad aliud, sed vna simplex, & indivisibilis entitas: sed actus repræsentans obiectum aliter, ac est, est repræsentative disconformis obiecto; vt est à parte rei: ergò talis actus est repræsentative disconformis. Minor vero etiam probatur: quia nullus actus est disconformis obiecto repræsentative, nisi quia repræsentat ex parte obiecti; quod obiecto re ipsa non convenit: ergò quamvis respectus subiecti, & prædicati non conveniat obiecto à parte rei, actus intellectus referens vnum ad aliud non esset disconformis obiecto, si non repræsentaret ex parte obiecti talem respectum.

19 Urgetur amplius: nam imprimis negari non potest actum intellectus distinguentem obiecta identificata à parte rei, comparantem, & referentem ea ad invicem, sive per modum

generis, & differentiarum, sive per modum prædicati, & subiecti, sive per modum superioris, & inferioris, esse saltem apprehensivè disconformem in repræsentando ipsis obiectis sic repræsentatis; propterea enim intellectui divino negamus illum modum repræsentandi, & quod possit facere genus, aut, universale, subiectum, aut prædicatum; & similiter cuicumque intellectui cognoscenti res prout sunt in se; quia ille modus cognoscendi importat disconformitatem cum obiecto in repræsentando: sed non est cur importe talem disconformitatem, nisi quia repræsentat ex parte obiecti id quod obiecto non competit; scilicet, ipsos respectus rationis; quia si nihil repræsentat quod obiecto non conveniat, erit conformissimus in repræsentando, & nullo pacto disconformis: ergò ille actus, vel modus cognoscendi repræsentat ex parte obiecti respectus illos subiecti, & prædicati, generis, superioris, &c. qui revera obiecto non competunt à parte rei.

20 Dices: illum modum cognoscendi non esse disconformem obiecto, quia repræsentet in obiecto relationem, quæ in ipso non est; sed quia modo relativo repræsentat obiectum, cum tamen obiectum tali modo non sit relatum. Sed contra: quia modus cognoscendi ex eo præcisè, quod alio modo repræsentat ex parte cognoscentis, ad

obiectum est ex parte sua nullam disconformitatem importat repugnantem cognitioni perfectissimæ rei prout est in se; sed ille modus cognoscendi per modum generis, & differentie, subiecti, aut prædicati, &c. importat disconformitatem repugnantem cognitioni perfectissimæ, cognoscenti obiectum ut est in se: ergo non præcisè, quia repræsentat ex parte cognoscentis modo relativo, sed quia repræsentat ex parte obiecti respectum, & relationem. Maior patet, quia cognitio divina ex parte cognoscentis cognoscit rem finitam, materialem, & compositam modo infinito spiritali, & simplicissimo; & tamen non idè importat disconformitatem repugnantem cognitioni perfectissimæ: ergo.

21 Tertio probatur conclusio, & confirmantur dicta: quia talis est relatio subiecti, & prædicati, qualis est distinctio inter subiectum, & prædicatum; sed distinctio inter subiectum, & prædicatum; v. g. inter *hominem*, & *animal*, est distinctio rationis: ergo similiter relatio subiecti, & prædicati est relatio rationis: sed talis relatio est in qua præcipue consistit obiectum formale Logicæ: ergo obiectum formale Logicæ est relatio rationis. Minor probatur, quia illa distinctio non est distinctio realis: ergo est distinctio rationis.

22 Respondent contrarij

esse distinctionem rationis, non obiectivam, seu intrinsecam ex parte obiecti, sed subiectivam, & extrinsecam obiecto, & se tenentem ex parte actus distinguentis, ab ipsoque indistinctam. Sed contra; quia actus intellectus, & quidquid ex parte illius se tenet, est quid reale realiter existens à parte rei: sed distinctio inter animal, & hominem non est realis realiter existens à parte rei: ergo non consistit in actu intellectus, nec se tenet ex parte illius.

23 Dicent non esse realem physicam, & intrinsecam obiecto, esse tamen realem intentionalem, & extrinsecam obiecto, sicuti est ipse actus intellectus. Sed contra primo, quia actus intellectus tantum per rationem distinguit extrema realiter identificata, non autem realiter intentionaliter, cuius signum est, quod nec D. Thom. unquam talem distinctionem nominavit, nec inter Metaphysicos alia distinctio invenitur ab intellectu facta, nisi distinctio rationis; realem vero intentionalem, nec ipsi contrarij memorantur, nisi in præsentibus, cum nostris urgentur argumentis: ergo talis distinctio realis intentionalis admittenda non est. Secundo: quia implicat in terminis extrema de se identificata distinguere ab intellectu per distinctionem ipsis extremis extrinsecam: ergo implicat distinctio illa realis extrinseca ex-

remis, quæ dicuntur distingui. Antecedens probatur: quia eodem pacto distinguuntur ab intellectu extrema identificata, ac identificantur ab illo extrema de se distincta: cum intellectus eandem vim habeat distinguendi identificata, ac identificandi distincta: sed implicat in terminis extrema identificari identitate extrinseca ipsis: ergo etiam distingui distinctione extrinseca ipsis. Minor probatur: quia ex terminis vnum extremum identificari alteri, est esse intimum, & internum alteri per identitatem: sed aperte implicat in terminis vnum fieri alteri intimum, & intrinsecum per identitatem ratione identitatis extrinsece vtrique extremo: quia alias esset intrinsecum extrinsece, quo nihil implicantius excogitari potest: ergo implicat in terminis extrema identificari identitate extrinseca. Hæc pro nunc sufficient: nam infra tract. 3. late probabitur distinctionem, & relationem inter prædicata identificata realiter esse rationis obiectivam, & intrinsecam extremis distinctis, & relatis: indeque amplius constabit formam artificialem instrumentorum sciendi in relationibus rationis fictis in obiectis consistere.

Solvuntur argumenta.

24 **O**BIJECTIES Primo: forma constituens

obiecta in ratione subiecti prædicati, generis, &c. est obiectum formale Logicæ: sed forma constituens obiectum in ratione prædicati, v. g. (idem dic de reliquis) est actus intellectus, qui est ens reale intentionale: ergo ens reale intentionale est obiectum formale Logicæ, non autem ens rationis. Minor, in qua stat difficultas, probatur: per eandem formam constituitur obiectum prædicatum, per quam intellectus constituitur prædicans obiectum: sed per suum actum constituitur intellectus prædicans obiectum, tanquam per formam: ergo obiectum constituitur prædicatum per ipsum actum intellectus, tanquam per formam. Maior, in qua stat difficultas, probatur: idem est formaliter intellectum prædicare obiectum, ac illud prædicari: ergo per eandem formam constituitur obiectum prædicatum, per quam constituitur intellectus prædicans obiectum.

25 Confirmatur: per eandem formam, per quam oculus videt parietem, paries denominatur visus formaliter, & per eandem formam, per quam intellectus cognoscit obiectum, obiectum denominatur formaliter cognitum: ergo per eandem formam, per quam intellectus prædicat obiectum, obiectum constituitur formaliter prædicatum.

26 Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem distingua-
maior

maio- rem: per eandem formam
constituitur obiectum prædica-
tum in fieri, & vialiter, per
quam constituitur intellectus
prædicans obiectum, concedo
maio- rem: formaliter, & in fa-
cto esse, nego maio- rem, & con-
cessa minori, nego consequen-
tiam. Et ad probationem maio-
ris dico, quod sicut est idem
aliquem dealbare parietem, &
parietem esse dealbatum in fieri,
& vialiter, hoc est, dealbari;
non tamen est idem aliquem de-
albare parietem, & parietem es-
se dealbatum formaliter, & in
facto esse; quia primum consti-
tit formaliter in actione deal-
bantis; secundum autem consti-
tit formaliter in albedine ex di-
cta actione resultante; & sicut
est idem artificem componere
domum, ac domum esse com-
positam vialiter, & in fieri; non
tamen est idem, ac domum esse
compositam formaliter, & in fa-
cto esse: quia primum constitit
in actione componentis, secun-
dum vero in vnione, & compo-
sitione formali partium ex illa
actione resultante; ita similiter
est idem intellectum prædicare
obiectum, ac obiectum esse
prædicatum in fieri, & vialiter;
& est idem intellectum compo-
nere definitionem, aut syllogis-
mum, & illa esse composita via-
liter, & in fieri; non tamen est
idem intellectum prædicare
obiectum, ac obiectum esse præ-
dicatum formaliter, & in facto
esse; nec est idem intellectum

componere definitionem, ac
definitionem esse compositam for-
maliter, & in facto esse, quia pri-
mum consistit in actione intelle-
ctus prædicantis, aut componen-
tis; secundum vero in relatione;
aut vnione rationis ex illa actio-
ne resultante in obiectis.

27 Ad confirmatio-
nem: Concesso antecedenti, ne-
go consequentiam. Disparitas
stat in eo, quod visio, & cog-
nitio absoluta sunt actiones
speculativæ nullam formam po-
nentes in obiectis, ac percon-
sequens non vialiter, & in fieri
sed formaliter & completè de-
nominant obiecta visa, & cog-
nita; ac verò actio prædicans
vnum obiectum de alio non est
purè speculativa, sed aliquomo-
do practica, ponit enim in obiec-
to relationem rationis prædicati;
per quam relationem obiectum
denominatur formaliter, & in
facto esse prædicatum, & ideo
per actum intellectus denomi-
natur tantum in fieri, & viali-
tè, vt patet in exemplo actio-
nis dealbantis, aut componen-
tis.

28 Sed replicabis: Actus
intellectus prædicans obiec-
tum de alio non producit in
obiecto formam prædicati: er-
gò non denominat obiectum
vialiter, & in fieri, sed forma-
liter, & in facto esse prædica-
tum. Antecedens probatur: Ta-
lis actus intellectus non repræ-
sentat in obiecto formam præ-
dicati; sed per nos non aliter
illam

illam producit, nisi eam repræsentando: ergo illam non producit. Maior probatur: nam actus intellectus debet supponere ex parte obiecti quod in illo repræsentat: sed non supponit in obiecto formam prædicati: ergo illam non repræsentat in obiecto. Replicabis secundo: Per hoc præcisè, quod intellectus cognoscat obiectum relatè ad aliud, licet nullus respectus rationis resultet, vnum obiectum denominatur relatè formaliter ad aliud: ergo secluso respectu rationis datur forma constituens vnum obiectum relatè ad aliud, & consequenter forma subiecti, & prædicati in dicta relatione non consistit.

29 Replicabis tertio: Actus intellectus prædicans hominem de Petro, v. g. nihil repræsentat in homine, aut Petro, quod illis revera non conveniat: sed relatio subiecti & prædicati illis revera non convenit: ergo non repræsentat relationem subiecti, & prædicati. Maior probatur: Prædictus actus non est falsus: sed actus repræsentans in obiecto, quod revera obiecto non convenit, est falsus: ergo prædictus actus nihil repræsentat, quod revera obiecto non conveniat.

30 Respondeo ad primam replicam, negando antecedens. Ad eius probationem nego maiorem. Ad eius probationem distinguo maiorem: de-

bet supponere quod repræsentat signatè, & speculativè concedo maiorem; quod repræsentat practicè, & exercitè nego maiorem, & consequentiam in eodem sensu: quia cognitio prædicans vnum de alio practicè, & exercitè repræsentat respectum & formam prædicati, quæ cum in obiecto non supponatur, fingitur per ipsum actum in illo, & consequenter producit suo modo. Ad secundam dico, quod maior implicat in terminis. Sicut enim implicat hominem dealbare parietem, quin resultet ex actione albedo in pariete, ita implicat intellectum cognoscere vnum obiectum relatè ad aliud, quin resultet in obiecto in esse repræsentativo respectus unius ad aliud. Cæterum, claritatis gratia, distinguo maiorem: per illud præcisè vnum obiectum denominaretur relatè effectivè, concedo maiorem: formaliter, & in facto esse, nego maiorem; & consequentiam. Sicut enim si per impossibile ex actione dealbante non resultaret in pariete albedo, tunc paries non esset formaliter, sed tantum effectivè dealbata, ita similiter, si actus intellectus referens vnum obiectum ad aliud nullum respectum poneret in obiecto, obiectum denominaretur effectivè relatè, non autem formaliter, & complete.

31 Ad tertiam distinguo maiorem: ille actus nihil repræ-

repræsentat in homine, aut Petro, quod illis revera non conveniat, nihil inquam repræsentat signatè, & iudicativè, concedo maiorem: nihil repræsentat exercitè, & apprehensive quod illis revera non conveniat, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens prædicto modo. Ad probationem maioris dico, quod actus prædicans hominem de Petro signatè, & iudicativè repræsentat de obiecto esse hominem: cum autem hoc revera obiecto conveniat, actus evadit simpliciter verus, & non falsus; respectum autem subiecti, & prædicati non repræsentat, nisi tantum apprehensivè, & exercitè, quatenus hominem repræsentat, ut prædicatum, & Petrum ut subiectum, non affirmando, nec supponendo Petrum esse subiectum, & hominem prædicatum; sed illud efficiendo in Petro & homine suo modo. Sed de his plura in sequenti tractatu de ente rationis,

32 Obijcies secundo: Obiectum formale Logicæ sunt definitio, divisio, & demonstratio & cætera instrumenta sciendi pro formali: Sed hæc pro formali non sunt entia rationis: ergò obiectum formale Logicæ non est ens rationis. Minor, in qua stat difficultas, probatur: munus primum Logicæ non est docere intellectum ad efficiendum entia ra-

tionis; sed munus primum Logicæ est docere intellectum ad efficiendam definitionem, divisionem, & cætera instrumenta sciendi pro formali: ergò definitio, divisio, & cætera instrumenta sciendi, non sunt entia rationis pro formali. Minor probatur: munus primum Logicæ est instruere intellectum ne erret in suis operationibus; sed efficere entia rationis, est fingere, & errare: ergò munus primum Logicæ non est docere intellectum ad efficienda entia rationis.

33 Respondeo: Concessa minori, negando minorem. Ad cuius probationem distinguo maiorem: munus primum Logicæ non est docere intellectum ad efficienda entia rationis cum fundamento in re, & utilia ad sciendum, negò maiorem: sine fundamento in re, & inutilia ad sciendum; concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Ad probationem maioris dico, quod Logica non docet facere quælibet entia rationis, sed tantum illa, in quibus formaliter consistit artificiosa obiectorum dispositio. Hæc autem artificiosa rerum dispositio est ens rationis cum fundamento in ipsis obiectis, & valdè utile ad sciendam veritatem; obiecta enim per hanc formam rationis ordinata intellectui manifestant essentiam, partes, & pro-

proprietas rei occultas, quod absque tali ordine non facerent, nec facere huiusmodi entia rationis est errare, licet sit fingere cum fundamento, quia errare est fingere sine fundamento, aut assertivè; facere autem prædicta entia rationis, non est fingere assertivè, aut sine fundamento, sed tantum apprehensivè cum maximo fundamento ex parte obiecti, ut videbimus sequenti tractatu.

34 Sed replicabis: Nullum ens rationis potest esse utile ad sciendam veritatem: ergò Logica nullum docet construere ens rationis. Antecedens probatur: Omne ens rationis fit media cognitione representante obiectum aliter àc est in se, & aliàs est quid fictum per illam; sed nec representare rem aliter àc est in se, nec aliquid fictum, potest esse utile ad sciendam veritatem obiecti: ergò nullum ens rationis potest esse utile ad sciendam veritatem obiecti. Minor probatur; quia scire veritatem obiecti est scire quid obiectum sit revera in se ipso: sed ad hoc sciendum minimè conducit, sed potius valdè obstat cognoscere obiectum aliter àc est in se, fingendo in illo, quod in illo non est: ergò.

35 Replicabis secundo: illa forma artificialis rationis inutilis est ad ordinatè cognoscendam obiecta: ergò inutilis est ad cognoscendam veri-

tatem obiecti. Antecedens probatur: illa forma artificialis rationis resultat ex cognitione ordinata obiectorum: ergò supponit ordinatam cognitionem obiectorum: non ergò utilis, sed inutilis est ad ordinatè cognoscendum obiecta.

36 Replicabis tertio: Instrumenta sciendi pro formali causant scientiam: sed forma rationis nequit causare scientiam: ergò instrumenta sciendi non sunt pro formali aliquid rationis. Minor probatur: Aliquid rationis nequit causare aliquid reale, cum effectus realis non possit causari à causa rationis; sed scientia est aliquid reale: ergò nequit causari per formam rationis.

37 Ad primam replicam nego antecedens. Ad cuius probationem, nego minorem; nam sicut ad benè legendum sæpius quærentur conspicienda, quæ litteras parvas representent ut magnas, ubi representare litteras aliter àc sunt in se, & illa magnitudo ficta & apparens litterarum, deservit ad verè, & benè legendum, & ad vitandos errores in lectione; & sicut ad cognoscendum obiectum distans utile est conspiciendum illud representans propinquum, quamvis illud representet aliter àc est in re, & illa propinquitas sic ficta; ita similiter, ad cognoscendam absque errore veritatem obiectorum utilis est actus illa

illa repræsentans aliter, ac sunt in se, scilicet, sub ordine artificioso, quem in re non habet, quiquidem ordo, quamvis fictus, obiecta formaliter distinguit, & explicat, ut possint clare ab intellectu cognosci, & cum veritate detegi quod habent in se.

38 Ad secundam, nego antecedens. Ad cuius probationem, concessio antecedenti, distinguo primum consequens: ergo supponit, ut exercite existens, cognitionem ordinatam obiectorum, omitto consequens: ut speculative cognita per modum ideæ, nego consequentiam. Itaque sicut artifex dirigitur ad faciendam domum, & ad ordinate collocandum lapides, & ligna ex ipsa forma artificiali domus, non ut exercite existente, quia ut sic supponit iam collocationem lapidum, & ædificationem ipsius domus; sed ex ipsa ut speculative cognita per modum ideæ, ita similiter intellectus dirigitur ad ordinate cognoscenda obiecta ex forma rationis, non ut exercite existente, sed ut speculative cognita per modum ideæ; intellectus enim ad formandum syllogismum in *Barbara*, v. g. proponit sibi in mente formam illius artificialis, quam imitando, rectum construit syllogismum; unde ipsa forma artificialis, ut speculative cognita, est obiectum formale Logice.

39 Ad tertiam distinguo

maiolem: Instrumenta sciendi pro formali causant scientiam, forma illorum se habente per modum conditionis præcisæ; concedo maiolem: se habente per modum rationis formalis, seu virtutis ad illam causandam, nego maiolem: & distinguo mino-rem, forma rationis nequit causare scientiam per modum conditionis; nego mino-rem: per modum virtutis, concedo mino-rem, & nego consequentiam. Ex quo patet ad probationem. Itaque in demonstratione, v. g. præmissæ sub forma artificiosa rationis convincunt intellectum ad sciendam conclusionem, & ad illius assentum: cæterum virtus ad convincendum intellectum non consistit in illa forma artificiosa, sub qua termini disponuntur; sed in veritate reali terminorum, & præmissarum. Hæc tamen veritas non convinceret intellectum, nisi disponeretur sub forma rationis; unde forma rationis se habet, ut conditio ad causandam scientiam, & veritas realis obiectorum per modum virtutis. Hoc explicatur exemplo exercitus vincens contrarium; milites enim vincunt propter artificiosum ordinem, sub quo disponuntur à duce, ita tamen, ut virtus ad vincendum sint vires militum, ordo tamen illorum est conditio sine qua non.

40 Sed contra instabis primo: obiecta ad causandam scientiam indigent, ut con-

ditione, forma artificiali; sed non possunt indigere ad causandam scientiam forma ficta rationis: ergo forma artificialis non est forma ficta rationis. Minor probatur: nam obiecta realiter, & non fide causant scientiam tanquam effectum realem: sed nulla causa realis ad causandum effectum realem potest indigere forma ficta rationis, quia ens reale dependere nequit ab ente ficto rationis: ergo obiecta non possunt indigere, ut conditione, ad causandam scientiam forma ficta rationis. Secundo: per nos forma ficta rationis tantum est conditio in obiectis ad causandam scientiam: sed pura conditio nunquam est forma constituens: ergo forma ficta rationis non est forma constituens obiecta in ratione instrumentorum sciendi, & consequenter, nec obiectum formale Logicae. Tercio, quia pura conditio ex parte obiecti non est ratio formalis specificativa, ut per se patet: sed per nos forma ficta rationis tantum est pura conditio ex parte obiectorum: ergo nequit esse ratio formalis specificativa Logicae: ergo nec obiectum formale illius.

41 Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad eius probationem distinguo maiorem: obiecta realiter, & non fide causant scientiam, realiter inquam physice, nego maiorem: realiter obiective, & intentionaliter, concedo maiorem

rem, & distinguo minorem: nulla causa realis physica, concedo minorem; nulla causa realis obiectiva, & pure intentionalis, nego minorem, & consequentiam; quia licet causa physica, quae causat, ut physice, & subiective existens a parte rei, non possit indigere forma ficta rationis ad causandum effectum realem; tamen causa, quae est pure obiectiva, & quae solum causat, ut obiective existens in mente, & obiective movendo intellectum, bene potest indigere ad causandum, & movendum intellectum ad scientiam, forma ficta rationis: & hoc pacto tantum obiecta causant scientiam, & ideo indigent disponi artificialiter sub forma ficta rationis, ut convincant intellectum ad assensum conclusionis, & generent scientiam, obiective movendo. Nec est inconveniens, quod ens reale intentionale, quale est scientia, dependeat tanquam a conditione obiectiva ab ente ficto rationis; imo, ut statim dicam, potest ab illo dependere, ut a ratione formali motiva, & specificativa.

42 Ad secundam, concessa maiori, distinguo minorem: pura conditio nunquam est forma naturalis constituens in esse naturali, concedo minorem: nunquam est forma artificialis constituens in esse artificiali, nego minorem, & distinguo consequens: ergo forma ficta rationis non est forma constituens obiecta

obiecta in ratione instrumentorum sciendi, quantum ad vim causativam scientiæ, concedo consequentiam: quantum ad eorum artificium requisitum, ut causent scientiam, nego consequentiam. Itaque datus, quod pura conditio ad causandum nunquam sit forma naturalis constituens in esse naturali, quia huiusmodi forma semper est principium operandi, & præstat vim radicalem agendi: attamen stat optime, quod aliquid sit tantum conditio ad causandum, & sit forma artificialis constituens in esse artificiali, quia ars non præstat vim activam naturæ, sed illam supponit, & solum eam artificialiter disponit, ut fortius, vel ut tali modo causet, & operetur. Ex quo solum sequitur formam rationis non constituere instrumenta sciendi quantum ad vim causativam scientiæ, quia hæc competit naturaliter obiectis; sed solum illa constituere formaliter quantum ad artificium logicum exactum per modum conditionis, ut causent scientiam. Hoc patet in exemplo supra posito exercitus militaris, cuius ordo artificialis est solum conditio ad vincendum, quia non præstat vim militibus, & tamen est forma constituens exercitum quantum ad militare artificium, exacta per modum conditionis ad vincendum.

43 Ad certiam, distinguo

maiores: pura conditio ex parte obiecti, non est ratio formalis specificativa respectu illius; respectu cuius est pura conditio, concedo maiores: respectu alterius, nego maiores: & distinguo minores: forma ficta rationis est pura conditio respectu obiectorum aliarum scientiarum ad causandas ceteras scientias, concedo minores: est pura conditio ex parte obiecti logici ad illam specificandam, nego minores, & consequentiam: quia forma ficta rationis non est obiectum formale aliarum scientiarum, sed est tantum artificiosa dispositio, qua disponuntur obiecta motiva, & formalia, aliarum scientiarum, ut actu causent scientiam; attamen ipsa artificiosa dispositio, quæ est conditio in obiectis aliarum scientiarum, est obiectum formale, & ratio formalis quæ specificativa Logicæ, quod recte componitur respectu diversorum.

44 Argues tertio: Obiectum formale Logicæ debet contineri sub obiecto formali, & primario intellectus; sed ens rationis non continetur sub obiecto formali, & primario intellectus, quod est ens reale: ergo nequit esse obiectum formale Logicæ. Maior patet: nam Logica est habitus intellectualis, & consequenter nequit se extendere extra obiectum formale, & primarium intellectus.

45 Confirmatur: Scientia

ria specificatur, & mensuratur à suo obiecto formali; sed Logica, cum sit ens verum, & reale, nequit specificari, & mensurari per ens rationis: ergò obiectum formale Logicæ non est ens rationis. Confirmatur secundo: Obiectum formale Logicæ debet esse simpliciter scibile, cum ipsa, ut postea videbimus, sit simpliciter scientia; sed ens rationis non est simpliciter scibile: ergò non est obiectum formale Logicæ. Minor probatur: scibilitas est passio entis: ergò quod non est simpliciter ens, non est simpliciter scibile; sed ens rationis non est simpliciter ens: ergo nec simpliciter scibile.

46 Respondeo primo: omiſſa maiori, negando minorem, nam ut dicemus in lib. de Anima, obiectum formale nostri intellectus est ens, prout comprehendit ens reale, & rationis. Deinde nego mai. nam cum intellectus aliqua obiecta respiciat primario, & alia secundario, sicut indiget habitibus, ut determinetur ad obiecta, quæ primario respicit, ita indiget habitu ad attingendum ens rationis, quod secundario respicit; quique dicitur habitus Logica est, quæ licet se extendat extra obiectum primarium intellectus, non tamen extra obiectum extensivum illius, quod in omnium sententia comprehendit omne ens, sive reale sive rationis.

47 Ad primam confirmationem, distinguo mai. scientia specificatur, & mensuratur extrinsecè à suo obiecto, concedo maiorem; intrinsecè, nego maio-

rem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Et ad probationem minoris eadem respondebis distinctione. Mensurari enim scientiam, & specificari extrinsecè ab obiecto, nihil aliud est quam ipsam tantum scire, quantum de obiecto scibile est: nullum autem apparet inconveniens in eo quod Logica tantum præcisè sciat de ente rationis, quantum de ipso scibile est.

Si autem dicas. Obiectum specificativum scientiæ causat scientiam per modum virtutis extrinsecè moventis ad ipsam; sed supra docebamus, quod ens rationis nequit causare scientiam per modum virtutis, sed tantum per modum conditionis: ergò. Respondeo, distinguendo maiorem: obiectum scientiæ causat scientiam in genere causæ efficientis, nego maiorem; in genere causæ formalis extrinsecæ concedo maiorem: Sed ad minorem dico, quod ens rationis, si consideretur ut obiectum, de quo passionibus demonstrantur, causat extrinsecè scientiam per modum virtutis moventis. Si autem consideretur quatenus est forma in exercitio disponens obiectum, & illud ordinans, tantum se habet ut conditio, & in hoc sensu diximus ens rationis non causare scientiam per modum virtutis moventis.

48 Ad tertiam replicam infra respondebimus. Ex dictis colliges modum sciendi obiectivum quatenus adæquatè distinctum ab actibus intellectus, & à modo sciendi mentali esse

L obis

obiectum primarium Logicæ, ita
tamen ut obiecta ipsa sint mate-
riale primarium, & forma ratio-
nis in ipsis obiectis repræsentata
sit obiectum formale primarium.

QVÆSTIO VI.

*Quodnam sit obiectum formale At-
tributionis Logicæ.*

FECIMUS Comparationem
in antecedentibus in-
ter modum sciendi vo-
calem, mentalem, & obie-
ctivum, quorum primum, & se-
cundum, diximus esse tantum
obiectum secundarium Logicæ;
tertium vero obiectum prima-
rium; nunc restat, ut inter modos
sciendi obiectivos facta compa-
tione, inquiramus quisnam sit
obiectum attributionis in Logi-
ca. Nam alij asserunt esse obiec-
tum attributionis rationem com-
munem comprehendentem mo-
dum sciendi, & eius partes, ita
ut subiectum, prædicatum, ge-
nus, & differentia sint etiam
obiectum attributionis Logicæ.
Alij asserunt solum modum scien-
di prout comprehendit diffini-
tionem, divisionem, & argumen-
tationem. Alij solam demonstratio-
nem, sive syllogismum demonstra-
tivum. Alij syllogismum, tam de-
monstrativum, quam opinati-
vum, & sophysticum. Circa quod.

*Statuitur, & defenditur prima
Conclusio.*

PARTES Modi sciendi, quæ
non sunt modus sciendi, v. g.

*subiectum, prædicatum, genus,
propositio, &c. non sunt obiectum
attributionis Logicæ. Facile pro-
batur: nam obiectum attributio-
nis est quod propter se attingitur,
& ad quod cætera ordinantur;
sed prædictæ partes non attinguntur
propter se, cum per semet-
ipsas nihil ignotum manifestent,
nec sint instrumenta sciendi, &
aliàs ordinantur per se ad modum
sciendi componendum: ergo non
sunt obiectum attributionis Logicæ.*

3 Argues: Non modus scien-
di, sed respectus rationis ut sic, est
obiectum formale attributionis in
Logica; sed partes modi sciendi,
v. g. genus, prædicatum, &c.
per se dicunt respectum rationis:
ergo sunt obiectum attributionis
in Logica. Maior probatur: obiec-
tum attributionis debet prædi-
cari de omnibus, quæ tractan-
tur in scientia; sed solus respectus
rationis ut sic, prædicatur de om-
nibus, quæ tractantur in Logica,
non autem modus sciendi; cum
prædicatum, subiectum, &c. non
sint modus sciendi, licet impor-
tent respectum rationis: ergo.
Respondeo, negando maiorem.
Ad cuius probationem distinguo
maiorem: debet prædicari de
omnibus in recto, nego in maio-
rem: in recto, vel in obliquo;
concedo maiorem, & sub eadem
distinctione minoris, nego conse-
quentiam. Itaque, sicut Deus est
obiectum attributionis Theolo-
giæ, licet non prædicetur in re-
cto de peccato, de quo, scilicet,
tractatur in Theologia, quia de
illo

illo prædicatur in obliquo, quatenus est offensa Deis ita similiter modus sciendi est in Logica obiectum attributionis, quia saltem in obliquo prædicatur de omnibus, quæ in Logica tractantur; etenim prædicatum, & genus, &c. sunt partes modi sciendi, vel ad illum ordinantur.

Statuitur, & defenditur secunda conclusio.

4 **D**ico secundo: Syllogismus prout comprehendit probabilem, & sophisticum, non est obiectum attributionis Logice. Prob. Obiectum attributionis Logice est, quod per se primo respicitur a Logica, & ad quod cetera ordinantur; sed Logica per se primo non respicit syllogismum, prout comprehendit probabilem, & sophisticum: ergo. Min. prob. Logica per se primo tantum respicit syllogismum, qui sit instrumentum sciendi; sed syllogismus probabilis est instrumentum opinandi, & syllogismus, sophisticus errandi: ergo Logica per se primo non respicit syllogismum, prout comprehendentem probabilem, & sophisticum.

5 Respondebis: Logicam per se primo respicere syllogismum, qui, attenta forma, sit modus sciendi; non autem syllogismum, qui omnibus inspectis, sit modus sciendi. Sed contra: nam syllogismus sophisticus, etsi attenta forma, quæ eadem est cum forma syllogismi demonstrativi, sit instrumentum sciendi; absolute ta-

men, & simpliciter est instrumentum errandi, cum generet errorem; sed Logica non potest per se primo respicere instrumentum absolute, & simpliciter errandi: ergo Logica per se primo non respicit syllogismum sophisticum. Min. prob. si Logica per se primo respiceret instrumentum errandi, per se primo esset magistra erroris, non minus, quam est magistra veritatis; sed absurdum est hoc dicere: ergo.

6 Mihi sic publice arguenti respondebatur: Logicam, attento fine extrinseco, solum esse magistrā veritatis, quia a cæteris scientijs propter solam veritatem desiderabatur; per se tamen, & ex fine intrinseco non magis inclinare intellectum ad errorem, quam ad veritatem. Sed contra; quia Logica per se, & ab intrinseco est perfectio intellectus; sed quod per se primo inclinat intellectum ad errandum potius est imperfectio, quam perfectio illius: ergo Logica per se primo nequit inclinare intellectum ad errandum. Urgetur: nulla virtus intellectualis potest inclinare intellectum ad errorem, sicut nulla virtus moralis voluntatem ad peccandum: sed Logica, cum sit ars, & scientia, est virtus intellectualis: ergo nequit intellectum inclinare ad errorem. Urgetur amplius difficultas: nulla virtus moralis æquè per se primo inclinat voluntatem ad actum bonum, & prævum; alias simul esset vitium, & virtus: ergo nulla virtus intellectualis inclinat intellectum

æquè per se primò ad veritatem, & errorem.

7 Sed objeies: obiectum attributionis Logicæ est instrumentum sciendi quoad formam, & non quoad materiam, hæc enim est obiectum purè materiale; sed eadem forma servatur in syllogismo opinativo, & sophistico, ac demonstrativo: ergò si demonstrativus est obiectum attributionis, etiã opinativus, & sophisticus. Respondeo distinguendo mai. Est instrumentum sciendi quoad formam debite materię applicatam, concedo mai. indebite materię applicatam, nego mai. & distincta min. eodem modo, nego conseq. Nam forma syllogistica, præscindendo ab eo, quod applicetur debite, vel indebite materię, nec est instrumentum sciendi determinatè, nec instrumentum errandi; sed indifferentis ut sit instrumentum errandi, si videlicet, applicetur materię indebite, vel ut sit instrumentum sciendi, si debite materię applicetur; unde ipsa forma ut cõnotans debitã materiam, & quatenus est forma demonstrationis est obiectum attributionis Logicæ.

Satur, & defenditur ultima conclusio.

8 **M**odus Sciendi, prout comprehendit definitionem, divisionem, & demonstrationem, est obiectum attributionis Logicæ, & non sola demonstratio. Probat: ex his tribus instrumentis sciendi, quodlibet per se primo respicitur à Logica, & neutrum per se ordi-

natur ad aliud: ergò quodlibet est obiectum attributionis, & non sola demonstratio. Minor, in qua sola stat difficultas, probatur: quodlibet ex dictis instrumentis sciendi per se primo manifestat ignotum: sed Logicæ finis est manifestare ignotum: ergò quodlibet ex illis per se primo respicitur à Logica, & consequenter nullum per se ordinatur ad aliud. Confirmatur: Logica æquè primo instruit intellectum ad cognoscendam essentiam, partes, & proprietates rei, cum cognitio cuiuslibet horum trium sit per se appetibilis: sed mediante definitione cognoscit essentiam, mediante divisione partes, & media demonstratione proprietates: ergò hæc tria instrumenta sciendi æquè primo respiciuntur à Logica, nullumque respicitur propter aliud; igitur modus sciendi prout hæc tria comprehendit est obiectum attributionis Logicæ, & non sola demonstratio.

9 Argues: definitio, & divisio non respiciuntur per se primo à Logica, sed sola demonstratio: ergò sola illa est obiectum attributionis Logicæ. Antecedens probatur primò, quia definitio, & divisio non causant scientiam, quæ per solam demonstrationem acquiritur; sed Logica per se primo solum respicit instrumentum causans scientiam: ergò solū respicit per se primo demonstrationem, non autem definitionem, & divisionem. Secundo: nam definitio, & divisio sunt partes de-

monstrationis; hæc enim sæpè componitur ex definitione, vel divisione; sed partes non respiciuntur per se primo, sed per ordinem ad totum: ergò definitio, & divisio non respiciuntur à Logica per se primo, sed per ordinem ad demonstrationem.

10 Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem distinguo maiorem: definitio, & divisio, non causant scientiam sumptam pro notitia clara rei ignotæ, nego maiorem: sumptam pro cognitione discursiva rei ignotæ, concedo mai. hæc enim sola per demonstrationem acquiritur; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Itaque scientia potest sumi latè pro clara notitia rei obscuræ, & ignotæ; vel pro notitia discursiva rei per suas causas, & principia: Logica ergò per se primo respicit instrumenta, quæ causant scientiam utroque modo sumptam, & non solum, quæ causant scientiam secundo modo sumptam. Cum autem per definitionem, & divisionem acquiratur scientia, saltem primo modo sumpta, inde est quod per se primo ad Logicam pertineant.

11 Ad secundam distinguo maiorem: sunt partes demonstrationis per se, nego maiorem: per accidens concedo mai. & min. & nego consequentiam. Itaque fatemur definitionem, & divisionem posse componere demonstrationem; exterum per se

non ordinantur ad illam componendam, nec à Logica respiciuntur ut illam constituent, sed quia per se, vna manifestat essentiam rei, altera illius partes; Logica enim non solum per se primo instruit intellectum ad cognoscendas proprietates rei, quæ per solam demonstrationem noscuntur, sed etiam ad cognoscendam essentiam, & partes eius, quas per se manifestant definitio, & divisio independentes à demonstratione.

QVÆSTIO VII.

Respectu cuius Logica sit docens, & utens?

1 Nota Primo, Logicam communiter dividi in docentem, & utentem: dicitur docens, in quantum tradit regulas definiendi, dividendi, & argumentandi. Dicitur utens, in quantum prædictas regulas applicat executioni in determinata materia. Nota secundo, dupliciter posse Logicam concurrere ad aliquem actum; scilicet, vel directive, vel effective. Concurrit directive, quando tradit regulas, & modum, quo elicendus est talis actus. Tunc autem concurrit effective, quando ipsa per se efficit, elicit, vel exequitur talem actum. Unde Logica dicitur utens respectu illorum actuum, quos ipsa suis regulis directa elicit. Dicitur docens respectu illorū, ad quorum elicentiam dirigit. Nota tertio, quod in qualibet scientia

tres communiter distinguuntur partes: & pars demonstrativa, sive analytica: & pars topica, seu probabilis: & pars sophystica, sive fallax. Pars demonstrativa dicitur illa, in qua demonstrantur passionés, sive proprietates de obiecto talis scientiæ. Probabilis vero, in qua ex principijs probabilibus disputatur circa obiectum ad inveniendam veritatem; qui modus disputandi est quædam dispositio ad scientiam assequendam: Sophystica est illa, in qua fallacijs, & sophismatibus differitur circa eius obiectum: qui modus potius obumbrat, quam aperit veritatem. His suppositis.

2 Dico primo: *Logica circa proprios actus tam in materia demonstrativa; quam in topica, & sophystica concurrat effective: & aliquando etiam directive.* Prima pars patet: nam Logica, sicut quælibet alia scientia, elicit suos actus: ergò ad illos concurrat effective. Sed dices: Logica est scientia, ut infra probabimus, & consequenter virtus intellectualis; sed actus Logicæ in parte opinativa, & sophystica, non possunt elici à virtute intellectuali: ergò tales actus non possunt elici à Logica. Minor probatur; quia actus in parte topica, & sophystica sunt opinativi, & fallaces; sed huiusmodi actus non possunt elici à virtute intellectuali: ergò. Minor probatur ex D. Thom. 1.2. q. 57. art. 2. sic agente. *Habitus vir-*

tutis determinate se habet ad bonum, nullo autem modo ad malum: bonum autem intellectus est verum, malum autem eius est falsum; unde soli illi habitus virtutes intellectuales dicuntur, quibus semper dicitur verum, & nunquam falsum; sed actus opinativi, & fallaces aliquando, vel plerumque sunt falsi: ergò.

3 Respondeo, distinguendo maiorem: Logica est scientia in parte demonstrativa, concedo maiorem; in parte topica, aut sophystica, nego maiorem; & concessa minori, quæ rectè probatur in argumento, nego consequentiam. Nam circa obiectum Logicæ, sicut circa obiectum cuiuslibet scientiæ, non solum datur habitus scientificus, seu demonstrativus, qui est virtus intellectualis, sed etiam habitus opinativus, aut etiam sophysticus, qui virtus intellectualis non est: qui quidem habitus comprehenditur nomine Logicæ, quando est circa materiam Logicæ, vel nomine illius facultatis, circa cuius materiam ordinatur, & ex cuius principijs procedit; quia licet principaliter non sit talis facultas, reductive tamen ad illam pertinet. Argumentum igitur solum probat actus opinativos, seu sophysticos Logicæ non posse procedere à Logica, quatenus importat, vel nominat habitum scientificum; non vero quod non possint elici à Logica, quatenus nominat habitum opinativum

tivum reductive pertinentem ad Logicam: nam hic habitus non est virtus intellectualis.

4 Iam secunda pars conclusionis, quæ ab aliquibus, licet paucissimis, negatur, sic suadetur. Logica dirigit ad construendas omnes divisiones, definitiones, & argumentationes, cum illius obiectum sit modus sciendi ut sic; sed actus Logicæ sunt etiam definitiones, divisiones, & argumentationes: ergo Logica dirigit se ipsam, & consequenter directive concurrat ad eliciendos suos actus. Confirmatur: ideò Logica dirigit cæteras scientias ad suas efficiendas demonstrationes, quia gaudent artificio modi sciendi, quod sola construere docet; sed eodem artificio gaudent demonstrationes Logicæ: ergo etiam Logica dirigit se ipsam ad proprias demonstrationes construendas, & consequenter ad illas directive concurrat.

Ex quo colliges, Logicam dici utentem simul & docentem respectu suorum actuum, non solum in parte probabili, sed etiam in parte demonstrativa. Patet, quia Logica est utens, in quantum elicit aliquem actum, & est docens, in quantum dirigit ad illum eliciendum; sed Logica, (ut vidimus) efficit, & elicit suos actus, tam probabiles, quam demonstrativos, & se ipsam dirigit ad illos eliciendos: ergo Logica respectu suorum actuum

est docens simul & utens, non solum in parte probabili, sed etiam in parte demonstrativa.

5 Sed argues ex D. Thoma 4. Meth. lect. 4. sic aientem *In parte Logicæ, quæ dicitur demonstrativa, sola doctrina pertinet ad Logicam; usus vero ad Physicam, & alias scientias particulares*: ergo Logica in parte demonstrativa non est utens, sed tantum docens. Respondeo, explicando textum Angelici Doctoris: sola doctrina pertinet ad Logicam, usus vero ad alias scientias, attento fine directo Logicæ, concedo antecedens: attento fine reflexo Logicæ, nego antecedens, & consequentiam. Nam D. Thom. ibi loquitur de Logica in ordine ad finem eius directum; & hoc pacto fatemur Logicam non docere se ipsam, sed tantum cæteras scientias, quia non sunt directe instituta, ut se ipsam doceret in suis actibus, sed tantum ut dirigeret cæteras scientias; & cum usus correspondens Logicæ, ut dirigi cæteras scientias, pertineat unice ad ipsam, ideò recte ait D. Thom. attento fine directo Logicæ, id est, respectivè ad cæteras scientias, quod in parte demonstrativa doctrinam tantum habet, & non vltum: hoc tamèn non obest quominus ipsi Logicæ, quatenus secundario, & reflexè se ipsam dirigi, correspondeat etiam usus suarum regularum in parte demonstrativa.

6 Sed dices: Eum
 vsum negat Logicæ D. Thom.
 in parte demonstrativa, quem
 admittit in parte probabili, &
 sophystica, nàm sic prosequitur
 textum relatum: *Pars autem ten-*
tativa, & sophystica doctrinam
habet, & vsum; sed D. Thom.
 non admittit vsum Logicæ cir-
 ca materiam aliarum scientia-
 rum adhuc in parte probabili,
 aut sophystica; cum Logica non
 concurrat activè ad syllogismos
 probabiles, & sophysticos alia-
 rum scientiarum: ergò vsum,
 quem D. Thom. negat Logicæ
 in parte demonstrativa est circa
 propriam materiam, & non so-
 lum in ordine ad alias scientias.

7 Respondeo, concessa
 maiori; negando minorem,
 nàm vt constat ex pluribus locis
 D. Thom. quos doctè expen-
 dunt PP. Complutenses in
 præsentia, D. Thom. admittit
 vsum activum Logicæ in parte
 probabili, & sophystica aliarum
 scientiarum; nàm cum proba-
 biliter disputatur, aut sophysti-
 ce in materia aliarum scientia-
 rum, sepè proceditur ex princi-
 pijs proprijs Logicæ: v. g. quan-
 do in Philosophia probatur idem
 esse subiectum caloris, & fri-
 goris, in hunc modum: *Calor,*
& frigus sunt contraria; sed con-
traria sunt circa idem: ergò calor,
& frigus sunt circa idem. In hoc
 enim syllogismo circa materiam
 Philosophiæ habet Logica vsum
 & concursum activum, nàm po-
 nit ex propria materia illam præ-

missam minorem, scilicet; con-
 traria sunt circa idem. Secus ac-
 cidit, quando proceditur in ma-
 teria aliarum scientiarum ex
 principijs illarum, & non Logi-
 cæ, vt accidit in parte demon-
 strativa, quia tunc Logica tan-
 tum concurrat directivè, non
 autem effectivè.

8 Argues secundo: omnis
 actus Logicæ in parte demon-
 strativa est doctrina: ergò nullus
 est vsum, & consequenter in par-
 te demonstrativa Logica non est
 vtens. Doctissimus pariter & mi-
 hi colendissimus Thomista, qui
 novissimè, nostræ, & communi
 sententiæ contradicit, totus est in
 probando antecedenti, nàm con-
 sequentiam, vt per se notam sup-
 ponit, quæ tamen probari posset
 quia idem actus implicat quod
 sit simul doctrina, & vsum. Sed
 respondeo, concessa antecedenti,
 negando consequentiam. Ad
 cuius probationem, distinguo
 antecedens: idem actus nequit
 simul esse doctrina, & vsum res-
 pectu eiusdem, concedo antece-
 dens: respectu diversorum, ne-
 go antecedens: nàm licet quilibet
 actus Logicæ sit docens, præ-
 cipue in parte demonstrativa;
 idem tamen potest esse vsum, non
 respectu regularum, quas docet;
 sed respectu regularum, quas non
 docet. V. g. hic actus. *Omnis oratio*
explicans essentiam rei debet esse
clarior illa: omnis definitio explicat
essentiam definiti: ergò omnis defini-
tio est clarior definito. Hic, inquã,
 actus docet regulam definiendi;

& utitur regulis demonstrandi in Barbara.

Secunda conclusio.

Logica Non concurrat effectivè ad demonstrationes aliarum scientiarum, sed tantum directivè. Probatum: Demonstrationes aliarum scientiarum eliciuntur ab ipsis: ergò non à Logica: ergò Logica non concurrat effectivè ad ipsas, sed tantum directivè. Dices, quod demonstrationes aliarum scientiarum, quoad substantiam, eliciuntur ab ipsis, non autem quoad artificium; nam, cum hoc sit logicale, è sola Logica effici potest.

10 Sed contra: nam ceteræ scientiæ efficiunt suas demonstrationes quoad artificium, & modum: ergò ruit solutio. Antecedens probatur primo: nam ceteræ scientiæ efficiunt suas demonstrationes quoad substantiam, ut fatetur solutio; sed modus, sive artificium demonstrationis sequitur ad substantiam ipsius: ergò etiam efficiunt ipsum modum, sive artificium. Patet consequentia: nam qui efficit aliquid, ex quo sequitur, & resultat aliud, illud etiam efficit. Confirmatur: Substantia, & artificium demonstrationis non sunt diversis actibus, sed eodem actu fit primo & per se substantia demonstrationis, secundo autem, & per resultantiam fit illius artificium; ergò

ad illam facultatem pertinet efficere illud artificium, quæ elicit substantiam demonstrationis: & consequenter, si ad ceteras scientias pertinet efficere suas demonstrationes quoad substantiam, ad ipsas etiam pertinebit efficere earum artificium.

11 Secundo probatur antecedens: nam Logica dirigit ceteras scientias ad suas demonstrationes eliciendas: non ad illas eliciendas quoad substantiam, cum artificiosa non sit: ergò Logica dirigit ceteras scientias ad efficiendum artificium suarum demonstrationum: ergò ceteræ scientiæ, ut à Logica directæ, efficiunt, non solum substantiam, sed etiam artificium suarum demonstrationum. Confirmatur: Logica, utpotè ars, non potest dirigere, nisi ad efficiendum opus artificiale ut tale: ergò dum dirigit ceteras scientias, illas dirigit ut efficiant opus artificiale ut tale; sed non aliud nisi demonstrationem: ergò dirigit eas ut efficiant suas demonstrationes, ut opus artificiale sunt: & consequenter ceteræ scientiæ efficiunt suas demonstrationes, quoad artificium logicale, & non solum quoad substantiam. Ex dictis inferes, Logicam dici docentem respectivè ad actus, & demonstrationes aliarum scientiarum; non tamen utentem, quia illas tantum dirigit, sed non efficit.

12 Obijcis: Ceteræ scientiæ

scientiæ non possunt efficere artificium suarum demonstrationum; sed hoc ipso efficitur à Logica: ergò Logica concurret effectivè saltem ad artificium in demonstrationibus aliarum scientiarum repertum. Maior probatur: nam nulla causa efficere potest quod in se non continet; sed ceteræ in se non continent artificium demonstrationis, cum artes minimè sint, & artificium solum in arte præcontineatur: ergo ceteræ scientiæ nequeunt efficere artificium suarum demonstrationum. Confirmatur: Philosophia: v.g. tantum potest attingere suum obiectum, vel quod sub illo continetur; sed artificium demonstrationis non est obiectum Philosophiæ, nec sub illo continetur, sed tantum est obiectum Logicæ: ergò Philosophia attingere nequit, & consequenter non efficit, artificium demonstrationis.

Confirmatur secundo: quia, si Philosophia efficeret artificium suarum demonstrationum iuxta regulas Logicæ, ipsa esset Logica utens; sed hoc est falsum, quia Philosophia distincta est adæquate à Logica utenti: ergo.

13 Respondeo, negando maiorem. Ad cuius probationem distinguo maiorem: nulla causa efficere potest quod in se non continet per se primo, nego maiorem: quod in se non continet, nec per se primo, nec per se secundo, aut resultativè,

concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam: nam licet ceteræ scientiæ artes non sint, ex hoc non sequitur eas non continere secundario, & resultativè artificium suarum demonstrationum, quod sufficit ut illud efficiant; quia tale artificium non est factibile per se primo, sed semper resultat ad substantiam actus. Hoc patet in dealbante parietem, qui ex consequenti, & resultativè efficit relationem similitudinis, quæ resultat in illa ad alterum parietem album, quin tamen de albens parietem formaliter relativus sit, nec per se primo prædictam relationem contineat: ita similiter, licet ceteræ scientiæ formaliter artes non sint, nec contineant per se primo artificium logicæ demonstrationis, illud tamen efficiunt, quia ad substantiam suorum actuum resultat.

14 Ad primam confirmationem, distinguo maiorem: Philosophia tantum valet attingere suum obiectum, vel quod sub illo continetur signatè, & speculando concedo, maiorem: exercitè, & efficiendo, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: nam dum Philosophia suum obiectum speculatur, illud considerat sub artificio modi sciendi, ita ut obiectum attingatur signatè, & speculative, artificium verò exercitè, & practicè, quatenus

ex ipsa consideratione in obiecto resultat. Ad secundam confirmationem, distinguo maiorem: ipsa esset Logica vtens, sumpta Logica in casu nominandi, nego maiorem: sumpta in casu auferendi, concedo maiorem, & nego minorem. Quia licet Philosophia non sit in recto, seu (vt sic dicam) in nominativo, Logica vtens, hoc est, Logica, quæ vtatur regulis; est tamen vtens Logica, sumpta Logica in ablativo, hoc est, facultas, quæ in suis actibus vtitur Logica, seu regulis Logicæ; hoc autem minime est fallum, sed certissimum; licet Philosophia sit distincta à Logica vtenti.

15 Obijcies secundo: Sic Logica præbet alijs scientijs instrumenta sciendi, sicut ars frenofactiva præbet arti equestri instrumentum æquitandi; sed ars frenofactiva per se ipsam efficit instrumentum æquitandi, illudque non efficit equestris: ergo similiter Logica efficit cæteris scientijs instrumenta sciendi, & cæteræ scientiæ illa non efficiunt: ergo cæteræ scientiæ non efficiunt artificium suarum demonstrationum, quod est instrumentum sciendi.

16 Respondeo, distinguendo maiorem: seruata in omnibus paritate, nego maiorem: seruata paritate in aliquibus, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Similitudo enim, & pari-

tas inter artem frenofactivam, & Logicam in eo stat, quod sicut ars frenofactiva ordinatur, tanquam inferior, & ministra, ad artem æquitandi, ita Logica ordinatur tanquam inferior, & ministra ad cæteras scientias, & sicut ars frenofactiva docet efficere instrumentum æquitandi, ita Logica docet efficere instrumenta sciendi: cæterum non seruatur paritas in eo, quod sicut equestris non efficit instrumentum æquitandi, ita cæteræ scientiæ non efficiunt instrumenta sciendi: nam instrumentum æquitandi est per se factibile independenter ab actibus æquitandi; ita vero instrumenta sciendi non sunt per se factibilia independenter ab actibus sciendi, seu demonstrandi; unde non possunt antea fieri, & postea deservire ad sciendum, vel demonstrandum, sed debent fieri per ipsum actum sciendi.

17 Sed replicabis: Imaginat, quod instrumenta sciendi non præcedant actus sciendi, & demonstrandi: ergo ruit solutio. Antecedens probatur: nam instrumentum sciendi causat scientiam; sed causa scientiæ debet esse prior ad actum sciendi, ergo. Respondeo, distinguendo antecedens: implicat quod instrumenta sciendi non præcedant actus sciendi physicè, nego antecedens: obiectivè, subdistinguo: quod non præcedant ad actum sciendi sub munere sciendi, concedo antecedens: sub

sub munere efficiendi, nego antecedens, & consequentiam. Nam instrumenta sciendi imprimis non sunt instrumenta physica, sicut frenum est instrumentum equitandi, & ideò non debent præsupponi physice, ut facta, ad actum sciendi, aut demonstrandi. Solum ergò sunt instrumenta obiectiva, quæ pe-
tunt præsupponi obiectivè; non quidem ad actum sciendi, ut effectivus est, sed solum ad actum sciendi sub munere sciendi; quod rectè compatitur cum eo quod sequatur ad eundem actum sub munere efficiendi. Sicut enim idem actus intellectus est simul dictio, & contemplatio, & ad illum, ut contemplatio est, præcedit verbum, sequitur autem ad ipsum, ut dictio est; sic idem actus Philosophiæ, est effectio demonstrationis, & scientia veritatis; & instrumentum sciendi, seu forma artificiosa demonstrationis præcedit obiectivè ad ipsum, ut scientia est, sequitur autem ad ipsum, ut effectio demonstrationis est.

QVÆSTIO. VIII.

*Utrum Logica docens, & utens
realiter inter se distinguantur?*

LOQVIMVR De Logica docenti, & utenti in propria materia, & circa proprium obiectum in parte de

monstrativa. Pro resolutione igitur.

Statuitur, & probatur nostra conclusio.

DICO Igitur: *Logica docens non distinguitur realiter ab utente, sed idem realiter habitus est sufficiens ad tradendas regulas, & ad utendum illis.* Est communis inter Thomistas, & probatur: Non sunt multiplicandi habitus quando vnus tantum est sufficiens; sed ad tradendum regulas demonstrandi, v. g. & ad utendum illis vnicus sufficit habitus: ergò non datur duplex realiter habitus, vnus ad docendum, & alter ad utendum; sed vnicus realiter habitus est simul docens, & utens. Maior est certa. Minor, in qua sola est difficultas, probatur: nam habitus dantur ad vincendas difficultates; sed per vnicum habitum vincitur difficultas, quæ reperitur in tradendo regulas, & illis utendo: ergò vnicus tantum realiter habitus est sufficiens ad hæc munera præstanda. Minor probatur: nam per vnicum habitum vincitur difficultas, quæ reperitur in tradendo regulas; sed, hac victa difficultate, nulla restat difficultas in utendo illis: ergò per vnicum habitum vincitur difficultas, quæ reperitur in tradendo regulas & illis utendo. Minor etiam probatur: nam postquam aliquis

optime, & faciliter intellexit regulas demonstrandi, nullam experietur difficultatem in eliciendo demonstrationem conformem dictis regulis. Difficultas enim ad conficiendam demonstrationem regulis conformem in eo consistit, quod aliquis perfecte non calleat regulas demonstrandi: ergo victa difficultate in tradendis regulis, nulla restat difficultas vincenda in vtendo illis.

2 Sed dices, quod, adhuc traditis, & intellectis regulis demonstrandi, restat difficultas in exequendo illas; sicut postquam aliquis recte intellexit regulas musicæ, restat difficultas in cantu exercendo, & sic similiter in alijs artibus. Sed contra; nam idè in arte musicæ, adhuc traditis, & intellectis regulis, restat difficultas in illis exequendis, quia illarum exequutio pertinet ad distinctam potentiam, scilicet, ad guttur, in quo cantus exercetur: per regulas enim existentes in intellectu nequit vinci difficultas gutturis; sed regulæ demonstrandi, & illarum exequutio pertinet ad eandem potentiam, scilicet, ad intellectum; ille enim tradit regulas, & elicit demonstrationes: ergo explicatis, & benè intellectis regulis non restat difficultas formalis in illis exequendis.

3 Dices ulterius, quod licet tradere regulas, & illis vti ad eandem potentiam per-

tineat, adhuc tamen nova restare potest difficultas in illis vtendo. Etenim, licet Logica docens perfecte calleat regulas demonstrandi in materia aliarum scientiarum, tamen per Logicam docentem non vincitur difficultas, quæ reperitur in eliciendis demonstrationibus earum, aliàs Logica docens vinceret difficultatem, quæ reperitur in demonstrationibus aliarum scientiarum, & consequenter ceteri habitus essent superflui. Sed contra, quia idè Logica docens nequit per se vincere difficultatem reperiendam in demonstrationibus aliarum scientiarum, quia prædictæ demonstrationes habent pro obiecto formali obiectum, quod non continetur sub obiecto Logicæ, & Logica sicut quælibet alia scientia solum potest vincere difficultatem circa proprium obiectum; sed demonstrationes Logicæ sunt circa proprium ipsius Logicæ obiectum, & Logica, sicut quælibet alia facultas, absdubio potest vincere difficultatè circa suum obiectum: ergo Logica docens per se ipsam formaliter vincit difficultatem reperiendam in eliciendis proprijs demonstrationibus.

Soluntur Argumenta

4 **O**BICIES Primo: Victa difficultate in tradendis regulis, & illis perfecte

At intellectis, restat nova difficultas in illis exequendis; sed ad novam difficultatem requiritur novus habitus: ergò ad regulas executioni mandandas requiritur novus habitus realiter distinctus ab habitu Logicæ docentis, qui regulas tradit. Maior, in qua stat difficultas, probatur; quia experientia docet plures rectè intelligere regulas syllogizandi, & tamen esse tardos, & habere difficultatem in syllogismis construendis: ergò adhuc victa difficultate in tradendis regulis, restat nova difficultas in illis exequendis.

5 Confirmatur: habitus Logicæ docentis non faciliat ad utendum: ergò ad utendum requiritur novus habitus. Antecedens probatur: habitus solum faciliat ad actus similes ei per quos fuit genitus: sed habitus Logicæ docentis acquiritur per actus docendi, & non per actus utendi: ergò non faciliat ad utendum, sed tantum ad docendum. Urgetur: potest augeri habitus Logicæ utentis, quin augeatur habitus Logicæ docentis: ergò realiter distinguuntur. Antecedens probatur: potest aliquis elicere plures actus Logicæ utentis, nullum elicendo Logicæ docentis; sed tunc casus augeretur habitus, sive facilitas utendi, non autem habitus, sive facilitas docendi: ergò potest augeri habitus utendi, quin augeatur habitus docendi.

6 Respondeo, distinguendo maiorem: victa difficultate in tradendis regulis, restat nova difficultas formalis in exequendis regulis, nego maiorem: nova difficultas materialis, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Ad probationem maioris eadem distinctione respondeo, quòd duplici ex causa potest aliquis esse tardus, & difficilis in syllogizando, vel quia ex se non est promptus, & habilis ad syllogizandum, vel quia ei deficit materia ad construendos syllogismos, scilicet, terminorum copia: quando difficultas provenit ex primo capite, est difficultas formalis, & ad illam vincendam est necessarius novus habitus: quando autem provenit ex secundo capite, est difficultas materialis, & non indiget novo habitu, sed sola administratione, & copia terminorum, ut vincatur; ille igitur qui post bene intellectas regulas syllogizandi, est tardus, & difficilis in syllogizando, hoc ei provenit ex defectu materiæ, eo quod imaginativa non ministrat prompte copiam terminorum: Unde ad hanc difficultatem vincendam, non requiritur novus habitus. Hoc parificari potest in velocissimo scriptore, qui quamvis facilimus sit in scribendo, si tamen materia scribenda non ministratur abunde, & prompte à memoria, tardus, & cum aliqua difficultate scribetur.

bet: sic similiter exercitissimus artifex domum murosè componet, si ei non ministretur copia lapidum, & laterum abundè, & promptè: hæc tamen tarditas, & difficultas est materialis, quæ minimè per habitum est vincibilis.

7 Ad confirmationem nego antecedens. Ad cuius probationem distinguo maiorem: habitus solum faciliat ad actus similes eis, per quos genitus fuit, primario, concedo maiorem: secundario, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: nam cum habitus acquisitus per actus docendi faciliat primario ad docendum, & supposita doctrina nulla restet difficultas in vtendo, inde est quod idem realiter habitus secundario, & ex consequenti faciliat ad vtendum. Ad augmentum difficultatis, nego antecedens. Ad cuius probationem, nego maiorem; nam cum actus Logicæ vtentis supponat essentialiter actum Logicæ docentis tradentem regulas, quibus vtitur, nequit aliquis elicere plures actus Logicæ vtentis, quin etiam plures Logicæ docentis eliciat.

8 Sed contra dicta replicabis: post actus Logicæ docentis, restat nova difficultas formalis in usu, & executione regularum: ergò necessarius est novus habitus ad eam difficultatem vincendam. Antecedens probatur: sic dirigitur intelle-

ctas per actus Logicæ docentis ad vtendum, sicut voluntas per iudicium de agibilibus ad eligendum; se l. supposito iudicio de agibilibus, restat difficultas formalis nova in eligendo: ergò suppositis actibus Logicæ docentis, restat nova difficultas formalis in vtendo. Minor patet: nam, adhuc supposito iudicio dictante esse temperate comedendum, restat nova difficultas in eligendo temperatam comestionem.

9 Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem distinguo maiorem: ly *sicut* dicente omnimodam paritatem, nego maiorem: admittente disparitatem, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Nam idè post iudicium de agibilibus restat nova, & formalis difficultas in eligendo, quia eligere pertinet ad distinctam potentiam, ac iudicium, hoc enim ad intellectum; & illud pertinet ad voluntatem; at vero actus Logicæ docentis, & vtentis ad eandem pertinent potentiam, scilicet ad intellectum.

10 Sed vrgebis: imperium practicum, quo iuxta Thomistas intellectus præcipit executionem mediorum electorum, pertinet ad intellectum, sicut iudicium de agibilibus; & tamen, supposito iudicio de agibilibus, restat nova difficultas formalis in imperio practico, quapropter duplex requiritur virtus in intellectu,

synesis ad iudicium de agibilibus, & prudentia ad imperium practicum, ut defendunt Discipuli D. Thom. cum ipso 2.2. quæst. 51. art. 1. & 2. ergo quanvis actus utendi pertineat ad intellectum sicut actus docendi, poterit in eo nova difficultas formalis reperiri.

11 Respondeo, distinguendo maiorem: pertinet ad intellectum elicitive tantum, concedo maiorem: pertinet ad intellectum tam elicitive, quam illative, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Nam imperium practicum, licet eliciatur ab intellectu, movet tamen efficaciter voluntatem, in qua movenda specialis reperitur, & nova difficultas; ac vero actus Logicæ utentis tantum pertinet ad intellectum, sive elicitive, sive illative, quia non infert actum alterius potentie, sicut imperium practicum, quod infert actum voluntatis.

12 Sed urgebis: Ideo, supposito iudicio de agendis, restat nova difficultas in eligendo, quia tali iudicio supposito, remanet etiam voluntas libera ad eligendum, vel non eligendum; sed etiam supposito actu Logicæ docentis dictante modum efficiendi syllogismum, remanet homo liber ad illum efficiendum, vel non: ergo etiam restabit nova difficultas in illo efficiendo. Respondeo, concessa maiori, & minori, distinguen-

do consequens: restat nova difficultas vincenda per Logicam, nego consequentiam: vincenda per virtutem studioſitatis, concedo consequentiam. Itaque fateor difficultatem reperiri in exercendis regulis, adhuc postquam illas perfecte penetravimus; sæpe enim tædio, & negligentia afficimur ad eas exercendas: exterum hæc difficultas non vincitur à Logica, nec requiritur Logica utens realiter distincta ad eam propulsandam: sed sufficit virtus studioſitatis, cuius est tædium, negligentiam, & pigritiam expellere.

13 Obijcies ultimo: habitus distinguuntur per actus; sed actus Logicæ utentis, & docentis inter se distinguuntur: ergo & habitus. Confirmatur: habitus Logicæ utentis est opinativus, & Logicæ docentis est scientificus; sed habitus opinativus, & scientificus realiter debent distingu: ergo habitus Logicæ docentis, & utentis realiter distinguuntur. Maior, quoad secundam partem probatur: nam habitus Logicæ utentis est habitus probabiliter disputandi; sed probabiliter disputare est opinare: ergo habitus Logicæ utentis est opinativus.

14 Respondeo, distinguendo maiorem: habitus distinguuntur per actus ex æquo, & primario distinctos, concedo maiorem: distinctos penes primarium, & secundarium, ne-

Q. VIII. *Verum Logica docens & utens, &*

gō maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam: nam sicut dilectio Dei, & proximi nascuntur ab eodem habitu charitatis, quia dilectio Dei est actus primarius, & dilectio proximi actus secundarius charitatis, ita similiter actus docendi, & utendi non exigunt habitus distinctos, sed sufficit vnicus, qui respiciat actum docendi primario, & actum utendi secundario.

15 Ad confirmationem, distinguo maiorem: habitus Logicæ utentis in parte demonstrativa est opinativus, nego maiorem: in parte probabilis, aut sophistica transeat maior: ad cuius probationem dico, quod habitus Logicæ utentis in parte demonstrativa est talis, in quantum utitur in exercitio regulis demonstrandi, non in quantum utitur regulis probabiliter disputandi, nam hoc pertinet ad partem topicam, aut probabilem; dato igitur quod habitus utendi regulis probabiliter, aut sophisticè disputandi, sit opinativus, & ideo distinctus à Logica docenti; tamen habitus utendi regulis demonstrandi, est verè demonstrativus, ut infra dicam, & ideo indistinctus à Logica docenti.

16 Dixi transeat ad maiorem, intelletam de Logica in parte etiam opinativa, quia plures inquirunt Logicam utentem in parte probabilis, non esse habitum opinativum, qui proinde respondens

negando maiorem partem. Et ne distinguunt magis utentis etiam nativa est habitus disputandi; & assensibiliter, negant habitus probabiliter disputandi sine assensu concedunt maiorem, & sub eadem distinctione minoris, negant consequentiam. Quia non est habitus opinativus, qui præcisè probabiliter disputat inquirendo, & tentando per media probabilis, & forsàn inveniat veritatem, non autem præbendo assensum formidolosum conclusioni; solum enim opinamur, quādo cum formidine assentimur conclusioni. Logica autem, inquit, est habitus probabiliter disputandi primo modo, non autem secundo modo, & ideo non est habitus opinativus. Sed quia hic modus discurrendi probabiliter sine assensu, videtur contra Div. Th. i. post. lect. i. dicentē, quod *Ex discursu facto per Logicam utentem (intellige in parte topica) ratio totaliter declinat in unam partem contradictionis, licet cum formidine alterius, ubi non admittit discursum probabilem sine assensu, seu neutri parti adherendo: ideo ab hoc præscindimus, contenti cum eo quod Logica utens in parte demonstrativa non distinguatur à Logica docenti, licet utens in parte topica, aut sophistica sit habitus opinativus, realiter à*

183
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

synesis ad iudicium de agibilibus, & prudentia ad imperium practicum, ut defendunt Discipuli D. Thom. cum ipso 2.2. quæst. 51. art. 1. & 2. ergò quavis actus utendi pertineat ad intellectum sicut actus docendi, poterit in eo nova difficultas formalis reperiri.

11 Respondeo, distinguendo maiorem: pertinet ad intellectum elicitive tantum, concedo maiorem: pertinet ad intellectum tam elicitive, quam illative, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Nam imperium practicum, licet eliciatur ab intellectu, movet tamen efficaciter voluntatem, in qua movenda specialis reperitur, & nova difficultas; ac vero actus Logicæ utentis tantum pertinet ad intellectum, sive elicitive, sive illative, quia non infert actum alterius potentie, sicut imperium practicum, quod infert actum voluntatis.

12 Sed urgebis: Ideò, supposito iudicio de agendis, restat nova difficultas in eligendo, quia tali iudicio supposito, remanet etiam voluntas libera ad eligendum, vel non eligendum; sed etiam supposito actu Logicæ docentis dictante modum efficiendi syllogismum, remanet homo liber ad illum efficiendum, vel non: ergò etiam restabit nova difficultas in illo efficiendo. Respondeo, concessa maiori, & minori, distinguendo

do consequens: restat nova difficultas vincenda per Logicam, nego consequentiam: vincenda per virtutem studioſitatis, concedo consequentiam. Itaque fateor difficultatem reperiri in exercendis regulis, adhuc postquam illas perfecte penetravimus; sæpè enim tædio, & negligentia afficimur ad eas exercendas: exterum hæc difficultas non vincitur à Logica, nec requiritur Logica utens realiter distincta ad eam propulsandam: sed sufficit virtus studioſitatis, cuius est tædium, negligentiam, & pigritiam expellere.

13 Obijcies ultimo: habitus distinguuntur per actus; sed actus Logicæ utentis, & docentis inter se distinguuntur: ergò & habitus. Confirmatur: habitus Logicæ utentis est opinativus, & Logicæ docentis est scientificus; sed habitus opinativus, & scientificus realiter debent distingu: ergò habitus Logicæ docentis, & utentis realiter distinguuntur. Maior, quoad secundam partem probatur: nam habitus Logicæ utentis est habitus probabiliter disputandi; sed probabiliter disputare, est opinare: ergò habitus Logicæ utentis est opinativus.

14 Respondeo, distinguendo maiorem: habitus distinguuntur per actus ex æquo, & primario distinctos, concedo maiorem: distinctos penes primarium, & secundarium, ne-

gō maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam: nām sicut dilectio Dei, & proximi nascuntur ab eodem habitu charitatis, quā dilectio Dei est actus primarius, & dilectio proximi actus secundarius charitatis, itā similiter actus docendi, & utendi non exigunt habitus distinctos, sed sufficit vnicus, qui respiciat actum docendi primario, & actum utendi secundario.

15 Ad confirmationem, distinguo maiorem: habitus Logicæ utentis in parte demonstrativa est opinativus, nego maiorem: in parte probabili, aut sophistica transeat maior: ad cuius probationem dico, quod habitus Logicæ utentis in parte demonstrativa est talis, in quantum utitur in exercitio regulis demonstrandi, non in quantum utitur regulis probabiliter disputandi, nām hoc pertinet ad partem topicam, aut probabilem; dato igitur quod habitus utendi regulis probabiliter, aut sophisticè disputandi, sit opinativus, & ideò distinctus à Logica docenti; tamēn habitus utendi regulis demonstrandi, est verè demonstrativus, ut infra dicam, & ideò indistinctus à Logica docenti.

16 Dixi transeat ad mai. intellectuam de Logica in parte etiam opinativa, quā plures inquirunt Logicā utentem in parte probabili, non esse habitum opinativū, qui proinde respondens

negando maiorem, quoad primam partem. Et ad probationē distinguunt mai. habitus Logicæ utentis etiam in parte opinativa est habitus probabiliter disputandi; & assentiendi probabiliter, negant maiorem: est habitus probabiliter disputandi sine assensu concedunt maiorem, & sub eadem distinctione minoris, negant consequentiam. Quā non est habitus opinativus, qui præcisè probabiliter disputat inquirendo, & tentando per media probabilia, & forsān inveniat veritatem, non autem præbendo assensum formidolosum conclusioni; solum enim opinamur, quādo cum formidine assentimur conclusioni; Logica autem, inquit, est habitus probabiliter disputandi primo modo, non autem secundo modo, & ideò non est habitus opinativus. Sed quā hic modus discurrendi probabiliter sine assensu, videtur contra Div. Th. i. post. lect. i. dicentē, quod *Ex discursu facto per Logicam utentem (intellige in parte topica) ratio totaliter declinat in unam partem contradictionis, licet cum formidine alterius, vbi non admittit discursum probabilem sine assensu, seu neutri parti adherendo: ideò ab hoc præscindimus, contenti cum eo quod Logica utens in parte demonstrativa non distinguatur à Logica docenti, licet utens in parte topica, aut sophistica sit habitus opinativus, realiter à*

Logica docenti distinctus, quod ad summum probat Magister Froylam in presenti, non verò de Logica utenti in parte demonstrativa.

17 Sed inquit: non datur Logica utens in parte demonstrativa: ergò nostra sententia, quæ hoc supponit, procedit ex falsa suppositione. Antecedens probat primo ex illis verbis D. Thom. in quibus ait, quod pars demonstrativa doctrinam tantum habet, & non usum. Secundo, quia D. Thomas nunquam meminit usus Logicæ in parte demonstrativa, sed quotiescumque de Logica utenti loquitur, loquitur de illa in parte probabilis: unde 4. Methaph. lect. 4. sic ait: *Utens vero est, secundum quod modo adiuncto utitur ad aliquid probabiliter concludendum in singulis scientijs*: ergò Logica non est utens in parte demonstrativa. Tertio: quia in parte demonstrativa, si aliquis daretur usus, esset constructio demonstrationis: sed constructio demonstrationis, non est vere usus: ergò nec Logica in parte demonstrativa verè utens. Minorem probat primo, quia est vere doctrina: ergò non est usus. Secundo, quia si constructio demonstrationis, esset vere usus, actus secundus Philosophiæ, quo Philosophia suas construit demonstrationes, esset proprie usus: sed hoc est absurdum, nam alias

daretur Philosophia proprie utens, quod est, inquit, contra omnes Logicos: ergò constructio demonstrationis, non est proprie usus.

18 Respondeo negando antecedens, non enim capio, cur Logica non dicatur proprie utens regulis demonstrandi, quando in propria materia ex attentione ad tales regulas, proprias conficit demonstrationes, ad praxim tales regulas deducendo: Ad primam probationem iam supra diximus, Div. Thomam ibi tantum loqui de Logica respectu ad alias scientias; non de ipsa quatenus in propria materia à se ipsa edocta, proprias conficit demonstrationes. Ad secundam, omisso antecedenti, nego consequentiam, quia ideò Div. Thomas non meminit talis usus, quia considerat Logicam ex fine directo, ut doctrix aliarum scientiarum, & non ex fine reflexo, ut doctrix sui ipsius ad suas conficiendas demonstrationes. Et hoc patet ex ipsis verbis Div. Thomæ: nam ibi expresse loquitur de Logica in ordine ad singulas scientias, non reflexe in ordine ad se ipsam. Ad tertiam, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius primam probationem, concessa antecedenti, nego consequentiam; quia respectu diversorum bene potest idem actus esse simul do-

tri-

Arina, & usus, ut supra explicatum manet. Ad secundam, concessa sequela; nego, quod sit absurdum illud, quod sequitur; immo est expressa sententia. Div. Thomae dicentis 4. Metaph. lect. 4. Quod in parte demonstrativa doctrina pertinet ad Logicam, usus vero ad Philosophiam; ergo Physica est vere utens doctrina Logicæ, dum suas conficit demonstrationes, eiusque actus secundus est proprie usus regularum Logicæ: non ergo hoc est contra omnes logicos, imò omnes Logici advertunt, quod Philosophia est Logica utens, sumpta Logica in casu ablativo, hoc est, quod est utens Logica, sive regulis Logicæ. Unde potius argumentum retorqueri potest: nam Physica, quatenus efficit proprias demonstrationes iuxta regulas Logicæ, & ex directione illius, vere utitur Logica, estque utens regulis illius: ergo pariter, dum Logica proprias efficit demonstrationes iuxta proprias regulas, & ex attentione ad illas, vere utitur se ipsa, ut doctrice sui, sive suis regulis à se ipsa præscriptis.

QUESTIO IX.

Virum Logica sit ars?

PRO Resolutione nota primo, quod ars iuxta Aristotelem, 2. Ethicorum, cap. 4. sic diffi-

nitur: Est habitus cum recta ratione factivus, aut iuxta Div. Thom. 1. 2. quest. 57. artic. 3. Est recta ratio operum faciendorum. Ex utraque definitione hæc resultat: Est habitus per certas, & universales regulas dictans modum operis faciendi. Nota tamen, quod ly facere potest sumi dupliciter, vel strictè, & proprie, vel late, & improprie; facere strictè & proprie denotat actionem transeuntem in exteriorem materiam, v. g. edificare domum, secare lignum, &c. facere autem late, & improprie designat, quamlibet actionem, quamvis immanentem, & ad externam materiam non transeuntem, ut discurrere, amare, loqui, &c.

2. Ex quo nota secundo artem, aliam esse mechanicam, aliam liberalem. Mechanica dicitur illa, quæ exercetur per facultates corporis, & potentias externas, & per actionem strictè factivam, sive transeuntem in exteriorem materiam; & huiusmodi ars dividitur in septem, quæ hoc continentur versiculo.

Rus, Nemus, Arma, Rates, Vulcanæ, Lana, Faber.

Scilicet, Agricultura, venatoria, Militaris, Nautica, Chirurgica, Textoria, & Fabrilis. Ars autem liberalis, est quæ exercetur per potentias animæ, quæ non servilis, sicut corpus, sed libera est, & etiam

per actiones immanentes, & non transeuntes in externam materiam; & huiusmodi, scilicet, ars liberalis etiam in septem dividitur, quæ hoc versiculo continentur.

*Lingua, Tropus, Ratio, Numerus;
Tonus, Angulus, Astra.*

Videlicet, Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, Geometria, & Astrologia. Quorum munera sequenti declarantur carmine.

*Dia, vera refert: Gra, loquitur;
Re, Verba Colocat.*

*Mus, canit: Ar, numerat: Geo, ponderat:
As, colit Astra.*

Nostra conclusio:

DICO Igitur: *Logica est ars, non mechanica, sed liberalis; ars tamen liberalis non est proprie, & simpliciter ars, sed tantum secundum quid, & similitudinarie.* Quoad primam partem, scilicet, quod Logica sit ars, est expressa Div. Thom. pluribus in locis, in quibus Logicam artem appellat. Et patet; nam ars est habitus per certas, & determinatas regulas dictans modum operis faciendi; sed Logica est habitus per certas, & universales regulas dictans modum construendi syllogismum, & definitionem, & divisionem, quæ sunt intellectus opera: ergo Logica est ars. Secunda autem pars, quod, scilicet, non sit mecha-

nica, sed liberalis, etiam patet, nam imprimis non exercetur per potentias corporis externas, sed per potentiam animæ internam, scilicet, intellectum, qui solum potest syllogismos construere: deinde non exercetur per actiones transeuntes in externam materiam; sed per actiones immanentes, quales sunt omnes actus intellectus: ergo non est ars mechanica, sed liberalis.

4 Ultima denique pars, scilicet, quod artes liberales, ac proinde Logica, non sunt simpliciter, & proprie artes, sed tantum secundum quid, & similitudinarie, est expressa D. Thom. 1. 2. quæst. 57. artic. 3. ad 3. ibi enim expresse ait artes liberales esse artes per quandam similitudinem. Deinde etiam ratione probatur: nam ars iuxta Philosophum est habitus cum vera ratione factivus; sed artes liberales non sunt habitus proprie, & simpliciter factivi, sed tantum similitudinarie, & lato modo: ergo artes liberales non sunt proprie, & simpliciter artes, sed tantum similitudinarie. Minor, in qua stat difficultas, probatur: nam facere proprie, & simpliciter, est agere per actionem transeuntem in exteriorem materiam: sed artes liberales non sunt activæ per actionem transeuntem in exteriorem materiam: ergo non sunt habitus proprie, & simpliciter factivi.

Sed

5 Sed obicijes: Logica est simpliciter scientia, licet obiectum eius non sit simpliciter ens, sed tantum secundum quid, scilicet ens rationis: ergo poterit esse simpliciter ars, quamvis opus, quod respicit, non sit simpliciter opus, aut factibile per actionem transeuntem in externam materiam. Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam, quia, ut Logica sit simpliciter scientia, sufficit quod eius obiectum sit simpliciter scibile: quod optimè componitur quamvis sit ens secundum quid, ut questione sequenti videbimus; at vero ut sit simpliciter ars, requiritur quod sit simpliciter factiva, & eius obiectum sit factibile simpliciter: hoc autem minimè convenit obiecto Logicæ, scilicet instrumentis sciendi, quia hæc non fiunt per actionem transeuntem in exteriorem materiam, sed per actiones immanentes, scilicet, per actus intellectus.

6 Sed replicabis: instrumenta sciendi fiunt per actionem transeuntem in exteriorem materiam: ergo sunt simpliciter factibilia, & Logica est simpliciter illorum factiva, & consequenter erit simpliciter ars. Antecedens probatur, nam ideo *domus*, v. g. fit per actionem transeuntem, quia fit per actionem introducentem formam artificiosam in lapidibus, lateribus, lignis, &c.

Sed etiam Logica facit instrumenta sciendi per actionem introducentem formam artificiosam in obiectis: ergo etiam instrumenta sciendi fiunt per actionem transeuntem in exteriorem materiam. Respondeo negando antecedens. Ad, eius probationem, distinguo maiorem: quia fit per actionem introducentem vere, & realiter formam artificiosam in lapidibus, & lignis prout sunt à parte rei, & extra ædificantem, concedo maiorem; quia fit per actionem aliter introducentem formam artificiosam, nego maiorem, & distinguo minorem: instrumenta sciendi fiunt per actionem introducentem vere, & realiter formam artificiosam in obiectis prout sunt à parte rei, nego minorem: per actionem fictitiam introducentem formam artificiosam in obiectis prout sunt intra intellectum obiective, concedo minorem, & nego consequentiam. Etenim actio transiens vere, & proprie talis, est quæ causat formam vere, & proprie talem in materiam externam agentem prout externa est; at vero intellectus, dum construit syllogismum, non causat vere, & proprie formam artificiosam in materia externa prout externa; sed in obiectis prout sunt in intellectu introducit formam artificiosam fictam, & non realem, unde ar-

refacta logicalia non sunt vere, proprie, & simpliciter artefacta, sed tantum apparenter, & similitudinariè; ex quo rursus manifeste sequitur Logicam tantum similitudinariè esse artem.

QVÆSTIO X.

Utrum Logica sit scientia?

Nostra conclusio.

DICO Igitur: *Logica est proprie, & simpliciter scientia*: Est expressa Div. Thomæ pluribus in locis, & communis inter Authores. Probatque primo à priori. Scientia simpliciter talis est habitus acquisitus per demonstrationem; sed Logica est habitus acquisitus per demonstrationem: ergò Logica est proprie, & simpliciter scientia. Minor, in qua stat difficultas, probatur: nam in Logica dantur plures demonstrationes, quibus demonstrantur proprietates de eius obiecto; sed illæ demonstrationes nequeunt alium habitum generare, nisi Logicam: ergò Logica est habitus genitus, aut acquisitus per demonstrationem. Maior, in qua sola stat difficultas, probatur: nam in Logica demonstrantur plures proprietates de modo sciendi; de definitione enim demonstratur esse clariorem

suo definito, de divisione tradendam esse per membra inferiora diviso, de syllogismo debere constare tribus terminis, de demonstratione generare scientiam; de syllogismo probabili generare opinionem, &c. Quis enim negabit hanc esse veram demonstrationem. Omnis explicatio rei est clarior re explicata; sed definitio est explicatio definiti: ergò est clarior definito: ergò in Logica dantur plures demonstrationes, quibus passionis de eius obiecto demonstrantur.

2 Confirmatur: habitus, qui probat suas conclusiones ex principijs evidentibus, & necessarijs, est scientia, non enim est opinio, aut fides, aut alius habitus intellectualis; sed Logica suas probat conclusiones ex principijs evidentibus, & necessarijs: ergò est scientia proprie, & simpliciter talis. Minor patet: nam ex his principijs: *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se, & dici de omni, dici de nullo*, probat syllogismum debere constare tribus terminis, ex puris particularibus nihil sequi, &c.

3 Secundo probatur conclusio, evertendo fundamentum contrariorum: nam ideo Logica non esset scientia, quia eius obiectum, utpote ens rationis, nequit esse simpliciter scibile, cum non sit simpliciter ens; sed ens rationis est simpli-

pliciter scibile, quamvis non simpliciter ens: ergo Logica est simpliciter scientia. Maior, in qua stat difficultas, probatur primo, quia licet accidens sit ens secundum quid, est tamen simpliciter scibile à Mathematica, quæ respicit pro obiecto quantitatem: ergo similiter, quamvis ens rationis sit secundum quid ens, poterit esse simpliciter scibile. Secundo, quia obiectum simpliciter connexum cum suis proprietatibus est simpliciter scibile; cum de illo possint illæ proprietates, cum quibus simpliciter connectitur, simpliciter demonstrari. Sed ens rationis potest esse simpliciter connexum cum suis proprietatibus: ergo ens rationis potest esse simpliciter scibile. Minor, in qua stat difficultas, probatur: quodlibet obiectum est simpliciter connexum cum eo, quod illi ita necessatio convenit, quod de illo minimè negari possit, ob hanc enim rationem homo habet simpliciter connexionem cum rationali & risibili; sed ens rationis habet proprietates, quæ minimè de illo negari possunt, v.g. esse cognoscibile, esse umbram entis realis, &c. ergo ens rationis est simpliciter connexum cum suis proprietatibus.

4 Confirmatur: Ideo homo est simpliciter scibilis, quia potest de illo demonstrari quod sit risibilis v. g. sed eodem modo potest demonstrari de universali, v.g. quod sit

prædicabile: ergo universale est simpliciter scibile. Atqui universale est ens rationis. ergo ens rationis est simpliciter scibile. Minor, in qua reperitur difficultas, patet in his duabus demonstrationibus: *Omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis.* Quidquid potest identificari cum pluribus, est prædicabile de pluribus; sed quodlibet universale est potens identificari cum pluribus: ergo quodlibet universale est prædicabile de pluribus. Etenim non minus proprie, & simpliciter prima obtinet rationem demonstrationis, quam secunda, cum utraque æqualiter procedat ex principijs veris, & necessarijs: ergo eodem modo est demonstrabile de universali, quod sit prædicabile, ac de homine, quod sit risibilis.

Solvuntur Argumenta:

5 **O**BJECIES Ex Philosopho, qui lib. 1: Rhetoric. cap. 2.

sic ait. *Si quis Dialecticam, & Rhetoricam, ut scientias, & non ut facultates pertractet, imprudens est, & earum naturam subvertit: igitur iuxta mentem Philosophi imprudentia est Logicam tanquam scientiam pertractare. Secundo: nam iuxta ipsum libro secundo Meth. cap. 3. absurdum est simul quærere scientiam, & modum sciendi: sed, si Logica esset scientia,*

rum etiam sit modus sciendi, qui querit Logicam, queret simul scientiam, & modum sciendi: ergo Logica non est scientia.

6 Respondeo ad primum, Philosophum ibi loqui de Logica, quatenus utens est in parte topica, in quo sensu fatemur scientiam non esse, quia tantum est tentativa per argumenta probabilia disponentia ad veritatem assequendam. Ad secundum dico, Philosophum asserere absurdum esse simul querere modum sciendi, & scientiam a modo sciendi distinctam, hoc est, esse absurdum querere Logicam dictantem modum acquirendi ceteras scientias, & simul querere ceteras scientias; non autem negavit Philosophus posse simul queri scientiam cum modo sciendi, quem docet ipsa scientia, scilicet Logica.

7 Obijcies secundo: Logica nequit acquiri per demonstrationem: ergo non est scientia. Antecedens probatur: demonstratio semper supponit Logicam, cum semper fiat ex illius directione; sed Logica nequit acquiri per id quod illam supponit: ergo Logica nequit acquiri per demonstrationem. Respondeo negando antecedens. Ad cuius probationem distinguo maiorem: demonstratio artificiosè facta semper supponit Logicam, concedo maiorem; demonstratio

naturalitèr, & sine arte facta, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam, vel distinguo consequens distinctione maioris: Logica enim non acquiritur per demonstrationem factam ex directione artis, cum nulla ars supponatur ad Logicam, quæ doceat facere demonstrationem; sed acquiritur per demonstrationem factam solo lumine naturali, quæ minimè Logicam supponit, nisi tantum naturalem.

8 Obijcies tertio: Logica non est species sub genere scientiæ contenta: ergo non est scientia. Antecedens probatur: vna species non ordinatur ad alias sub eodem genere contentas; sed Logica ordinatur ad ceteras scientias sub genere scientiæ contentas: ergo Logica non est species sub eo genere contenta. Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem distinguo maiorem: vna species non ordinatur ad alias, tanquam ad finem intrinsecum, & proximum, concedo maiorem: tanquam ad finem extrinsecum, & remotum, nego maiorem, & distincta minori eodem modo; nego consequentiam. Sicut enim ceteræ virtutes morales ordinantur ad charitatem, licet omnes sint species sub genere virtutis contentæ, quia quælibet illarum habet suum finem intrinsecum, & immediatum a charitate dis-

distinctum; & ars frenofactoria ordinatur ad equestrem; equestris ad militarem, licet omnes sint species sub genere artis contentae, quia unaquaeque habet suum finem proximum, & immediatum, & solum ordinatur ad aliam tanquam ad finem extrinsecum, & remotum; ita pariter Logica, licet sit species sub genere scientiae contenta, potest ordinari ad ceteras scientias, tanquam ad finem extrinsecum, & remotum.

9 Obijcies quarto: facultas, cuius obiectum nondum est certo cognitum, nequit de illo passiones demonstrare, & consequenter non est scientia; sed obiectum Logicae nondum est certo cognitum, dubitatur enim an sit ens reale, vel rationis: ergo Logica non est scientia. Maior patet: nam de subiecto certo non cognito nihil certum demonstrari potest. Respondeo distinguendo maiorem: facultas, cuius obiectum sub nulla ratione est certo cognitum, nequit de illo passiones demonstrare, concedo maiorem; cuius obiectum non est certo cognitum sub ratione per accidens se habente, ut de illa passiones demonstrantur, nego maiorem: & distinguo minorem: obiectum Logicae non est certo cognitum sub ratione modi sciendi, nego minorem: sub ratione entis realis,

aut rationis, concedo minorem, & nego consequentiam. Nam passiones non demonstrantur de obiecto Logicae, quia sit ens reale, aut rationis, hoc enim per accidens se habet, sed quia modus sciendi est, & hoc certissime est cognitum apud omnes.

10 Denique obijcies obiectum formale cuiuslibet scientiae est simpliciter scibile; sed obiectum formale Logicae, quod est ens rationis, non est simpliciter scibile: ergo Logica non est simpliciter scientia. Minor probatur: vnumquodque est scibile, in quantum est ens; sed ens rationis non est simpliciter ens, cum sit ens fictum, & umbra entis: ergo ens rationis non est simpliciter scibile. Huic argumento, cui respondere promissimus ad ultimum quaestionis quintae, dum de obiecto Logicae agebamus, Respondeo, concessa maiori, neganda minor est. Ad cuius probationem distinguo maiorem: vnumquodque est scibile, in quantum est ens cum suis proprietatibus connexum, concedo maiorem: in quantum est ens absolute sumptum, nego maiorem: & distinguo minorem: ens rationis non est simpliciter ens, nec simpliciter connexum cum suis proprietatibus, nego minorem: non est simpliciter ens, est tamen simpliciter connexum cum suis proprietatibus, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque scibilitas,

nō est passio entis absolute sumpti, aliās enim nullum accidens esset, simpliciter scibile, cum quodlibet sit ens secundum quid: scibilitas igitur est passio entis, in quantum connexi cum suis proprietatibus: cum autem ens rationis necessario, & simpliciter sit connexum cum suis proprietatibus, non minus quam ens reale cum suis, inde est quod ens rationis est simpliciter scibile, non minus, quam ens reale.

11 Sed replicabis: ens rationis nullas habet proprietates à Logica demonstrabiles: ergò ruit solutio. Antecedens probatur primo: quia non sunt assignabiles. Secundo, quia ens, quod habet proprietates, est causa illarum; sed ens rationis nequit esse causa suarum proprietatum: ergò non habet proprietates. Tertio: nam ens rationis non habet proprietates, quæ sint entia realia, ut per se patet: aliās non habet proprietates, quæ sint entia rationis: ergò nullas habet proprietates. Minor probatur, quia essentia nequit prædicari de proprietatibus, unde proprietas hominis nequit esse homo, nec proprietas leonis, leo: ergò nec proprietas entis rationis potest esse ens rationis. Confirmatur: licet ens rationis sit cum suis proprietatibus connexum, tamē talis connexio non est simpliciter connexio; sed eo modo est aliquid scibile, quo est connexum cum suis proprietatibus: ergò ens rationis ad

summum erit scibile secundum quid, non autem simpliciter: Maior probatur: nam connexio entis rationis cum suis proprietatibus, est connexio rationis; sed connexio rationis non est simpliciter connexio, sicut nec ratio rationis est simpliciter ratio: ergò talis connexio non est simpliciter connexio. Urgetur: talis est connexio qualia sunt extrema connexionis; sed nec ens rationis est simpliciter ens, nec proprietates illius sunt simpliciter proprietates: ergò nec connexio entis rationis cum suis proprietatibus est simpliciter connexio.

12 Respondeo, negando antecedens. Ad cuius primam probationem respondeo: quod obiectum Logicæ non est ens rationis, ut sic, de hoc enim agit Methaphysica, sed est modus sciendi obiectivus, quod nos questione quarta probavimus esse ens rationis. De hoc autem ente rationis, scilicet, de modo sciendi obiectivo, plures proprietates demonstrat Logica: nam in primis de illo, ut sic, demonstrat Logica esse directivum intellectus, & exclusivum erroris; deinde de modis sciendi particularibus, v. g. de definitione demonstrat esse clariorem suo definito, esse convertibilem cum illo, &c. de syllogismo debere costare tribus terminis, syllogismum in *Barbara* rectè concludere, & alia huiusmodi, &c. Ad secundam proba-

tionem distinguo maiorem: ens, quod habet proprietates, est causa logica illarum, concedo maiorem: est causa semper realis, & physica, nego maiorem, & distincta minori, nego consequentiam. Illa dicitur causa logica proprietatum, quæ est ratio à priori, ex qua proprietates inferuntur, & hoc sufficit ad veram demonstrationem. Unde, licet ens reale tantum sit ratio à priori suarum proprietatum, similiterque Deus suorum attributorum, neutrumque sit causa realis, & physica eorum, de utroque nihilominus simpliciter demonstrantur proprietates in Theologia, & Metaphysica; ens autem rationis optime potest esse ratio à priori suarum proprietatum, quanvis non sit causa realis illarum.

13. Ad tertiam probationem, nego minorem. Ad cuius probationem, nego minorem: nam proprietates entis realis sunt entia realia, & attributa Dei sunt Deus. Nec exemplo ibi alato aliquid probant; nam licet proprietas hominis non sit homo, est tamen ens reale, licet homo sit ens reale, quomodo nos asserimus proprietatem definitionis obiectivæ, v. g. non esse definitionem obiectivam, esse tamen ens rationis, licet definitio obiectiva, cuius est proprietas, sit ens rationis. Ad confirmationem, nego maiorem. Ad cuius probationem, concessa majori, nego mi-

norem: nam ut aliquam connexionem sit simpliciter talis, sufficit quod sit necessaria, vera, & infallibilis; esse autem realem, vel rationis, de materiali, & per accidens se habet: nec paritas relationis aliquid probat: nam relatio rationis fingitur inter extrema; ac veto connexio rationis non fingitur inter ens rationis, & eius proprietates, vere enim ens rationis cum suis proprietatibus connectitur. Ad augmentum difficultatis, nego maiorem, quia sæpè connexio est necessaria, & extrema sunt contingencia, sæpè etiam connexio est essentialis, & extrema sunt accidentia, sæpè etiam connexio est talis simpliciter, licet extrema sint entia secundum quid. Et hæc de hac questione.

QVÆSTIO. XI.

Sub qua ratione Logica sit scientia?

POST QVAM Didicimus Logicam esse simpliciter scientiam, restat explicare, an sub munere docentis, an sub munere utentis, an in parte demonstrativa, an in parte copiosa, aut sophistica? pro cuius declaratione, sit.

Prima conclusio.

I DICO Primo: *Logica sub munere docentis est scientia, non solum in parte de-*
mon-

monstrativa; sed etiam in parte topica, & sophistica. Prima pars, quod, scilicet, sit scientia in parte demonstrativa, certissima est: nam tunc Logica docet in parte demonstrativa, quando tradit regulas certas, & universales demonstrandi; sed prout sic absque dubio est scientia: ergò sub munere docentis in parte demonstrativa est scientia.

2. Secunda autem pars, quod, scilicet, sit scientia in parte Topica, & sophistica, etiam probatur. Primo ex D. Thom. 4. Methaph. lect. 4. aiente, *Quod Logica, secundum quod est docens, habet considerationem de secundis intentionibus, instituens modum, quo per eas doceri possit ad conclusiones in singulis scientijs probabiliter ostendendas:* (Est ubi loquitur de Logica docenti in parte probabili) & subiungit: *Hoc autem demonstrative facit.* Et paulo infra: *Similiter dicendum est de sophistica:* ergò Logica docens in parte topica, & sophistica procedit demonstrative, & consequenter est scientia. Secundo; nam Logica scientifice tradit regulas certissimas probabiliter disputandi, & certissimas regulas sophistice discernendi: docet etiam scientifice syllogismum probabilem generare opinionem, & sophisticum generare errorem: docet etiam scientifice regulas discernendi inter syllogismos probabiles, & sophisticos, & cavendi syllogismos fallaces, & eorum

equivocationes; sed Logica est scientia sub eo munere, sub quo aliquid scientifice docet: ergò Logica sub munere docentis in parte topica, & sophistica est scientia.

3. Quod si obijcias: Logica in parte topica, aut sophistica procedit probabiliter, aut sophistice; sed scientia, ut talis, nequit procedere probabiliter, aut sophistice: ergò Logica, prout docens in parte topica, aut sophistica, non est scientia. Respondeo, negando maiorem, vel illam distinguendo: Logica in parte topica, aut sophistica procedit probabiliter, aut sophistice, dum exequitur, aut utitur regulis disputandi probabiliter, aut sophistice; concedo maiorem: dum tradit tales regulas, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: nam Logica, dum docet regulas probabiliter disputandi, & sophistice, respicit disputationem probabilem, & sophisticam, tãquam obiectum; de quo signate, & scientifice disputat, eius proprietates demonstrando; at vero, quando utitur prædictis regulis, exercet disputationem probabilem, & sophisticam, & tunc probabiliter, & sophistice procedit.

4. Sed replicabis: scientia, prout talis, nequit inclinare ad syllogismos probabiles, & sophisticos; sed si Logica, prout scientia, doceret modum, & regulas probabiliter, & sophistica

esse disputandi, prout scientia inclinaret ad syllogismos probabiles, & sophysticos: ergo Logica prout scientia nequit docere regulas probabiliter disputandi, & sophysticè. Minor patet: nam qui docet modum, & regulas, aliquid faciendi, inclinatur ad illud. Respondeo, distinguendo maiorem: scientia prout talis nequit inclinare ad syllogismos probabiles, & sophysticos primario, concedo maiorem: secundario, subdistinguo: quoad assensum conclusionis, concedo maiorem: quoad formam artificiosam, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Itaque Logica primario inclinatur ad demonstrandum; ceterum quia ad inveniendam demonstrationem disponitur intellectus per disputationem probabilem, qua veritatem inquirit, quasi tentando, ideo secundario etiam inclinatur ad disputationem probabilem. Item, cum ad inveniendam demonstrationem sit necessarium vitare fallacias, & nemo possit illas perfecte cavere, nisi qui scit illas formare, ideo secundario docet modum efficiendi syllogismos fallaces. Nec Logica, adhuc secundario, inclinatur ad syllogismos fallaces, & probabiles, quoad assensum, quem generant, scilicet, erroneum, aut opinativum: nam predicti assensus nullo modo conducunt ad scientiam comparandam, imò cum illa opponuntur: tantum

igitur inclinatur ad illos quod formam artificiosam, qua gaudent.

Secunda conclusio.

5 **D**ICO Secundo: *Logica sub munere utentis in parte topica, aut sophystica non est scientia: in parte vero demonstrativa, adhuc sub munere utentis, scientia est.* Quoad primam partem certa est conclusio apud omnes: nam Logica sub munere utentis in parte probabili, aut sophystica, est Logica quatenus exercite construit syllogismos probabiles, & sophysticos; sed quatenus hos construit syllogismos, minimè scientia est: ergo Logica sub munere utentis in parte topica, aut sophystica, scientia non est. Minor patet: nam Logica tantum est scientia, quatenus demonstrat proprietates de suo obiecto; minimè autem quatenus construit syllogismos probabiles, aut sophysticos.

6 Quoad secundam partem est contra plerosque Thomistas, in eaque fateor me à communi existimatione recedere; sed, ut puto, non levi ductus fundamento: & imprimis eam Ang. Doctori non adverteri, inde infero, quod ubicumque D. Thomas loquitur de Logica utenti, loquitur de illa in parte topica, & sophystica, ideoque asserit eam non esse scientiam: de Logica vero utentis in parte demonstrativa men-

monstrativa, sed etiam in parte topica, & sophistica. Prima pars, quod, scilicet, sit scientia in parte demonstrativa, certissima est: nam tunc Logica docet in parte demonstrativa, quando tradit regulas certas, & universales demonstrandi; sed prout sic absque dubio est scientia: ergo sub munere docentis in parte demonstrativa est scientia.

* 2. Secunda autem pars, quod, scilicet, sit scientia in parte Topica, & sophistica, etiam probatur. Primo ex D. Thom. 4. Methaph. lect. 4. aiente, *Quod Logica, secundum quod est docens, habet considerationem de secundis intentionibus, instituens modum, quo per eas doceri possit ad conclusiones in singulis scientijs probabiliter ostendendas:* (Est ubi loquitur de Logica docenti in parte probabili) & subiungit: *Hoc autem demonstrative facit.* Et paulo infra: *Similiter dicendum est de sophistica:* ergo Logica docens in parte topica, & sophistica procedit demonstrative, & consequenter est scientia. Secundo; nam Logica scientifice tradit regulas certissimas probabiliter disputandi, & certissimas regulas sophistice discernendi: docet etiam scientifice syllogismum probabilem generare opinionem, & sophisticum generare errorem: docet etiam scientifice regulas discernendi inter syllogismos probabiles, & sophisticos, & cavendi syllogismos fallaces, & eorum

equivocationes; sed Logica est scientia sub eo munere, sub quo aliquid scientifice docet: ergo Logica sub munere docentis in parte topica, & sophistica est scientia.

3. Quod si obijcias: Logica in parte topica, aut sophistica procedit probabiliter, aut sophistice; sed scientia, ut talis, nequit procedere probabiliter, aut sophistice: ergo Logica, prout docens in parte topica, aut sophistica, non est scientia. Respondeo, negando maiorem, vel illam distinguendo: Logica in parte topica, aut sophistica procedit probabiliter, aut sophistice, dum exequitur, aut utitur regulis disputandi probabiliter, aut sophistice; concedo maiorem: dum tradit tales regulas, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: nam Logica, dum docet regulas probabiliter disputandi, & sophistice, respicit disputationem probabilem, & sophisticam, tanquam obiectum, de quo signate, & scientifice disputat, eius proprietates demonstrando; at vero, quando utitur predictis regulis, exercet disputationem probabilem, & sophisticam, & tunc probabiliter, & sophistice procedit.

4. Sed replicabis: scientia, prout talis, nequit inclinare ad syllogismos probabiles, & sophisticos; sed si Logica, prout scientia, doceret modum, & regulas probabiliter, & sophistice

de disputandi, prout scientia inclinaret ad syllogismos probabiles, & sophysticos: ergo Logica prout scientia nequit docere regulas probabiliter disputandi, & sophysticè. Minor patet: nam qui docet modum, & regulas, aliquid faciendi, inclinatur ad illud. Respondeo, distinguendo maiorem: scientia prout talis nequit inclinare ad syllogismos probabiles, & sophysticos primario, concedo maiorem: secundario, subdistinguo: quoad assensum conclusionis, concedo maiorem: quoad formam artificiosam, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Itaque Logica primario inclinatur ad demonstrandum; ceterum quia ad inveniendam demonstrationem disponitur intellectus per disputationem probabilem, qua veritatem inquirat, quasi tentando, ideo secundario etiam inclinatur ad disputationem probabilem. Item, cum ad inveniendam demonstrationem sit necessarium vitare fallacias, & nemo possit illas perfecte cavere, nisi qui scit illas formare, ideo secundario docet modum efficiendi syllogismos fallaces. Nec Logica, adhuc secundario, inclinatur ad syllogismos fallaces, & probabiles, quoad assensum, quem generant, scilicet, erroneum, aut opinativum: nam predicti assensus nullo modo conducunt ad scientiam comparandam, imò cum illa opponuntur: tantum

igitur inclinatur ad illos quod formam artificiosam, qua gaudent.

Secunda conclusio.

5 **D**ICO Secundo: Logica sub munere utentis in parte topica, aut sophystica non est scientia: in parte vero demonstrativa, adhuc sub munere utentis, scientia est. Quoad primam partem certa est conclusio apud omnes: nam Logica sub munere utentis in parte probabili, aut sophystica, est Logica quatenus exercere construit syllogismos probabiles, & sophysticos; sed quatenus hos construit syllogismos, minimè scientia est: ergo Logica sub munere utentis in parte topica, aut sophystica, scientia non est. Minor patet: nam Logica tantum est scientia, quatenus demonstrat proprietates de suo obiecto; minimè autem quatenus construit syllogismos probabiles, aut sophysticos.

6 Quoad secundam partem est contra plerosque Thomistas, in eaque fateor me à communi existimatione recedere; sed, ut puto, non levi ductus fundamento: & imprimis eam Ang. Doctorem non advertari, inde infero, quod ubicumque D. Thomas loquitur de Logica utenti, loquitur de illa in parte topica, & sophystica, ideoque asserit eam non esse scientiam: de Logica vero utenti in parte demonstrativa men-

tionem non fecit ob rationem memoratam supra quæst. 7. n. 5. Unde nec negavit, nec affirmavit expressè eam esse scientiam. Haud obscure tamen insertur ex eius doctrina nostra sententia, quia Angelicus Doctor attribuit cæteris scientijs usum Logicæ in parte demonstrativa, si-
 vè in quantum suas conclusiones demonstrant ex attentione ad regulas Logicæ: ergò sentit cæteras scientias, ut videntes Logicæ in parte demonstrativa, esse tales; sed eiusdem rationis est usus, quo Logica vitur suis regulis in parte demonstrativa: ergò iuxta D. Thom. Logica, ut vitens in parte demonstrativa suis regulis, est scientia. Explicatur: Philosophia, ut vitens Logica ad demonstrandas passionem sui obiecti, stricte, & proprie est scientia; sed eodem pacto sepe vitur Logica suis regulis ad demonstrandas passionem sui obiecti: ergò etiam Logica, ut sic vitens est scientia. Minor patet, quia nulla est assignabilis differentia, cum Logica conficiat proprias demonstrationes iuxta suas regulas, eodem ipsissimo modo, quo Philosophia construit suas iuxta regulas ipsius Logicæ. Maior vero probatur, quia Philosophia, ut vitens regulis Logicæ ad demonstrandas passionem sui obiecti, non est opinio, nec fides, nec error, nec alius habitus intellectualis: ergò ut sic est scientia. Secundo, quia Logica dirigit Philosophiam, ut

scientiam, & in quantum talem, alias esset falsum, quod Logica dirigit cæteras scientias; sed Philosophia in tantum vitur Logica, in quantum ab illa dirigitur: ergò vitur Logica in quantum est scientia: ergò est scientia in quantum vitur Logica. Tertio, quia nemo hucusque dixit cæteras scientias amittere rationem scientiæ, in quantum vituntur Logicæ præceptis ad suas conficiendas demonstrationes; imò iuxta omnes magis roborantur, & firmantur in effectuum per usum regularum Logicæ; & iuxta plures, sine tali usu non sunt formaliter scientiæ: ergò.

7 Secundo sic eam probabo: Logica sub munere vitentis in parte demonstrativa est quatenus vitur regulis demonstrandi; sed Logica quatenus vitur regulis demonstrandi est scientia: ergò Logica sub munere vitentis in parte demonstrativa est scientia. Maior est certa, & minor probatur: Logica eatenus vitur regulis demonstrandi, quatenus in exercitio demonstrat proprietates de suo obiecto iuxta regulas à se præscriptas; sed Logica quatenus demonstrat proprietates de suo obiecto iuxta regulas à se præscriptas, est scientia: ergò Logica, prout vitens regulis demonstrandi, est scientia. Minor est certissima, quandoquidem nihil aliud est scire, nisi demonstrare proprietates de obiecto

Et. Maior etiam est certa, nam uti regulis ædificandi, nihil aliud est, quam ædificare in exercitio iuxta regulas, & uti regulis scribendi, nihil aliud est, quam scribere iuxta ipsas: ergo uti regulis demonstrandi, nihil aliud est, quam in exercitio demonstrare iuxta regulas demonstrandi. Confirmatur: nam uti regulis sciendi, nihil aliud est, quam scire: sed Logica quatenus utens in parte demonstrativa, utitur regulis sciendi: ergo prout sic est scientia.

8 Urgetur: Constructio syllogismi demonstrativi in propria materia Logicæ iuxta regulas demonstrandi est usus Logicæ; sed talis constructio est formaliter scientia, aut demonstratio: ergo usus Logicæ, & consequenter Logica, ut utens, est formaliter scientia. Minor probatur: talis constructio est actus intellectus; non opinativus, nec luminis principiorum, nec fidei: ergo est actus scientiæ, sive demonstrativus. Amplius: talis constructio non est simplex apprehensio, nec merum iudicium, sed discursus, quia syllogismus non construatur per simplicem apprehensionem, nec per purum iudicium, sed vnice per discursum: sed non est discursus pure probabilis, aut opinativus, quia supponimus syllogismum esse demonstrativum: ergo est discursus scientificus, & demon-

strativus: ergo scientia formaliter.

9 Inquit Magister Froylan in præsentis fol. 104 quod constructio syllogismi fit per simplicem apprehensionem intellectus, quia construere syllogismum, nihil aliud est, quam formam syllogisticam apprehendere in aliqua materia. Sed contra, quia inauditum est, quod syllogismus fiat per simplicem apprehensionem, aut per primam intellectus operationem: omnes enim tenent fieri per tertiam, id est, per discursum; alias enim syllogismi constructio pertinet ad primam operationem intellectus, & ad primum librum Summularum; sicut termini nihil affirmantes, aut negantes, quod absdubio contradicit communi stylo Logicorum: ergo. Secundo, quia forma syllogistica non consistit in relationibus simplicibus, subijcibilis, aut predicabilis, universalis, aut particularis seorsim sumptis, sed in relationibus subiecti exerciti, & prædicati exerciti, minoris, & maioris extremitatis, & mediæ, antecedentis, & consequentis, ut ordinatis simul in syllogismo: sed licet primæ relationes fiant per simplicem apprehensionem; secundæ tamen, ut in vnum ordinatæ, non sunt per simplicem apprehensionem, sed vnice per discursum: ergo. Minor hæc probatur: nam, ut ipse tractatu de ente rationis ad finem faceret, in tertia operatio-

ne intellectus dantur entia rationis propria discursus, quæ sunt intentio antecedentis, & consequentis, extremitatis, & mediij, &c. Ergò prædicta non sunt per simplicem apprehensionem.

10 Sed obijcies: Logica, prout utens, non demonstrat proprietates de suo obiecto; sed prout scientia, tales proprietates demonstrat: ergò Logica, prout utens, non est scientia. Antecedens probatur: Logicam demonstrare proprietates de suo obiecto, est docere proprietates modi sciendi; sed Logica, prout utens, non docet proprietates modi sciendi, aliàs enim prout docens esset utens, & prout utens, esset docens: ergò Logica, prout utens, non demonstrat proprietates sui obiecti.

11 Confirmatur: eiusdem rationis est usus Logicæ in parte topica, & probabili, ac in parte demonstrativa; cum eadem forma constet syllogismus probabilis, & demonstrativus; sed usus Logicæ in parte probabili non est scientia: ergò usus Logicæ in parte demonstrativa non est scientia.

12 Respondeo, negando maiorem. Ad cuius probationem, concessa maiori, nego minorem: nam cum regulæ Logicæ sint regulæ sciendi, & docendi, nam ut inquit August. lib. 2. de ordine, cap. 13. *Logica docet docere, & sola scientes facere potest*, inde est, quod dum

utitur regulis docendi, formaliter in quantum prædictis regulis utitur, sic docens, sive doceat; nam sicut uti regulis scribendi, est scribere, ita uti regulis docendi est docere in exercitio; In quo quidem nulla involvitur implicatio; nam non est docens, & utens respectu eiusdem, sed in quantum utitur regulis demonstrandi, docet regulam definiendi, ut patet in syllogismo apposito quæst. 7. num. 8. Ad confirmationem, nego maiorem; in parte enim topica, & probabili Logica non utitur regulis demonstrandi, quibus tamen utitur in parte demonstrativa; unde usus in vna parte valdè diversus est ab usu in alia: Nec obest quod servetur eadem forma syllogistica: nam sicut diversitas ex parte materiæ sufficit, ut vnus syllogismus sit demonstratio, & alter opinio; ita sufficit ut vnus usus sit scientificus, secus alter.

13 Et quidem Logica docens non solum tradit regulas circa formam syllogisticam; sed etiam, & præcipuè circa materiam, cui talis forma est applicanda, ut fiat demonstratio; unde docet *demonstrationem fieri debere ex principijs veris, & necessarijs, causisque conclusionis*. Imò Logica docens, ut constat ex quæst. 6. à n. 4. non respicit pro obiecto attributionis formam syllogisticam, ut constituentem syllogismum probabilem, aut sophisticum, nec ut

abstrahentē à materia, sed ut applicatā materiæ debitæ, ut sit instrumentū sciendi, & non errandi: ergò qui utitur Logica ut lic docenti, non curat præcisè de forma syllogistica, abstrahendo à materia vera, vel repugnanti, sed etiam curat de apponenda materia debita demonstratiōis, scilicet, quod sit ex principijs veris, & evidētibus, &c. sed vtius, in quo Logica curat de materia debita demonstratiōi, non est eiusdem rationis, ac quando syllogismum construit ex materia repugnanti, aut ex litteris A. B. & C. sed valde diversus: ergò immerito dicitur eiusdem rationis esse usum Logicæ in vna, ac in alia materia.

14 Obijcies denique: Logica ut vtens tantum curat de structura demonstratiōis; sed structura demonstratiōis quid longe diversum est à passionibus obiecti: ergò Logica ut vtens non curat de passionibus obiecti: ergò ut vtens non est scientia. Confirmatur: scientia, ut talis, procedit modo resolutorio circa universalia, & necessaria; sed Logica ut vtens procedit modo compositorio circa singularia & contingētia, quia procedit dando existentiam syllogismo, & syllogismus non nisi in singulari & contingētē existit: ergò ut vtens non est scientia. Respondeo, distinguendo maiorem: tantum curat de structura demonstratiōis ex parte actus, & in actu exercitō

concedo maiore: ex parte obiecti, & in actu signato, nego maiorem, & consequentiam; quia licet Logica ut vtens in parte demonstratiua ex parte actus exercitōi solum attendat ad structuram demonstratiōis; quia huiusmodi structura est actus eius exercitōis; tamen negari nequit, quod per huiusmodi structuram, & actum exercitōis respiciat aliquod obiectum signatè inspectum per ipsam demonstratiōem à se exercitam; alias Logica vtens haberet actum, & non obiectum, quod ex terminis implicat; cum ergò per demonstratiōem exercitam aliud signatè respicere non possit, nisi passionem de essentia sui obiecti, inde patet Logicam ut exercitōem cōstruentem demonstratiōem curare signatè de passionibus sui obiecti.

15 Ad confirmationem, cum ipso Collegio D. Th. num. 117. cuius est argumentum, distinguo maiorem: scientia ut talis procedit modo resolutorio excludente modum compositorium ad extra, concedo maiorem, excludente modum compositorium ad intra, nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia modus compositorius ad intra, seu operari ad intra est contemplari, & ideò, licet Logica vtens ut talis procedat modo compositorio, seu operativo ad intra, non excluditur, quod ut talis procedat modo etiam contemplativo, &

resolutorio, & ratio est, quia procedit modo compositivo in ordine ad actum exercitum, seu in ordine ad formam syllogisticam exercitè attactam, sed modo contemplativo in ordine ad obiectum signatè inspectum; media enim structura, & compositione exercita demonstrationis, resolvit, ac demonstrat signatè proprietates sui obiecti. Nec est contra rationem scientiæ, ut talis, quod in actu exercito respiciat demonstrationem singularem, & contingentem; tum quia scientia, ut talis, solum signatè, est circa universalia, & necessaria, exercitè autem semper respicit aliquid contingens, & singulare, scilicet, ipsam demonstrationem; tum quia omnis scientia in actu exercito respicit ordinem syllogisticum in obiectis; nec aliter potest intelligi quod sit demonstrativa, & recto ordine representans obiecta modo scientifico. Undè licet Logica, ut utens, in actu exercito respiciat demonstrationem singularem, & contingentem, non tollitur, quod sit scientia. Et quidem argumenta prædicta instantur manifeste in alijs scientijs, nam illæ, ut videntes Logica, curant de structura syllogismi, procedunt modo compositivo suarum demonstrationum, circa demonstrationem singularem, & contingentem, itemque usus Logicæ ab illis exercitus quoad formam est eiusdem rationis, ac in parte topica; & ta-

mèn nemo dixit cæteras scientias ut videntes Logica, & ut exequentes eius præcepta, non esse scientias: ergò.

QVÆSTIO XII.

Quid sit praxis, & an detur in intellectu?

Quæstio hæc valdè utilis est ad sequentè enodandã. Pro cuius intelligentia noto primo, quod praxis late, & secundũ nominis ethymologiã, nihil aliud est, quã opus, seu exercitium regulis directũ, per quod tales regulæ ponuntur in praxi, seu mãdantur executioni. Noto secundo, iuxta hanc latã acceptionem omnem actum regulis directum esse praxim, quia quæcũque regulæ ponuntur in praxi per opus, aut exercitium talibus regulis directum. Nihilominus difficultas est, an hoc sufficiat ut opus aliquod, seu exercitium sit strictè, propriè, & simpliciter praxis, cuiuscumque potètiæ sit. Scotus cum plerisque Th. ait, nullum actum intellectus solius esse propriè, & simpliciter praxim: ac proindè opus esse, quod sit actus alterius potètiæ ab intellectu, ut praxis rationem obtineat. Econtra plerique ex Iesuitis sentiunt omnem actum regulis directum, etsi sit actus solius intellectus, esse simpliciter praxim.

Nostra conclusio.

2 **N**VLLVS Aētus solius intellectus, ut operantis ad intra, est propriè, & simpliciter praxis. Dixi, ut operantis ad intra, quia ad præsens intentum opus non est disputare, an aētus intellectus operantis ad extra, ut contingit in intellectu Angelico, & Divino, qui iuxta communem Thomistarum sententiam sunt potentia operativa ad extra, nec item an aētus imperij, quo intellectus efficaciter movet voluntatem, habeant rationem praxis simpliciter; cū enim huiusmodi aētus non dirigantur à Logica, ad sciendū verū Logica sit practica, impertinenter se habet, quod tales aētus sint praxis. Solum ergo sermonem instituo de aētū intellectus, ut operantis ad intra. De quo.

3 Primo probatur conclusio ex D. Th. qui 1. 2. q. 75. art. 1. sic ait: *Duplex est opus, aliud interius, aliud exterius. Practicum ergo, vel operativum, quod dividitur contra speculativum, sumitur ab opere exteriori.* Ex quo sic arguo: praxis est opus, à quo transitur practicum, quod dividitur contra speculativum: sed iuxta D. Th. practicum hoc modo sumitur ab opere exteriori: ergo praxis simpliciter, & propriè est opus exterius: sed aētus solius intellectus, ut operantis ad intra, non est opus exterius, ut per se patet: ergo nec potest esse propriè praxis.

4 Secundo: nam iuxta D. Th. q. 14. de veritate. art. 4. *Sole extensio ad opus facit aliquem intellectum esse practicum: ergo solum illud opus ad quod intellectus se extendit facit intellectum esse practicum: sed praxis, est illud opus, quod facit intellectum esse practicum: ergo solum illud opus, vel exercitium respectu cuius datur extensio intellectus est propriè praxis: sed aētus intellectus operantis ad intra non est opus respectu cuius extenditur intellectus, quia intellectus solum se extendit, dum extra se tendit, ad regendas scilicet alias potentias, vel ad aliquid agendum ad extra, non vero dum solum operatur ad intra: ergo aētus intellectus operantis ad intra non est simpliciter, nec propriè praxis.*

5 Tertio probatur: nam omnis aētus intellectus, ut operantis ad intra, est speculatio: sed, nisi quæstio ista sit de nomine, praxis propriè talis debet esse opposita speculationi, & ab illa contradistincta: ergo nullus aētus solius intellectus, ut operantis ad intra, est simpliciter praxis. Explicatur: nam praxis simpliciter talis debet esse opus contradistinctum ab speculatione: sed operatio intellectus ad intra non est contradistincta ab speculatione, quia speculatio etiam est operatio intellectus ad intra: ergo praxis non est, nec potest esse operatio intellectus ad intra.

6 Respondebis, aētum

Intellectus operantis ad intra posse dupliciter considerari, vel in quantum speculativè tendit ad obiectum, vel in quantum construit syllogismum, vel eius formam artificiosam fingit ex parte obiecti iuxta regulas Logice, & ex eius directione: & sub prima consideratione non esse praxim, benè tamèn sub secunda. Sed contra, quia ut actus aliquis sit simpliciter praxis non sufficit, quod operetur formam illam syllogisticam ex parte obiecti: ergò ruit solutio. Antec. prob. quia omnes scientiæ, etiam, speculativè, operantur per suos actus ex parte obiecti artificium suarum demonstrationum, ut infra ostendam: sed falsum est quod omnium scientiarum actus sint simpliciter praxis: ergò, ut aliquis actus sit simpliciter praxis, non sufficit quod operetur formam illam artificiosam ex parte obiecti. Min. prob. quia si omnium scientiarum actus essent simpliciter praxis, omnes scientiæ essent practicè simpliciter: sed falsissimum est quod omnes scientiæ sint simpliciter practicè, cum omnes admittant scientias purè speculativas: ergò & quod omnium scientiarum actus sint simpliciter praxis.

7 Confirmatur: ratio praxis propriè, & simpliciter talis non potest esse transcendens per identitatem omnem actum speculativum; sed quod sit operatio constructiva formam rationis in obiectis transcendit om-

nem actum intellectus etiam speculativum, siquidem quilibet repræsentat obiectum sub forma rationis, eamque fingit ex parte obiecti: ergò ratio praxis non potest consistere propriè, & simpliciter, in hoc modo operandi. Mai. prob. quia ratio practici nõ potest esse transcendens omnem habitum speculativum, alias enim omnis habitus speculativus esset simpliciter practicus, quod omnes negant; sed si ratio praxis propriè & simpliciter transcederet per identitatem omnem actum speculativum, seu omnem speculationem, pariter ratio practici transcederet omnem habitum speculativum; ergò ratio praxis non transcendit omnem actum speculativum per identitatem. Mai. patet, nam habitus specificantur ab actibus: ergò.

8 Confirmatur secundo constructio formæ syllogisticæ, v. g. tantum secundum quid, & similitudinarie est opus: ergò tantum similitudinarie est praxis, siquidem praxis dicitur ab operando. Antec. prob. quia opus ad mixtum in ipsis speculabilibus non est simpliciter, sed tantum similitudinarie opus, cum opus simpliciter sit contradistinctum ab speculatione: sed constructio formæ syllogisticæ admiscetur etiã in ipsis actibus purè speculativis, & in obiectis purè speculabilibus; nam, ut inquit Div. Thom. 1. 2. q. 57. artic. 3. *In ipsis speculabilibus est aliquid per*

modum cuiusdam operis, ut puta constructio syllogismi: ergo constructio syllogismi, non simpliciter, sed tantum similitudinariè est opus, seu praxis. Unde tota æquivocatio contrariorum in eo sita est, quod nolunt distinguere inter propriè, & similitudinariè, inter simpliciter, & secundumquid, inter praxim lato modo, prout miscetur omni speculationi, & praxim strictè, & specialiter talem, prout dividitur contra speculationem. Fatemur enim in ipsis actibus speculativis inveniri praxim similitudinariè, secundumquid, & lato modo, seu transcendentaliter acceptam. Negamus tamen eam esse praxim propriè, & simpliciter talem, prout contra distinctam ab speculatione.

Solvuntur argumenta.

❧ **O**BJECIES Primo: omnis actus regulis directus est simpliciter praxis; sed plures actus intellectus, etiam operantis ad intra, regulis diriguntur: ergo sunt simpliciter praxis. Maior probatur: actus, per quem regulæ ponuntur in praxi, est simpliciter praxis: sed omnis actus regulis directus, est per quem tales regulæ ponuntur in praxi: ergo. Respondeo distinguendo maiorem: omnis actus regulis speculandi directus est simpliciter praxis, nego maiorem: regulis operandi direc-

ctus, concedo mai: & distincta min. eodem modo, nego consequentiam. Ad probationem maioris eadem distinctione respondeo, quod non omnis actus, per quem regulæ ponuntur in praxi, est simpliciter praxis, nam regulæ speculandi veritatem ponuntur in praxi per ipsam speculationem veritatis ut talem: & tamen speculatio veritatis ut talis minimè est simpliciter praxis, sed ad summum secundumquid, & lato modo: solum ergo est simpliciter praxis actus directus per regulas operandi.

10 Sed dices: intellectus etiam operatur dum syllogismum construit iuxta regulas Logice: ergo ille actus est regulis operandi directus: ergo praxis. Distinguo antecedens: operatur ad extra, prout operari opponitur speculationi, nego antecedens: operatur ad intra, prout operari coincidit cum actu speculandi, concedo antecedens: & distingo primum consequens eodem modo, negoque consequentiam: quia non sufficit quilibet modus operandi ad rationem praxis simpliciter talis, sed requiritur modus operandi oppositus speculationi, & ab illa cõtradistinctus, cõstructio autem syllogismi est operatio ad intra, coincidit cum actu speculandi, & ab illo non distinguitur: cum quilibet sciencia speculativa suos construat syllogismos, & demonstrationes, per quas speculatur naturam, & proprietates sui obiecti.

Et, unde talis constructio syllogismi solum est per modum cuiusdam operis, & similitudinarie praxis.

11 Sed replicabis: per opus intellectuale ad intra, non minus ponuntur in praxi regulæ operandi ad intra, quam per opus externum, seu ad extra, regulæ operandi ad extra: sed quia per opus exterius ponuntur in praxi regulæ operandi ad extra, opus externum est simpliciter praxis: ergo pariter, quia per opus intellectuale ad intra ponuntur in praxi regulæ operandi ad intra, opus intellectuale ad intra erit proprie, & simpliciter praxis: ergo voluntarie à nobis dicitur tantum similitudinarie praxis. Respondeo, omitta maiori, distinguendo causalem minoris: quia præcisè, nego minorem: propter illam rationem, & simul, quia opus exterius est vere contradistinctum, & oppositum speculationi, & extra genus contemplationis, concedo minorem, & nego consequentiam: quia speculari est operari ad intra, & speculatio est operatio intellectus, per quam regulæ operandi ad intra, id est, speculandi, ponuntur in praxi; & tamen speculatio dici nequit proprie, & simpliciter praxis: non ergo sufficit ad rationem praxis proprie & simpliciter talis, quod per illam regulæ operandi ad intra ponantur in praxi, sed ulterius requiritur, quod sit opus exterius.

Nec hoc à nobis voluntarie dicitur, fundamur enim in eo quod praxis proprie, & simpliciter dividitur contra speculationem, & illi opponitur; quod salvari nequit, nisi sit opus exterius, à quo iuxta D. Th. sumitur practicum, quod dividitur contra speculativum.

12 Sed replicabis: actus studij est praxis respectu prudentiæ dictantis hic, & nunc esse studendum; sed actus studij est formaliter speculatio: ergo opus non est, quod praxis sit actus oppositus speculationi, & contra distinctus ab illa. Maior patet, quia prudentia, dum dicit esse studendum, est simpliciter practica; sed non est simpliciter practica, nisi ab actu, qui sit simpliciter praxis: ergo actus studij dictatus à prudentia est simpliciter praxis. Confirmatur: actus quilibet scientiæ practice est praxis, cum sit practicus; & tamen non est opus ad extra, sed ad intra: ergo opus ad intra intellectus potest esse praxis.

13 Respondeo distinguendo maiorem: actus studij est praxis per se, & ratione sui, nego maiorem: ut imperatus à prudentia, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia ratione sui, & per se est speculatio, sed ratione sui, & per se non est praxis, adhuc respectu prudentiæ: ut imperatus vero à prudentia importat actum voluntatis applicantis intellectum ad studium; quia prudentia non imperat im-

mediate intellectui, sed im-
mediate voluntati, ut applicet
potentias ad suos actus; ceterum
actus studij, ut applicatus ex vi
actus voluntatis, & ratione talis
actus voluntatis non est specula-
tio, nec actus solius intellectus,
sed applicative est actus volun-
tatis: quid ergo mirum quod in
hoc sensu sit praxis simpliciter?
Ad confirmationem, nego ante-
cedens, quia non est idem actus
practicus, ac praxis, actus enim
practicus est qui ordinatur ad
praxim, seu ad opus exterius,
praxis vero debet esse ipsum
opus exterius; potest autem ac-
tus solius intellectus, quamvis sit
speculatio, ordinari ad praxim,
& ideo potest esse practicus; ac
tamen esse non potest actus ex-
terior oppositus contemplatio-
ni, unde nequit esse praxis.

QVÆSTIO. XIII.

An Logica sit simpliciter practi-
ca, vel speculativa?

Scientia practica com-
muniter discernitur
ab speculativa, ex fi-
ne, ex obiecto, & ex modo
procedendi. Ex fine quidem,
quia scientia practica est, cuius
finis est opus, seu praxis: specu-
lativa vero cuius finis est veritas
seu veritatis speculatio. Ex obie-
cto similiter, quia obiectum
scientiæ practicæ est operabile,
ut operabile: obiectum vero spe-
culatiuæ est speculabile, ut spe-

culabile, vel si sit aliquid opera-
bile, non tamen, ut operabile,
sed ut speculabile. Res enim de
se operabilis, & factibilis potest
aliquando respici, ut factibilis
& sic respicitur, quando respici-
tur medio dictamine exprimen-
te modum, quo sit faciendæ. Po-
test etiam respici, ut speculabilis:
& sic respicitur, quando respici-
tur medio actu nihil dictante de
illius fieri, sed solum speculante
eius essentiam, seu passiones.
Exemp. g. triangulus qui est
res operabilis, respicitur, ut ope-
rabilis, si respiciatur hoc di-
ctamine: *Triangulus fieri debet
tribus angulis*: respicitur vero,
ut speculabilis, si respiciatur hoc
actu: *Triangulus essentialiter con-
stat tribus angulis*. Ac denique
differunt ex modo procedendi;
quia scientia speculativa pro-
cedit modo resolutorio, scilicet,
resolvendo suas conclusio-
nes ad principia; practica
vero modo compositorio, scilicet,
dictando modum, quo
construendum est obiectum ip-
sius.

2 Ex hac triplici diffe-
rentia orta est sententiarum va-
rietas circa Logicam, an sit pra-
ctica, vel speculativa? alij enim
asserunt eam, nec esse practi-
cam, nec speculativam: ita Za-
barella, Petrus Niger, alio titulo;
Thomistarum Clypeus, Pere-
rius, & Franciscus del Monae-
co. Alij asserunt eam partim
practicam esse, & partim specu-
lativam, ita Suarez, Yazquez;

& alij ex Iesuitis. Alij eam esse adequatam, & simpliciter tantum practicam, ita plerique ex RR. Societatis. Alij demum asserunt eam esse simpliciter speculativam, & secundum quid; seu per quandam similitudinem practicam: adque hæc est sententia Angelici Doctoris, & Thomistarum, Scoti, & Scotistarum. Pro qua explicanda.

Prima conclusio.

DICO Primo: *Logica elicitive, sive ab actibus elicitis non est simpliciter practica, sed tantum simpliciter speculativa.* Probat, quia actus elicitus Logicæ semper est speculatio: sed ab actu, qui sit speculatio, non potest dici Logica simpliciter practica, sed vnicè simpliciter speculativa: ergo elicitive, sive ab actu elicito, non est simpliciter practica, sed solum speculativa: Maior patet, quia omnis actus elicitus Logicæ, ut scientiæ, est demonstratio; sed demonstratio semper est speculatio veritatis: ergo omnis actus elicitus Logicæ, ut scientiæ, de qua nunc loquimur, semper est speculatio.

4 Dices, quod licet actus Logicæ docentis semper sit speculatio, tamen actus Logicæ utentis est constructio syllogismi, quæ non speculatio, sed praxis est, cum non speculetur syllogismum, sed illum construat. Sed contra est pri-

mo, quia sicut Logica est utens suis regulis; ita ceteræ omnes scientiæ sunt utentes Logica; num iuxta D. Thomam usus Logicæ in parte demonstrativa potissime pertineat ad Physicam, & ceteras scientias; & tamen actus Physicæ, & aliarum scientiarum utentium Logica non sunt simpliciter praxis, sicut nec ipsæ sunt simpliciter practicae: ergo nec actus Logicæ utentis est simpliciter praxis, nec Logica, ut utens, simpliciter practica. Secundo, quia constructio syllogismi simpliciter speculatio est: ergo & actus Logicæ utentis. Probat antecedens, quia constructio syllogismi nihil aliud est, quam recta, & artificiosa representatio obiectorum sub forma syllogistica; sed huiusmodi representatio speculatio est: ergo constructio syllogismi speculatio est.

5 Dices forsam ex doctrina supra à nobis tradita, quod, licet sit speculatio respectu obiecti signate inspecti; & representati sub forma syllogistica, non tamen est speculatio respectu ipsius formæ syllogisticæ; unde respectu illius potest esse praxis. Sed contra, quia, licet non sit speculatio formæ syllogisticæ exercite factæ, seu representatæ, hoc non sufficit, ut respectu illius sit praxis simpliciter; sed solum secundum quid, minusque ut habitus construens syllo-

sylogismum sit simpliciter elicitive practicus: ergo nec sufficit ut Logica utens sit simpliciter elicitive practica, sed solum similitudinarie, & secundum quid. Antecedens probatur, quia scientia pure speculativa, quales sunt Philosophia & Metaphysica, non speculantur formam syllogisticam suarum demonstrationum, sed tantum eam exercite efficiunt; & tamen nullus dicit eas scientias esse simpliciter practicas respectu talis formae syllogisticae, nec actus earum esse simpliciter praxim, nisi velis omnes scientias esse simpliciter practicas: ergo non sufficit quod actus non sit speculatio respectu formae syllogisticae exercitae representatae, ut sit simpliciter praxis.

6 Confirmatur: Licet intellectio respectu verbi non sit eius speculatio, sed tantum dictio, quia non speculatur verbum ipsum, sed illud praxise producit, tamen ex hoc non sequitur omnem intellectionem esse praxim simpliciter, aut simpliciter practicam adhuc respectu verbi: ergo pariter, licet actus Logicae utentis respectu formae syllogisticae non sit speculatio, sed factio, hoc non sufficit, ut sit simpliciter practica, nec praxis. Consequentia probatur, quia in se primum est verum, quia intellectio producit verbum ad intra, non ut sistat in productione, sed ut in verbo com-

templetur obiectum: sed etiam actus Logicae utentis, sive cuiusvis alterius scientiae, fingit formam syllogisticam, non ut sistat in eius functione, sed ut in obiectis tali forma dispositis contempletur veritatem: ergo pariter non sufficit quod respectu talis formae non sit speculatio, ut sit simpliciter praxis.

7 Sed dices: respectu illius formae non est speculatio; ergo respectu illius est praxis simpliciter. Nego consequentiam, quia datur medium, scilicet, praxis, seu practicum secundum quid, & similitudinarie; quo sensu praxis, & practicum transcendit omnem scientiam, & omnem intellectionem, quantumvis speculativam, quia omnis intellectio producit verbum, & respectu illius non est contemplatio, & omnis scientia efficit formam artificiosam suarum demonstrationum, ut per illam contempletur proprium obiectum.

Secunda conclusio.

8 **D**ICO Secundo: Logica, adhuc directiva, non est simpliciter practica, sed pure simpliciter speculativa. Probat, quia Logica est directiva speculativa in omni suo actu directivo: ergo non est directiva practica. Consequentia patet, nam licet ab aliquibus admittatur, quod scientia sit practica in

ordine ad unum actum, & ordine ad alium speculativa, tamen in ordine ad eodem actus simul practica, & speculativa à nullo, quem viderim, admittitur. Antecedens probatur, quia Logica in omni suo actu dirigat intellectum ad speculandam veritatem: ergo in omni suo actu est directivè speculativa. Antecedens probatur, quia Logica adæquatè est facultas docens modum indagandi veritatem: ergo in omni suo actu dirigat intellectum ad illam speculandam.

9 Confirmatur primo: scientia simpliciter speculativa est, cuius finis est veritas, seu speculatio veritatis: scientia verò simpliciter practica est, cuius finis est opus contradistinctum ab speculatione veritatis: sed finis Logicæ ut directivæ non est opus contradistinctum ab speculatione veritatis, sed potius est veritas, seu veritatis speculatio, siquidem dirigat intellectum ne erret, ne falsitatem incurrat, sed ut inveniat veritatem: ergo Logica ut directiva non est practica, sed speculativa.

10 Respondent contrarij, non exigi, quod respiciat opus contradistinctum ab speculatione, sed sat esse quod respiciat opus ipsius speculationis modo directivo. Sed contra primo, quia omnis ars respicit suum obiectum modo directivo; Et tamen aliqua ars non

est simpliciter practica, sed speculativa: ergo non sufficit, quod tendat modo directivo, ut facultas sit practica simpliciter, si tendit ad speculationem. Minor est expressa D. Thom. 2. 2. quæst. 45. art. 2.º ad 3. ubi sic ait: *Et idèd invenitur aliqua speculativa ars, non autem aliqua prudentia.* Contra secundo, quia si sufficeret tendere modo directivo, nulla esset diversitas quoad rationem practici, vel speculativi inter facultatem dirigentem ad opus exterius contradistinctum ab speculatione, & facultatem dirigentem ad contemplandam, vel speculandam veritatem, cum utraque procedat modo directivo: sed hoc est aperte falsum: ergo & quod sufficiat tendere modo directivo. Tertio, quia actus, qui non denominat facultatem elicentem, elicitive practicam, vel operativam simpliciter, non potest denominare facultatem ad illum dirigentem, directivè practicam, seu operativam simpliciter: siquidem id ipsum præstat directivè facultas dirigens, quod præstat elicitive facultas eliciciens; sed actus, qui sit speculatio, non potest denominare facultatem elicentem simpliciter elicitive practicam, aliàs omnis scientia speculativa esset elicitive simpliciter practica: ergo non potest denominare facultatem dirigentem, scilicet Logicam, simpliciter directivè practicam.

11 Respondent secundum do Logicam non dirigere per se ad speculandum suum obiectum, sed ad illud construendum, quia non dirigit ceteras scientias, v. g. ad speculandam formam rationis, sed solum ad illam construendam, seu introducendam in obiectis. Sed contra est, quia ex hoc solum probatur, quod Logica sit practica similitudinariè, & secundumquid, quatenus practicum transcendit quamlibet facultatem speculativam; minime verò quod sit practica simpliciter, prout practicum dividitur contra speculativum: ergò ruit solutio. Antecedens probatur, quia non potest esse magis practica Logica ex eo, quod dirigat alias scientias ad construendam formam suarum demonstrationum, quam sint practicae ceterae scientiae ex eo, quod talem formam efficiant, sed ex hoc secundo non probatur ceteras scientias esse practicas simpliciter, prout practicum dividitur contra speculativum, sed ad summum secundumquid, prout practicum invenitur in ipsis speculabilibus: ergò nec ex primo probatur Logicam esse directive simpliciter practicam, prout practicum dividitur contra speculativum, sed solum secundumquid.

12 Confirmatur: magis practica est facultas efficiens aliquod opus, quam facultas

dirigens ad illud efficiendum: sed facultates efficientes formam rationis in suis obiectis, quales sunt aliae scientiae, ex hoc capite non sunt simpliciter practicae, sed tantum secundumquid: ergò Logica dirigens eas ad talem formam efficiendam, non est simpliciter practica. Maior, in qua est difficultas, probatur primo, quia practicum idem sonat, ac operativum, unde D. Thom. supra pro eodem utrumque accepit illis verbis: *Practicum ergò, semper operativum, quod dividitur contra speculativum, sumitur ab opere exteriori.* Sed magis operativa est facultas efficiens aliquod opus, quam facultas dirigens ad illud efficiendum: ergò & magis practica. Secundo, quia practicum dicitur à practico; sed magis practice dicitur facultas efficiens aliquod opus, quam facultas pure dirigens; siquidem facultas illud efficiens est, quae tale opus ponit in praxi, & in executione, non autem facultas dirigens: ergò magis practica est facultas efficiens aliquod opus, quam facultas dirigens ad illud efficiendum.

13 Contra secundo: ideò enim ceterae scientiae construcentes syllogismos suos demonstrativos non sunt simpliciter practicae, quia syllogismi constructio non est opus simpliciter, prout opus dividitur contra speculationem, sed solum

solum est per modum cuiusdam operis; sed hæc ratio æquè probat Logicam non esse simpliciter practicam ex eo quod dirigat ad constructionem syllogismi, siquidem non dirigit ad opus simpliciter tale, sed quod tantum est per modum cuiusdam operis: ergò. Contra tertio: ideò ceteræ scientiæ efficientes formam rationis in obiectis non sunt ex hoc capite simpliciter practica, quia non efficiunt illam propter illam, sed ut mediante illa veritas manifestetur, & clarè speculari possit: sed pariter Logica, dum dirigit ad formam rationis efficiendam, non dirigit ad illam propter illam, sed ut per illam obiecta clarè manifestent veritatem: ergò pariter Logica non simpliciter practica, sed simpliciter speculativa dicenda est Ex quo.

14 Secundo probatur conclusio facultas, quæ respicit pro obiecto, speculabile, ut speculabile est simpliciter speculativa; sed Logica ut directiva respicit obiectum speculabile, ut speculabile: ergò est simpliciter speculativa. Minor probatur, quia respicit pro obiecto obiecta aliarum scientiarum ut disposita artificiose per formam modi sciendi: sed obiecta, ut sic disposita, sunt speculabilia ut speculabilia formaliter: ergò respicit pro obiecto speculabile, ut speculabile. Min. probatur, nam obiecta sine forma artificiosa sunt con-

fusa, & obscura, ac proinde non rectè, nec clarè speculabilia, veritas enim non est clarè perceptibilis in obiectis, usque dum obiecta disponantur per formam modi sciendi, vi cuius formæ manifestant veritatem ignoratam: ergò obiecta, ut sic disposita, sunt speculabilia, ut speculabilia.

15 Tertio probatur conclusio; quia habitus perficiens intellectum, ut speculativum, est speculativus, sicut habitus perficiens intellectum, ut practicum, est practicus, quia perfectio semper proportionatur cum suo perfectibili: sed habitus logicæ perficit intellectum ut speculativum, & non ut practicum: ergò est speculativus simpliciter, & non practicus. Minor probatur; quia intellectus, ut inquisitivus, & indagativus veritatis, est intellectus ut speculativus, ut vero directivus voluntatis, & aliarum potentiarum ad agibilia, & factibilia est practicus: sed Logica per se solum perficit intellectum in ordine ad indagandam veritatem, ad hoc enim præbet regulas, & instrumenta sciendi, non autem in ordine ad dirigendam voluntatem, aut ceteras potentias ad agibilia, siquidem ad id nullas præbet regulas: ergò Logica solum perficit intellectum, ut speculativum, non ut practicum.

16 Confirmatur, & obvia solutio impugnatur: licet Logica perficiat intellectum in
ordis

ordine ad efficienda instrumenta sciendi, tamen intellectus, ut efficiens instrumenta sciendi, non est simpliciter practicus, sed simpliciter speculativus: ergo non perficit intellectum, ut practicum, sed ut speculativum. Antecedens probatur primo; quia efficere instrumenta sciendi, non est proprie opus, prout opus dividitur contra speculationem, sed solum per modum cuiusdam operis, simpliciter autem est speculatio. Secundo, quia D. Thom. 2. 2. quaest. 47. art. 2. ait, *Rationem speculativam facere syllogismum, propositionem, & alia huiusmodi*: sed quod facit ratio speculativa pertinet ad intellectum, ut speculativum: ergo. Tertio quia practicum simpliciter sumitur iuxta D. Tho. ab opere exteriori: sed efficere instrumenta sciendi, non est opus exterius respectu intellectus: ergo a tali efficientia non denominatur intellectus practicus simpliciter. Quarto, quia intellectus non efficit instrumenta sciendi, ut sistat in eorum efficientia, sed ut per ipsum actum & per ipsa instrumenta sciendi contempletur veritatem, eaque percipiat, non enim conficit instrumenta sciendi, nisi ad sciendam veritatem; sed sub hac consideratione intellectus non practicus, sed simpliciter est speculativus, siquidem respicit pro fine veritatem: ergo intellectus, ut efficiens instrumenta sciendi, est simpliciter speculativus.

17 Confirmatur secundo: intellectus est practicus simpliciter, in quantum respicit verum bonum, sive verum propter bonitatem; est autem simpliciter speculativus, in quantum respicit verum, ut verum propter puram veritatem, non curando de bonitate, quae est voluntatis obiectum. Item est simpliciter practicus, in quantum respicit verum agibile, vel factibile: est autem speculativus, in quantum respicit verum speculabile: sed Logica non dirigit intellectum ad verum bonum, aut propter bonitatem, Logica enim non curat de moribus, sed solum ad verum propter veritatem, quia tantum curat ne intellectus falsitatem incurrat; itemque non instruit intellectum ad agibilia, quia non tractat de agibilibus, sed solum ad speculabilia, propter eorum speculationem: ergo Logica minime perficit, aut instruit intellectum, ut practicum; sed solum, ut speculativum.

Solvuntur Argumenta.

18 **O**BJECIES Primo: iuxta ca Philof. 1. Meth. lect. 3. scientia speculativa quaeritur propter se, & propter praecisam contemplationem sui obiecti: sed iuxta D. Thom. ibidem, Logica Non quaeritur propter se, sed ut introductoria ad alias scientias: ergo non est simpliciter speculativa.

Con-

Confirmatur: scientia, quæ non sistit in contemplatione sui obiecti, sed ad aliud ordinatur, non est simpliciter speculativa: sed Logica non sistit in contemplatione sui obiecti, sed ad aliud ordinatur, dirigendo scilicet, ad eius efformationem: ergò. Confirmatur secundo: sicut ars domificatoria dirigit operationes manuum, ita iuxta D. Thom. Logica dirigit operationes intellectus: sed quia ars domificatoria considerat domum ad illam efficiendam, est simpliciter practica: ergò quia Logica considerat modum sciendi dirigendo ad eius efformationem, erit simpliciter practica.

19 Nec valet, si respondeas, quod Logica queritur propter contemplationem sui obiecti primario, secundario vero propter alias scientias. Nam imprimis hæc solutio expresse contradicit D. Thomæ dicenti Logicam non queri propter se: id enim falsum esset, si esset primario propter contemplationem sui obiecti. Item, quia facultas directiva primario instituta est propter facultatem, quam per se primo dirigit: sed Logica per se primo dirigit cæteras scientias, & ex consequenti tantum se ipsam: ergò primario est propter alias, & ex consequenti tantum propter se ipsam. Denique, quia sic instituitur Logica pro cæteris scientiis dirigendis, sicut Philosophia moralis pro dirigendis virtuti-

bus moralibus; sed Philosophia moralis non est primario propter præcisam contemplationem sui obiecti, aliàs esset simpliciter speculativa; sed propter virtutes morales: ergò pariter Logica non est primario propter præcisam contemplationem sui obiecti, sed propter cæteras scientias.

20 Nec valet item, si dicas Logicam ordinari ad cæteras scientias tanquam ad finem ultimum, & extrinsecum, respicere tamen contemplationem sui obiecti, ut finem proximum, & intrinsecum: & hoc sufficere ut sit simpliciter speculativa. Non inquam valet, quia quælibet scientia, quantumvis practica, v. g. Philosophia moralis, aut medicina, respicit contemplationem sui obiecti, ut finem proximum, & intrinsecum, licet in ordine ad opus exterius, tanquam ad finem remotum, & ultimum, utpote exequendum per facultates distinctas ab ipsa scientia: non ergò sufficit ad rationem scientiæ speculatiuæ, quod respiciat contemplationem sui obiecti, ut finem proximum, & intrinsecum.

21 His igitur solutionibus omisis, facile respondeo distinguendo maiorem: scientia speculativa principalis queritur propter se, concedo maiorem, quia de hac tantum loquitur Philosophus: scientia speculativa ministerialis, & directiva ad speculandam, & indagandam

veritatem, nego maiorem, hæc enim ex natura sua instituta est, ut ceteræ scientiæ rectè speculentur veritatem: nec ob hanc rationem amittit, imò retinet rationem scientiæ speculatiuæ, cum ordinetur ultimo ad rectam speculationem veritatis: licet solum sit scientia speculativa ministerialis, & ut reducta ad aliàs principales. Ità Div. Thom. opusc. 70. q. 5. arc. 1. ad 2.

22 Ad confirmationem distinguo maiorem: si ordinetur ad aliud extra genus contemplationis, concedo maiorem: si ad aliud ordinetur, quod sit intra genus speculationis, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Nam, licet Logica non sistat in contemplatione sui obiecti, sistit tamen in contemplatione veritatis in genere, illam enim respicit tanquam ultimum finem, & ad illam dirigit intellectum. Ad confirmationem, concessa maiori, & minori, nego consequentiam: disparitas stat in eo, quod, dum ars domificatoria ordinatur ad construendam domum, ordinatur ad aliquod opus simpliciter tale, quod est extra sphaeram contemplationis: at verò constructio modi sciendi non est opus simpliciter, sed ut ait Div. Thom. per modum cuiusdã operis, & est intra sphaeram contemplationis, cum aliud non sit, quam cognitio repræ-

sentans obiecta sub forma rationis ignoti manifestativa.

23 Sed replicabis primo: Logica dirigit scientias practicas; sed scientiæ practice ordinantur ad opus simpliciter tale, & extra genus speculationis: ergò Logica, saltem remote, ordinatur ad opus simpliciter tale, & extra genus speculationis. Secundo: licet opus, quod dirigit Logica, sit intra genus contemplationis; sufficit quod illud Logica respiciat modo directivo, ut sit simpliciter practica: ergò. Antecedens probatur: licet actus studij sit contemplativus, & intra sphaeram contemplationis, prudentia respectu illius est simpliciter practica, quia tendit ad illum modo directivo: ergò sufficit quod Logica tendat ad suum opus modo directivo ut, sit simpliciter practica, licet tale opus sit intra genus speculationis.

24 Respondeo, distinguendo maiorem: Logica dirigit scientias practicas, in quantum practice sunt, nego maiorem: quatenus scientiæ sunt veritatis demonstratiuæ, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; nam Logica per se tantum dirigit ceteras scientias, ut rectè demonstrent veritatem, & non errent in veritatis indagatione, in quo mera invenitur speculatio, non autem praxis. Quod autem aliquæ scientiæ ordinentur ad opus

opus, per accidens est respectu
 Logicæ, quæ tantum curat de-
 veritate scientiarum, minimè de
 opere exteriori dirigendo. Ad se-
 cundam, nego antecedens. Ad
 cuius probationem, nego cau-
 salem; nam si prudentia practi-
 ca est, quatenus dirigit, & præci-
 pit, hic, & nunc esse studendum,
 non ideò est, quia tendat modo
 directivo, sed quia dirigit im-
 mediate voluntatem, ut appli-
 cet intellectum ad studendum, &
 quia voluntatem applicare intel-
 lectum ad studendum est actus
 extra genus contemplationis. Ac
 vero Logica, dum directivo mo-
 do procedit, non dirigit volun-
 tatem, ut applicet intellectum
 ad demonstrandum; v. g. sed
 præcise dirigit intellectum im-
 mediate ad demonstrandam ve-
 ritatem, ei ostendendo regulas
 hoc in munere servandas; vn-
 de prudentia est simpliciter pra-
 ctica, quia immediate dirigit
 actus voluntatis; Logica vero
 simpliciter speculativa, quia im-
 mediate dirigit actus intellectus,
 quibus veritatem speculatur.

25 Sed urgebis: Logi-
 ca dirigit intellectum ad specu-
 landum medio actu voluntatis:
 ergò immediate dirigit volunta-
 tem, & mediante voluntate in-
 tellectum, & consequenter erit
 practica, sicut prudentia. Ante-
 cedens probatur: nequit intelle-
 ctus in exercitio speculare, nisi
 applicetur ad hoc exercitium
 per actum voluntatis; sed Logi-
 ca dirigit intellectum ad specu-

landum in exercitio: ergò Lo-
 gica dirigit intellectum ad spe-
 culandum medio actu volunta-
 tis. Respondeo, negando antece-
 dens. Ad cuius probationem, con-
 cessi maiori, distinguo minorem:
 Logica dirigit ad speculandum
 in exercitio, ita ut modus spe-
 culandi per se dirigatur à Logi-
 ca, exercitium vero per acci-
 dens, concedo minorem: ita ut
 exercitium per se dirigatur à
 Logica, nego minorem, & con-
 sequentiam. Itaque Logica per
 se dirigit speculationem quoad
 specificationem, ostendendo mo-
 dum, & formam, quam habere
 debet, ut sit vera, & absque fal-
 sitatis errore; cæterum Logica
 neutiquam præcipit quando,
 quantoque tempore exerceri de-
 beat, ut sit bona; sed postquam
 intellectus scit, quomodo, & ex-
 quibus constare debet recta de-
 monstratio, ut veritatem asse-
 quatur, iam Logica nihil ultra
 desiderat, sed postea prudentia,
 vel alia virtus moralis dirigit, &
 præcipit, quo tempore, & quan-
 to spatio, & in quibus occasioni-
 bus applicandus est intellectus ad
 illud exercitium demonstrandi;
 ad quod invenitur instructus per
 Logicam, ut sit honestum: vn-
 de Logica, utpote virtus spe-
 culativa, non determinat intelle-
 ctum quoad exercitium, sed
 tantum quoad specificationem:
 prudentiæ vero, tanquam virtu-
 ti practicæ, atinet intellectum
 quoad exercitium applicare me-
 dio actu voluntatis.

Q. XIV. Vtrum Logica sit simpliciter necessaria, &c. 279

26 Obijcies secundo: scientia, quæ respicit suum obiectum, ut operabile, dirigendo ad illius constructionem, non est speculativa, sed practica; sed Logica respicit demonstrationem, v. g. quæ est eius obiectum, ut operabilem, dirigendo ad eius constructionem: ergo est simpliciter practica, & non speculativa. Confirmatur: Logica procedit modo compositorio circa suum obiectum: sed scientia speculativa nequit procedere modo compositorio, sed tantum modo resolutorio: ergo Logica non est speculativa, sed practica.

27 Respondeo, distinguendo maiorem: scientia, quæ respicit suum obiectum, ut operabile, dirigendo ad eius constructionem medio actu, qui sit simpliciter speculatio, est simpliciter practica, nego maiorem: medio actu, qui non sit simpliciter speculatio, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; nam Logica, licet respiciat suum obiectum, dirigendo ad illius constructionem; cum autem talis constructio, v. g. demonstrationis, sit simpliciter speculatio veritatis, inde est, quod respicit suum obiectum dirigendo ad speculationem veritatis, ac per consequens erit scientia speculativa.

Ad confirmationem, distinguo maiorem: Logica proce-

dit modo compositorio contemplationis, concedo maiorem: modo compositorio alterius operis, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Itaque Logica procedit modo compositorio, quatenus dirigit ad compositionem contemplationis, siue demonstrationis: ceterum hoc non sufficit ut sit simpliciter practica. Omnes enim scientiæ suas demonstrationes, & artificiosas componunt speculationes; & tamen plures sunt simpliciter speculativæ, & non practicæ: requiritur ergo ut aliqua scientia sit simpliciter practica, quod dirigit ad compositionem operis exterioris, quod non sit speculatio.

28 Sed replicabis: licet Logica dirigit ad speculationem, non tamen dirigit ad speculationem sui obiecti: ergo Logica, respectu sui obiecti non est speculativa, sed practica. Antecedens patet, quia Logica, dum dirigit cæteras scientias, non dirigit illas ad speculandum obiectum Logicæ; sed ad speculanda sua obiecta specialia.

Respondeo primo, negando antecedens, quia Logica dirigit non solum cæteras scientias ad sua obiecta speculanda, sed etiam se ipsam ad speculationem sui obiecti. Ceterum, quia finis primarius Logicæ, à quo suam desumit denominationem, non

est dirigere se ipsam, sed ex-
 teras scientias. Respondeo se-
 cundo, concesso, vel omisso an-
 tecedenti, distinguendo con-
 sequens: ergo Logica respec-
 tu sui obiecti, non est specu-
 lativa, elicitive, nego conse-
 quentiam: directivè, concedo
 consequentiam; Logica enim
 elicit per se primo speculatio-
 nem sui obiecti, & consequen-
 ter elicitive est speculativa sui
 obiecti; at vero non dirigit
 primario ad speculationem sui
 obiecti, & consequenter di-
 rectivè non est simpliciter spe-
 culativa sui obiecti: est tamèn
 simpliciter speculativa absolu-
 tè loquendo, quia licet non di-
 rigat per se primo ad speculan-
 dum suum obiectum, dirigit
 tamèn intellectum ad speculan-
 dam medio suo obiecto, sci-
 licet, media demonstratione, ve-
 ritatem.

29 Sed urgebis: Logi-
 ca non dirigit per se primo ad
 speculationem sui obiecti, diri-
 git tamèn ad constructionem
 illius, dirigit enim ceteras scien-
 tias ad construendas demon-
 strationes, sed non ad specu-
 landas demonstrationes: ergo
 Logica directivè est practica
 respectu sui obiecti. Respon-
 deo, distinguendo antecedens:
 dirigit ad constructionem il-
 lius, quæ sit propriè, & sim-
 pliciter opus, nego antecedens:
 quæ sit simpliciter contempla-
 tio veritatis, & per modum cu-
 iusdam operis, concedo ante-

cedens: & distinguo conse-
 quens: Logica directivè est
 simpliciter practica, nego con-
 sequentiam: similitudinariè, &
 secundumquid, concedo con-
 sequentiam. Itaque fateor, quod
 Logica respectu sui obiecti per
 se primo dirigit ad construc-
 tionem, non ad speculatio-
 nem illius, sed cum illa con-
 structio iuxta D. Thom. sit per
 modum cuiusdam operis, inde
 tantum sequitur Logicam esse
 ad modum scientiæ practicæ,
 non autem simpliciter practi-
 cam.

30 Obijcies ultimo,
 Logica dirigit definitionem,
 & syllogismum vocalem; sed
 hæc sunt opus alterius poten-
 tiæ ab intellectu: ergo Logi-
 ca dirigit opus alterius poten-
 tiæ ab intellectu: ergo est
 simpliciter practica. Respondeo
 distinguendo maiorem: Logi-
 ca dirigit definitionem voca-
 lem quoad externum vocis so-
 num, nego maiorem: quoad
 eius internam significationem,
 concedo maiorem, & distin-
 cta minori eodem modo, ne-
 go consequentiam; nam de-
 finitio vocalis, v. g. tantum di-
 rigitur à Logica quoad sig-
 nificationem, quæ interna est,
 & opus solius intellectus.

31 Ex dictis infero, Logicam non
 esse partim practicam, & partim
 speculativam. Non quidem prop-
 ter communem rationem, quia
 videlicet ratio practici, & spe-
 culativi, cum sint differentiar
 oppo-

oppositæ non possunt adunari in eodem habitu intellectuali. Non, inquam, propter hanc rationem, nam AA. qui Logicam partim practicam, & partim speculativam asserunt, illam componunt ex pluribus habitibus specificatis à diversis actibus & obiectis; unde facile respondebunt, secundum aliquos habitus, & actus esse practicam, & secundum alios speculativam. Sed quia, si secundum aliquos actus esset practica simpliciter, maximè secundum eos, quibus dirigit ad constructionem demonstrationis; sed probatum manet ex hac parte non esse practicam simpliciter, sed secundumquid, simpliciter vero speculativam: ergo.

QVÆSTIO XIV.

Verum Logica sit simpliciter necessaria ad alias scientias acquirendas?

Aliqua prænotantur.

NOTA Primo, dupliciter aliquid dici necessarium ad aliquem finem consequendum, scilicet simpliciter, vel secundumquid. Illud est simpliciter necessarium, sine quo finis, nec faciliter, nec difficiliter consequi valet. Illud est secundumquid necessarium, sine quo finis obtineri valet, non facili-

ter, sed cum magna difficultate. Primo modo est necessarius nobis ad vivendum. Secundo modo equus ad longum iter agendum. Secundo nota scientiam posse considerari in duplici statu, scilicet, in statu imperfecto, vel in statu perfecto. Tunc scientia est in statu imperfecto, cum recentè acquisita tantum se extendit ad unam, vel alteram conclusionem; sicut homo est in statu imperfecto, cum recentè natus, nondum habet extensionem, & quantitatem debitam. Tunc scientia est in statu perfecto, cum ad eò perfectè intra proprios limites adolevit, ut se extendat ad plures, vel omnes conclusiones; sicut homo est in statu perfecto, cum iam crevit, & perfectam quantitatem acquisivit. Adverte tamèn, quod, sicut homo in utroque statu habet prædicata essentialia hominis, ita scientia in utroque statu debet habere prædicata essentialia scientiæ.

2. Noto tertio, Logicam ad minus esse necessariam secundumquid ad ceteras scientias acquirendas. Patet, nam difficilimum est, sine Logica dirigente, intellectum procedere sine errore circa inventionem veritatis; sed scientia acquiri nequit, nisi procedatur sine errore circa inventionem veritatis, ut ex se patet; ergo Logica, saltèm secundumquid, est necessaria ad scientias acquirendas. Difficul-

tas ergò est, an possit acquiri scientia, saltem difficiliter, sine Logica, seu an Logica sit simpliciter necessaria ad alias scientias acquirendas. Pro quo sit.

Prima conclusio:

DICO Igitur: *Logica artificialis non est simpliciter necessaria ad alias scientias acquirendas in statu imperfecto.* Est communis inter Patres Societatis, & ex Thomistis tenent illam Masius, Sanchez, Complutenses, Didacus à Iesu, Ioannes à Sancto Thoma, Lince, & denique Collegium Div. Thomæ Complutense satis docte. Probaturque in hunc modum: scientia in statu imperfecto est scientia unius, vel alterius conclusionis; sed potest haberi scientia unius, vel alterius conclusionis sine Logica artificiali: ergo potest haberi scientia in statu imperfecto sine Logica artificiali, & consequenter non est simpliciter necessaria ad illam acquirendam. Minor, in qua est difficultas, probatur: qui cognoscit evidentè conclusionem ex vi præmissarum illam inferentium, habet scientiam illius conclusionis; sed potest intellectus sine Logica artificiali cognoscere evidentè unam, vel alteram conclusionem ex vi præmissarum

illam inferentium: ergò potest habere scientiam unius, vel alterius conclusionis sine Logica artificiali. Maior patet: nam cognitio evidens conclusionis ex vi præmissarum, nec est fides, quæ innititur testimonio dicentis, nec est opinio, quæ assentitur cum formidine erroris, nec est lumen principiorum, quod veritates per se notas in se ipsis; & non ex vi præmissarum cognoscit: ergò est scientia, cum non sit alterius generis cognitio ad quam reducatur.

4 Minor vero, in qua stae difficultas, probatur: nam facta hac clarissima demonstratione: *Omnis homo est rationalis, omne rationale est visibile: ergò omnis homo est visibile;* quilibet intellectus, præsertim, si sit perspicax, evidentè cognoscit conclusionem esse veram, motus ex præmissis illam inferentibus, licet Logicam artificialem non didicerit: ergò sine Logica artificiali potest intellectus cognoscere evidentè conclusionem ex præmissis illam inferentibus. Antecedens probatur, nam intellectus cognoscit evidentè ex vi præmissarum id, ad cuius assensum convincitur ex vi illarum; sola enim evidentia convincere potest intellectum: sed ex vi præmissarum prædictæ demonstrationis, adhuc sine Logica, convincitur intellectus ad assensum

sum conclusionis : ergo quilibet intellectus, saltem perspicax, sine Logica cognoscit in prædicta demonstratione conclusionem esse veram, motus ex præmissis illam inferentibus.

5 Confirmatur: sola evidentia convincit intellectum, illumque necessitat ad assensum alicuius veritatis : sed ex vi prædictarum præmissarum præcisè convincitur intellectus, & necessitatur ad assensum conclusionis : ergo ex vi prædictarum præmissarum, adhuc sine Logica, cognoscit intellectus evidenter conclusionem.

Urgetur : quod ex vi præmissarum ita evidens apparet, ut quilibet intellectus illud negare non possit, nisi mente captus, illudque omnes sine vilo timore errandi concedunt, evidenter cognoscitur ex vi præmissarum ; sed ex vi prædictarum præmissarum præcisè, & sine Logica artificiali, ita evidens apparet conclusio, quod nullus nisi mente captus illam negare poterit, quilibetque sine vilo timore, illam concedit : ergo sine Logica artificiali cognoscitur prædicta conclusio ex vi præmissarum evidenter.

6 Respondetur : quod intellectus, nisi cognoscat præmissas esse dispositas in recto modo, & figura, non potest cognoscere signatè, & reflexè conclusionem ex illis in fallibili-

ter in ferri, hoc autem necessarium videtur ad cognoscendam scientificè conclusionem ex præmissis. Sed contra primo ; quia non est necessarium cognoscere signatè, & reflexè illationem infallibilem conclusionis ex præmissis, ut cognoscatur scientificè conclusio ; ergo nulla est solutio. Antecedens probatur per hoc præcisse, quod intellectus, cognovit evidenter præmissis, ex illis inferat evidenter conclusionem, cognoscendo in ipso exercitio directè, & absque reflexione illationem unius ex alio, cognoscit scientificè conclusionem : ergo non est necessarium cognoscere signatè, & reflexè illationem infallibilem conclusionis ex præmissis ad cognoscendam scientificè conclusionem.

7 Contra secundo : potest aliquis cognoscere signatè, & evidenter conclusionem inferri infallibilitèr ex præmissis, quin sciat, aut advertat præmissas esse dispositas in recto modo, & figura : ergo quin hoc sciat potest cognoscere evidenter conclusionem ex præmissis. Antecedens probatur : qui cognoscit evidenter non posse præmissas esse veras, quin sic vera conclusio, cognoscit evidenter & signatè conclusionem inferri infallibilitèr ex præmissis : sed potest aliquis cognoscere evidenter non posse præ-

missas esse veras, quin sit vera conclusio, licet non advertat præmissas esse dispositas in recto modo, & figura: ergo potest aliquis evidenter cognoscere conclusionem inferri in fallibiliter ex præmissis, quia sciat, aut advertat præmissas esse dispositas in recto modo, & figura. Minor, in qua stat difficultas, probatur præmissas esse veras nihil aliud est, quam extremitates identificari eum tertio, & conclusionem esse veram, idem est, ac extremitates identificari inter se; sed nulla cognita dispositione præmissarum in recto modo, & figura, intellectus solo lumine naturali cognoscit hoc principium: *Quæ identificantur cum tertio non possunt non identificari inter se*: ergo intellectus potest cognoscere evidenter non posse præmissas esse veras, quin sit vera conclusio, licet non advertat dispositionem præmissarum in recto modo, & figura.

8. Dices secundo, quod licet formata demonstratione, quilibet solo lumine naturali cognoscat evidenter conclusionem ex illis illatam, attamen difficultas est in formata demonstratione; hæc enim, cum sit compositum artificiale logicum, nequit fieri sine arte, aut sine Logica artificiali. Sed contra, quia opera artis possunt, licet non ita facillime, fieri naturaliter, & si-

ne arte: ergo, licet demonstratio sit opus artificiale, potest fieri sine arte Logica, & naturaliter. Antecedens probatur, nam sæpe ignarus Rhetoricæ loquitur elegantem, & ornatum sermonem, sæpe etiam ignarus Musicæ voce sonora, & a cordi canit, aures demulcendo, & in presenti materia quis negare poterit eum, qui nullas regulas Logicæ didicit, aliquando facere rectas divisiones, & diffinitiones, ut si dicat, animalium aliud est rationale, aliud irrationale: vel si ei interrogetur, quid est rotundum, clare respondebit: est res partibus constans: sed omnia hæc sunt opera artificialia, ad illa enim exercenda plures natura instituit artes: ergo opera artis seu artificialia possunt fieri naturaliter, & sine arte. Confirmatur: non minus est artefactum Logicum syllogismus probabilis, quam demonstratio, cum sæpe confectur eadem forma: & tamen iuxta adversarios potest intellectus, sine Logica artificiali, syllogismos probabiles formare, probabiliter disputando: ergo similiter demonstrationes.

9. Ultimo respondebis, quod licet aliquis possit formare veram demonstrationem, & assentire conclusioni ex vi præmissarum, sine Logica artificiali, ad habendam tamen formaliter scientiam, & demonstrationem hoc non

non sufficere, sed ulterius requiri, quod per reflexionem sciat se scire, & illam esse veram demonstrationem, quod fieri nequit sine Logica artificiali, & sic non potest esse. Sed contra est, quia scientia reflexa demonstrationis, & scientia non prerequisite necessarii ad scientiam, & demonstrationem directam conclusionis, sed Logica consistit in predicta scientia reflexa: ergo Logica non est simpliciter necessaria ad scientiam, aut demonstrationem directam. Maior probatur: scientia reflexa demonstrationis, & scientia suppone scientiam, & demonstrationem directam, est enim cognitio signata illius, quae debet supponere suum obiectum, sed nihil prerequisite necessarii ad id, quod supponit: ergo talis scientia reflexa non prerequisite ad scientiam, aut demonstrationem directam. Confirmatur: talis scientia reflexa supponit, quod affirmat, sed affirmat, me habere scientiam, & demonstrationem directam: ergo supponit me habere scientiam, & demonstrationem directam, non potest. Sed dices, suppone se scientiam, & demonstrationem materialiter talem, non autem talem formaliter. Sed contra primo, quia ut illa scientia reflexa firmet subiectum in veritate, debet affirmare il-

lum habere scientiam, & de demonstrationem formalem, aliter enim non certificatur, aut firmatur in veritate: sed debet supponere, quod affirmat, ergo supponit scientiam, & demonstrationem formalem. Secundo, quia scientia, & demonstratio directa non constituitur formaliter in ratione scientiae, sed in scientia reflexa, alias enim demonstratio directa Philosophiae, & cuiuslibet alterius scientiae tantum extrinsecè esset scientia, & demonstratio formalis: quod nihil absurdius excogitari potest: ergo talis scientia directa iam supponitur ad reflexam in ratione scientiae, & demonstrationis formaliter talis. Ut geratur scientia directa, sive directa, demonstratio propria ad scientiam reflexam non est opinio, aut syllogismus probabilis, alias enim falso affirmaret reflexa esse scientiam, & demonstrationem: ergo pro priori ad demonstrationem, aut scientiam reflexam, scientia directa supponitur distincta ab opinione, & syllogismo probabilis, & consequenter in ratione scientiae formaliter talis. Vltius probatur conclusio, & solutiones praetatae instantur. Prima demonstratio Logicae est verè, & formaliter demonstratio, generatim scientiam formaliter

talem; & tamèn ad illam non requiritur neque scientia, & demonstratio reflexa, neque prævia demonstratio, aut scientia bonitatis consequentiæ, nec regularum Logicæ: ergò sine Logica artificiali, quæ hæc omnia præstat, potest haberi scientia formalitèr talis. Minor patet, nam aliàs daretur processus in infinitum, cum ad unam scientiam semper esset necessaria alia scientia, & ad illam alia, & sic in infinitum.

13 Confirmatur; & tacita solutio rejicitur, quia ad primam demonstrationem Logicæ non præcedit Logica ut dirigens, nec ut docens modum aut regulas demonstrandi, quamvis demus, quod præcedat virtualitèr, & implicite in præmissis primæ demonstrationis: ergò ad veram, & formalem demonstrationem non requiritur, quod præcedat Logica ut dirigens: ergò quamvis cæteræ demonstrationes aliarum scientiarum fiant sine prævia Logicæ directione, non inde sequitur eas esse tantum materialitèr, & non formalitèr demonstrationes. Primum antecedens probatur, quia, quod præcedit tantum virtualitèr, & implicite in præmissis, non potest dirigere ad ipsas præmissas formandas, nec præcedere, ut docens modum formandi demonstrationem, ut per se patet: ergò.

14 Denique probatur

conclusio, quia prius fuit inter homines elicere veras, & scientificas demonstrationes, quam invenire, vel instituire Logicam artificialem: ergò hæc non est simpliciter prærequisita ad illas elicendas, & consequenter, nec ad scientiam acquirendam. Antecedens probatur, quia Logica fuit instituta ex eo, quod homines experti sunt aliquos modos arguendi convincentes intellectum evidentèr, alios vero fallaces, alios tantum probabiles: sed modi arguendi convincentes evidentèr intellectum sunt demonstrationes scientificæ: ergò prius fuit inter homines experiri, & elicere scientificas demonstrationes, quam instituire Logicam artificialem. Major probatur, quia propterea homines instituerunt regulas universales designantes modos arguendi convincentes, & modos fallaces, itemque probabiles, quia prius experti sunt, quibus modis convinceretur intellectus, & quibus falleretur: ex huiusmodi enim experientia per inductionem à singularibus inferebant regulas universales. V. g. quia experti sunt, quod quotiescumque quis arguebat, hoc pacto: *Omnis homo est animal, omne risibile est homo: ergò omne risibile est animal*, convincebat evidentèr intellectum in quacumque materia, propterea hunc modum arguendi obser-

varunt, & eius formam, & inde elicerunt regulas universales pro tali modo, & forma arguendi: & similiter quotiescumque experiebantur aliquem modum fallentem, vel non convincentem intellectum, observatis casibus singularibus, inferebant regulas universales declarantes talem modum, ut inutilem, vel fallacem: ergo Logica fuit instituta ex eo quod homines experti sunt quosdam modos arguendi convincentes; quosdam fallaces, &c. Maior probatur, quia sic instituta fuerunt; ab hominibus omnes artes, nimirum per experientiam; & observationem ex casibus singularibus per inductionem inferentes regulas universales. V. g. quia experti sunt sonum sic modulatum demulcere auditum; aliter vero illum ex asperare, propterea observarunt primum modum, & illum per regulas universales approbaverunt ad demulcendum auditum, alium vero per regulas universales reiecerunt, & sic inventa fuit Musica: & quia experti sunt in pluribus casibus singularibus, observatione facta, domum sic factam esse commodam ad vivendum, aliter vero esse incommodam, propterea instituerunt regulas universales pro domo sic facienda, & non aliter, & sic inventa fuit ars domificatoria, & sic similiter

in alijs artibus, quatum regularis inventio fuit per experientiam, & observationem diligentem factam à primis illarum inventoribus: ergo idem dici debet de Logica artificiali.

15 Confirmatur: Dum Logica artificialis tradit regulas universales per quas approbat modum arguendi in *Darij*, ut convincentem intellectum, non ideo ille modus arguendi convincit intellectum evidenter, quia approbatur per regulas universales Logicae, sed potius per tales regulas approbatur, quia convincit intellectum evidenter: ergo tales regulae universales non efficiunt, sed supponunt talem modum convincere evidenter: sed Logica artificialis consistit in praedictis regulis, universalibus: ergo Logica artificialis non efficit, sed supponit talem modum convincere evidenter intellectum: ergo ut talis modus convincat evidenter intellectum, non dependet à Logica artificiali, cum pro priori ad ipsam supponatur iam convincens: ergo nec illa indiget, ut generet scientiam, cum generare scientiam aliud non sit, quam convincere intellectum ad assentum conclusionis: non ergo Logica est simpliciter necessaria, ut acquiratur, vel generetur scientia. Omnia rectè inferuntur ex primo antecedenti.

ti, illud autem est certissimum, quia, dum Logica approbatalem modum arguendi, ut convincentem, habet aliquam rationem obiectivam huius approbationis; hæc non potest esse ipsamet approbatio per suas regulas, cum ipsa non possit esse ratio obiectiva sui ipsius: ergo debet esse, quia talis modus ex se, & præcursive à tali approbatione est convincens intellectum.

OBJECIES Primo: scientia, adhuc in statu imperfecto, non habetis acquisitis per demonstrationem: sed sine Logica artificiali nequit fieri demonstratio: ergo sine Logica artificiali nequit acquiri scientia, adhuc in statu imperfecto. Minor, quia sola difficilis est, probatur: nequit fieri demonstratio, nisi ab eo, qui scit, quomodo, & ex quibus sit facienda demonstratio: sed sine Logica nemo scit, quomodo, & ex quibus sit formanda demonstratio: ergo sine Logica nequit fieri demonstratio.

Respondeo, negando minorem. Ad cuius probationem distinguo maiorem: nequit fieri demonstratio nisi ab eo, qui scit, quomodo, & ex quibus sit facienda demonstratio, qui hoc inquam scit in actu exercitio, & per ipsum actum directum, concedo maiorem.

nisi ab eo, qui hoc scit signate, & reflexe, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Itaque scire reflexe, & signate, quomodo, & ex quibus sit facienda demonstratio est hoc scire per actum distinctum à demonstratione directa, ad ipsamque præcedentem, qui dirigat intellectum ad demonstrationem formandam, & quidem ad formandam demonstrationem non est necessarium hoc modo præscire, quomodo, & ex quibus sit facienda demonstratio. Nam prima demonstratio Logice à fortiori debet formari, non præcedente scientia reflexe, & signate ostendente, quomodo, & ex quibus sit facienda demonstratio, si alias enim daretur processus in infinitum. Scire autem in actu exercitio, & directe, quomodo, & ex quibus sit facienda demonstratio nihil aliud est, quam intellectum per ipsam actum demonstrationis advertentem elicere demonstrationem, per ipsam cognoscendo connexionem præmissarum cum conclusionem, & hoc quidem sufficit, nec amplius requiritur ad formandam demonstrationem, sicut ad iudicium formandum non requiritur, quod intellectus præsciat signate, & reflexe iudicium debere constare subiecto, prædicato, & copula, nec ad formandos syllogismos probabiles requiritur cognoscere prævidere, & signate quomodo, & ex quibus

quibus formandus est syllogismus probabilis, & sic in alijs. 18. Sed replicabis: qui elicit demonstrationem sine scientia reflexa ostendente, quomodo, & ex quibus sit facienda demonstratio, materialiter tantum demonstrat; sed demonstratio pure materialis non sufficit ad scientiam acquirendam: ergo sine predicta scientia reflexa non potest acquiri scientia. Major probatur: qui dicit verum, nesciens, se dicere verum, materialiter tantum dicit verum, ergo qui elicit demonstrationem, nesciens signatè, & reflexè se habere demonstrationem, materialiter tantum demonstrat. Respondeo, negando maiorem. Ad cuius probationem, distinguo antecedens: qui dicit verum, nesciens signatè, & reflexè se dicere verum, materialiter tantum dicit verum, nego antecedens: nesciens directè, & exercitè se dicere verum, concedo antecedens, & nego consequentiam. Sicut enim ille, qui in actu exercito ita sentit, quod loquitur, formaliter dicit verum, licet non sciat per reflexionem quid sit dicere verum, aut ex quibus sit formandus sermo verus. Ità similiter ad demonstrandum formaliter sufficit in actu exercito advertere, & sentire veritatem præmissarum evidentè inferentium conclusionem, quoniam sit necessarium per demonstrationem reflexam

scire quomodo, & ex quibus sit formanda demonstratio. 19. Obijcies secundo: qui non cognoscit evidentè bonitatem consequentiae, nequit assentire evidentè conclusioni ex vi præmissarum, & consequenter nec habere scientiam illius: sed bonitas consequentiae nequit cognosci absque Logica artificiali: ergo absque Logica artificiali nequit acquiri scientia. Minor probatur, quia bonitas consequentiae est conformitas cum regulis Logicae: sed conformitas cum regulis Logicae nequit cognosci evidentè sine Logica: ergo bonitas consequentiae nequit cognosci sine Logica. Confirmatur: Consequentia est obiectum Logicae, & bonitas ipsius est proprietas eius: sed proprietas obiecti Logicae nequit cognosci sine Logica: ergo nec bonitas consequentiae. 20. Pro solutione huius argumenti RR. aliqui controuertunt, an bonitas consequentiae sit passio, vel essentia consequentiae. Sed solutio argumenti ab hoc litigio non dependet; vnde primo respondeo, distinguendo maiorem: si bonitas consequentiae sit passio consequentiae, nego maiorem: si sit essentia ipsius consequentiae, concedo maiorem: & distincta minori eodem modo ad eius probationem, & confirmationem respondeo, quod si contendas bonitatem consequentiae

quentiæ esse passionem ipsius, fatebor eam cognosci non posse sine Logica; negabo tamen hoc esse necessarium ad præstandum assensum evidentem conclusioni ex vi præmissarum, quia sufficit cognoscere essentiam consequentiæ: huiusmodi enim essentia consistit in eo, quod, positis præmissis, sequatur necessario conclusio, siquidem sic quidditative definitur: *In qua, uno dato, aliud necessario sequitur*; sufficit autem cognoscere evidentem, quod positis præmissis sequitur necessario conclusio, ad præstandum assensum evidentem conclusioni: sufficit ergo cognoscere essentiam consequentiæ, & non requiritur cognoscere eius bonitatem. Si vero contrarias bonitatem consequentiæ esse ipsius essentiam, & a se in distinctam omnino, fatebor opus esse illam cognoscere, sed tunc probari non poterit eam cognosci non posse sine Logica artificiali eo quod sit passio, & non essentia consequentiæ, cum supponatur esse ipsius essentiam. Unde, si velis prædictum litigium non decidere, sed ab eo supercedere, semper cum prædicta conditione respondebis, concedendo quod nequeat cognosci sine Logica artificiali, si sit passio consequentiæ, negando tamen si sit eius essentia: itemque concedendo, quod debeat cognosci, si est essentia, negando tamen si sit passio, quia sufficit cognoscere essentiam consequentiæ.

21 Sed replicabis: adhuc essentia consequentiæ nequit cognosci evidenter sine Logica artificiali: sed per nos omnino necessarium est cognoscere evidenter essentiam consequentiæ: ergo & est omnino necessaria Logica artificialis. Maior probatur: quia essentia consequentiæ non cognoscitur clare, & evidenter, nisi per eius definitionem: sed consequentia non definitur nisi à Logica artificiali: ergo cognosci nequit evidenter sine Logica artificiali. Respondeo, distinguendo maiorem: cognosci nequit in actu signato sine Logica artificiali transeat: in actu exercito, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Ad probationem maioris eadem distinctione respondeo, quod quamvis in actu signato essentia consequentiæ, solum cognoscatur per sui definitionem; tamen in actu exercito cognoscitur per hoc præcise quod intellectus ex vi præmissarum cogitur, & convincitur ad assensum conclusionis, per hoc enim præcise experitur intellectus viam, & essentiam consequentiæ ita clare, ut illam negare non possit, & hoc sufficit ad veram scientiam.

22 Sed dices: consequentia movet ad assensum conclusionis: sed quod movet ad assensum conclusionis debet cognosci signate ante ealem assensum; ergo essentia consequentiæ

quentis debet cognosci signate ante assensum conclusionis. Distinguo maiorem: movet in actu exercito, concedo maiorem: in actu signato, nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris, consequentiam. Quia in actu signato solum movent ad assensum premissæ, & earum veritas obiectiva, consequentia vero est ipsum exercitium movendi, convincendi, & cogendi intellectum ad assensum: unde consequentia movet in actu exercito, & non per modum obiecti signate cogniti; alias omnis assensus scientificus, etiam Philosophiæ naturalis, vel Metaphysicæ, haberet pro motivo signate cognito essentiam consequentiæ, & ab ea specificaretur; quod nullus dicit.

23 Nec ex hac solutione inferas, essentiam consequentiæ signate cognosci non posse sine Logica artificiali. Propterea enim id non concessi, sed dixi *transeat*, quia potius censeo cognosci posse lumine principiorum; essentiæ enim rerum sunt prima principia lumine naturæ nota, quæ non indigent ulla scientia, ut cognoscantur; sed potius sunt semina scientiarum, quæ ante demonstrationem, & scientiam cognosci debent. Nec obstat, quod definitio consequentiæ tradatur in Logica, nam etiam definitio obiecti Philosophiæ traditur in Philosophia, & sic in qualibet scientia traditur definitio eorum, de quibus agit, & tamen non inde sequitur

quod essentia illorum obiectorum non possit cognosci sine illis scientiis, cum potius debeat præcognosci ante ipsas. Solum ergo traditur in scientia præsuppositivè definitio obiecti; non tamen à scientia, quæ habitus demonstrativus, & non definitivus est, sed à lumine principiorum, in quantum seminarium est illius scientiæ. Sic igitur definitio consequentiæ traditur in Logica, sed non ab ipsa Logica artificiali, quæ scientia est, sed à lumine naturali, ut seminario ipsius Logicæ. Sed quanvis hoc ita sit, necessum non est cognoscere signate, adhuc per lumen principiorum, essentiam consequentiæ ad assensum evidentem conclusionis.

24 Si vero curiose à me inquiras, quid sentiam de bonitate consequentiæ, an sit essentia, vel passio. Respondeo duplicem excogitari posse bonitatem consequentiæ primariam, & secundariam. Primaria est, quæ desumitur per ordinem ad finem proprium consequentiæ inferendi conclusionem, & convincendi intellectum ad eius assensum, & hæc consistit in illatione, & sequela necessaria conclusionis ex præmissis. Secundaria est, quæ desumitur ex conformitate cum regulis artis, & consistit in tali conformitate. Dico ergo, quod prima bonitas est essentialis, & ipsa essentia consequentiæ, & cognosci potest, in actu exercito saltem, sine Logica artificiali.

secunda vero est passio consequentia, & cognosci nequit sine Logica artificiali. Sicut in domo duplex invenitur bonitas. Prima quæ consistit in eo quod protegat ab inclementia temporis; Secunda in eo quod sit conformis regulis artis. Prima est de essentia domus, & cognoscitur per experientiam, sine arte. Secunda est passio consequuta ad essentiam, & cognosci nequit nisi à perito illius artis.

26 Sed instabis: Conformitas cum regulis artis est essentia cuiuslibet effectus artificialis: sed consequentia est effectus artificialis: ergò talis conformitas non est passio, sed essentia consequentia. Respondeo, distinguendo maiorem: est de essentia cuiuslibet effectus artificialis reduplicativè ut artificialis, concedo maiorem; specificativè sumpti, nego maiorem, & distinguo minorem: consequentia est artificialis essentialiter, & ex primario conceptu, nego maiorem: accidentaliter, & secundario, concedo maiorem, & nego consequentiam. Quia consequentia ex suo primario conceptu per prius est naturalis, quàm artificialis, prius enim homines sine arte experti sunt consequentia vim, & essentiam, quam pro illa instituerent artem, ut supra vidimus, vnde consequentia ex essentia sua non est artificialis in actu secundo, cum possit fieri sine arte; nec in actu primo, quia quod sit factibilis

per artem, & ab arte dirigibilis est passio consequuta ad essentiam, non essentia eius.

27 Obijcies Tertio: ignarus Logicæ nequit habere assensum conclusionis firmum, & evidentem: sed assensus scientificus est firmus, & evidens: ergò ignarus Logicæ nequit habere assensum scientificum: ergò neque acquirere scientiam sine Logica. Maior probatur: assensus firmus, & evidens est ille, à quo subiectum nequit facile dimoveri: sed ignarus Logicæ poterit facile dimoveri ab assensu conclusionis: ergò nequit habere assensum firmum, & evidentem illius. Minor probatur, nam si ignaro Logicæ arguatur medijs fallacijs, & paralogismis, cum nesciat illa dissolvere, facile dimovebitur ab assensu conclusionis: ergò. Confirmatur: qui evidenter non discernit inter veram demonstrationem, & paralogismum, nequit firmiter, & evidenter assentiri conclusioni: sed sine Logica nemo potest discernere inter demonstrationem, & paralogismum: ergò sine Logica nemo potest assentiri firmiter, & evidenter conclusioni.

28 Respondeo, quod sicut ignarus Logicæ præstat assensum evidentem, & firmissimum primis principijs, quia sciat dissolvere sophismata, quæ contra ea fieri possunt; & sicut ignarus Theologiæ præstat assensum firmissimum rebus fidei sine vlla formidine errandi, licet

nesciat solvere hæreticorum argumenta, quibus solent veritatem obscurare, ita similiter potest intellectus præbere assensum conclusioni firmissimum, & evidentem, quin sciat dissolvere paralogismos, & sophismata, quibus solet veritas offuscari. Ex quo tantum sequitur, quod sicut intellectus potest per fallacias, & argumenta dimoveri per accidens, & ratione subiecti ab assensu pratico fidei, & primis principijs, non autem ex natura talis assensus, quæ oppositum exigit ita similiter Philosophus, qui nesciret Logicam. Vnde ad argumentum informa respondendo, negando maiorem, ad cuius probationem, distinguo maiorem; assensus firmus, & evidens est ille, qui nequit per se, & ex natura sua facile dimoveri, concedo maiorem, per accidens, & ratione subiecti, aut ab extrinseco, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam: quæ omnia constant ex dictis.

29 Ad confirmationem distinguo maiorem: qui evidenter non discernit in exercitio, & directe inter veram demonstrationem, & paralogismum nequit evidenter assentire conclusioni, concedo maiorem; qui evidenter non discernit signate, & reflexe, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Sufficit enim ad assensum evidentem, quod in ipso exercitio,

& absque reflexione evidenter, & firmiter tendat in conclusionem motus ex præmissis illam manifestantibus, per hoc enim in exercitio discernit demonstrationem à paralogismo, per quem intellectus non ita certo, & firmiter tendit in conclusionem.

30 Obijcies quarto: ita est necessaria Logica ad actum scientificum, sicut prudentia ad actum virtuosum, sed prudentia est simpliciter necessaria ad quemlibet actum virtuosum: ergo & Logica ad quemlibet actum scientificum. Minor patet: nam sine prudentia nullus actus potest esse prudens, sed actus, qui non est prudens, nequit esse virtuosus: ergo sine prudentia nullus potest dari actus virtuosus, & consequenter erit simpliciter necessaria ad quemlibet actum virtuosum. Respondetur, negando minorem. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: sine prudentia nullus actus potest esse prudens intrinsece, nego maiorem: extrinsece, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam, ille actus est intrinsece prudens, qui est elicitus conformiter ad regulas prudentiæ, sive qui illum elicit ad ipsas attenderit expresse, sive non attenderit: ille actus dicitur etiam extrinsece prudens, qui de facto fuit elicitus dirigente prudentia; ad hoc autem, ut aliquis actus sit virtuosus,

sus, sufficit esse intrinsicè prudentem, & non requiritur esse directum de facto per regulas prudentiæ; qui enim elargitur elemosinam ex motivo misericordiæ, licet non attendat ad prudentiæ regulas, dummodo illis non contradicat, actum intrinsicè prudentem eliciet, & virtuosum, licet defectu attentionis ad regulas non sit extrinsicè prudens.

31 Sic respondent communiter RR. sed non placent, quia quilibet actus virtuosus in ratione talis essentialiter dependet à dictamine recto, & practico rationis; cum enim voluntas sit potentia cæca, in omni suo actu dependet à ratione proponente, & dictante, & consequenter in actu recto, & virtuoso à dictamine recto, & virtuoso: sed dictamen practicum rationis rectum, & virtuosum essentialiter est actus prudentiæ, scilicet actualis: ergo omnis actus virtuosus in ratione talis essentialiter dependet ab actu prudentiæ, seu à prudentia actuali. Unde melius respondeo ad argumentum, negando maiorem. Nam est clara disparitas inter Logicam respectivè ad alias scientias, & prudentiam respectivè ad virtutes morales: nam virtutes morales, cum sint actus voluntatis, quæ cæca est ex natura sua, indigent essentialiter dictamine recto, & prudenti intellectus præscribente finem, & mensuram debitam ip-

sis actibus virtutum: quod quidem dictamen formalissime est actus prudentiæ: unde actus virtutum moralium essentialiter dependent ab actu prudentiæ; attamen cæteræ scientiæ præter Logicam, cum sint actus, vel habitus intellectus, qui minimè cæcus est, non indigent facultate extranea eis præscribente principia, & motiva propria, sed per se possunt sibi præfigere propria principia, & motiva.

32 Et quidem insto argumentum. Nam sicut Logica per regulas universales dirigit cæteras scientias, ita Philosophia moralis per universales regulas dirigit prudentiam, & cæteras virtutes morales: sed tam prudentia, quam cæteræ virtutes morales possunt acquiri sine Philosophia morali: ergo cæteræ scientiæ possunt acquiri sine Logica artificiali. Consequentia patet, nam multo magis assimilatur Logica Philosophiæ morali, quam prudentiæ: liquidem Philosophia moralis dirigit per regulas universales scientificè traditas, sicut Logica: prudentia vero non ita, sed per dictamina singularia circa agibile præsens, & occurrens: ergo, si a paritate indaganda est necessitas Logicæ ad cæteras scientias, potius desumenda est paritas à Philosophia morali, quam à prudentia.

33 Obijcies quinto: effectus particularis fieri non po-

Q. XIV. Verum Logica sit simpliciter necessaria, &c. 228

est sine influxu causæ universalis: sed Logica respectu aliarum scientiarum est causa universalis: ergo sine eius influxu ceteræ scientiæ acquiri nequibunt. Distinguo maiorem: effectus particularis fieri nequit sine influxu causæ universalis effectivæ, transeat maior; sine influxu causæ universalis pure directivæ, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam, quia Logica solum est causa universalis directiva aliarum scientiarum non effectiva illarum.

34 Sed dices: probabile est apud Thomist. esse causam effectivam illarum, saltè quantum ad formam artificiosam demonstrationum: ergo in horum sententia erit Logica simpliciter necessaria. Respondeo, concedendo consequentiam; in consequentes enim iudico Thomistas illos, qui propterea affirmant Logicam concurrere effectivè ad formam artificialem demonstrationum, quia talis forma contineri nequit nisi in arte: & aliàs asserant demonstrationem simpliciter fieri posse sine arte, aut sine Logica; quo modo enim fieri poterit sine arte, quod non, nisi in arte, continetur? Et quidè ab ipsis rogo: si quis eliceret demonstrationem Philosophiæ sine concursu Logicæ, à quo tunc proveniret forma illius demonstrationis? Non sanè à Logica: ergo ab intellectu sine Logica: ergo intellectus con-

tinet formam illam sine Logica. Nec valet si dicas, demonstrationem in illo casu non fore artificialem, nec habituram formam artificialem. Non inquam, nã licet non esset artificialis in actu secundo, hoc est artefacta, esset tamèn artificialis in actu primo; hoc est artefactibilis, & haberet eandem formam intrinsecam ac si esset artefacta, siquidem constaret maiori, minori, & consequentia, extremitatibus & medio rectè ordinatis, & convincentibus intellectum, in quo illa forma intrinsecè consistit.

35 Obijcies quinto, aliquos loca D. Th. in quibus videtur asserere Logicam esse necessariam ad alias scientias acquirendas, & ut intellectus sine errore procedat. Sed facile mentem Div. Th. explicabis de necessitate secundum quid, & ad facilius, eodem modo, quo solemus dicere esse necessarium equum ad longum iter agendum, quia est necessarius ad facilius.

36 Sed urgebis ex D. August. qui lib. 2. de ordine, cap. 13 ait. *Quod sola Logica docet docere, & sola illa scientes facere potest: ergo sine Logica nemo potest fieri sciens, nec scientiam acquirere.* Respondeo, quod nulla alia scientia nisi Logica docet docere, & nulla alia scientes facere potest directivè, hoc est dirigendo ad scientiam acquirendam, ceterum non sola Logica scientes facit formalitè, & elicitive, nã quæ

libet alia scientia per se, & formalitèr facit subiectum scientiæ elicitive, & hoc licet nulla directio, sive Logicæ, sive alterius facultatis præcedat: & hoc in sensu explicandus est August. quod scilicet sola Logica scientes facere potest directivè.

Secunda, & ultima conclusio.

17 **D**ico Secūdo: *Scientia in statu perfecto, scilicet, quoad extensionem ad plurimas conclusiones intra proprios limites, acquiri potest, sine Logica artificiali.* Probat in hunc modum: sine Logica artificiali potest intellectus demonstrare, & habere scientiā vnius, vel alterius conclusionis alicuius scientiæ: ergò potest se extendere ad omnes demonstrandas. Patet consequentia, quia non est magis difficilis vna, quàm alia: ergò si potest vnam demonstrare, poterit etiam alias.

38 Confirmatur: potest intellectus demonstrare sine Logica artificiali primam passionem de essentia, quia facile inferitur ex illa: sed æque facilitèr inferitur ex prima passione secūda, & ex secunda tertia, & ex tertia quarta, &c. sicut prima ex essentia: ergò æquali facilitate poterit intellectus, demonstrata prima passione, demonstrare secundam, & demonstrata secūda, tertiam, &c. sicut demonstravit primam ex essentia. Minor patet, quia idè prima passio est

facilis demonstrari, quia immediatè inferitur: sed secunda inferitur immediatè ex prima, & tertia ex secunda etiam: ergò.

39 Quod si dicas posse ad primam, vel secundam, ceterum non posse ad omnes collectivè, quia est maior difficultas, sicut infirmus potest ad quatuor, vel quinque passus, sed non ad plures, quia est maior difficultas. Contra est, idè enim infirmus post quatuor, aut quinque passus non potest ad plures, quia potentia ambulativa per passus defatigatur, & difficilis redditur ad alios: sed intellectus per vnam demonstrationem non defatigatur, aut difficilis redditur ad ceteras: sed potius habilitatur, & facilitatur: ergò si intellectus, sine Logica potest demonstrare primam, vel secundam passionem, melius poterit, sine illa ceteras demonstrare.

40 Obijcies primo: nequit Philosophia, v. g. esse in statu perfecto, nisi habens illam sit facilis in demonstrandis passionibus eius obiecti; sed nequit in hoc esse facilis, sine Logica artificiali: ergò nec habere Philosophiā in statu perfecto, sine Logica artificiali. Minor probatur, quia nemo potest esse facilis in demonstrandis passionibus alicuius obiecti, nisi sit facilis circa formam syllogisticam: cum demonstratio essentialitèr importet talem formam syllogisticam: sed nemo potest esse fa-

silis circa formam syllogisticam, sine Logica artificiali: ergo nec in demonstrandis passionibus ullius obiecti. Probo minorem: nemo potest esse facilis circa formam artificialem, sine arte: sed forma syllogistica est forma artificialis: ergo. Secundo, quia si quis posset esse facilis ad formam syllogisticam, sine Logica artificiali, hæc non esset necessaria ad illam, adhuc secundum quid: sed hoc est contra nos: ergo. Sequela patet, quia tunc casus forma syllogistica facile haberi posset, sine Logica artificiali: sed Logica artificialis non est, adhuc secundum quid, necessaria ad id, quod sine illa facile haberi potest: ergo tunc casus Logica artificialis non esset adhuc secundum quid necessaria ad formam syllogisticam.

41 Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad eius probationem; distinguo maiorem: nemo potest esse facilis in demonstrandis passionibus alicuius obiecti, nisi sit facilis circa formam syllogisticam elicitive, seu in ordine ad illam exercendam, concedo maiorem: directive, seu in ordine ad illam docendam, nego maiorem: & distinguo minorem eodem modo. Ad cuius primam probationem distinguo maiorem: nemo potest esse facilis circa formam artificialem directive, concedo maiorem: elicitive, seu in ordine ad illam exercendam, subdistinguo:

quo: ad illam exercendam artificialiter, concedo maiorem, ad illam exercendam naturaliter, nego maiorem, & distinguo minorem: forma syllogistica est forma artificialis necessario in actu secundo; ita ut non possit fieri nisi artificialiter, nego minorem: necessario in actu primo, seu radicaliter, & in actu secundo contingenter, ita ut possit fieri naturaliter, & sine arte, concedo minorem, & nego consequentiam; quia forma syllogistica, ut ex dictis constat, per prius est opus naturæ, quam opus artis, & non habet essentialiter, quod sit artificialis in actu secundo, sed hoc est ei pure contingens: unde potest fieri naturaliter, & sine arte, & ad illam sic exercendam potest quis esse facilis per habitum Philosophiæ naturalis, aut alterius scientiæ; si, nimirum, naturaliter se exercuerit in demonstrationibus eliciendis circa illarum obiectum, licet non possit esse facilis in ordine ad illam directive, hoc est, ad illam docendam per regulas universales: quia hoc est proprium, & peculiare munus ipsius Logiciæ artificialis, quod ab alia facultate præstari non potest.

42 Ad secundam probationem, nego sequelam. Ad eius probationem, distinguo maiorem: tunc casus forma syllogistica facile haberi posset sine Logica artificiali, absolute, & ex terminis, nego maiorem;

post exercitium demonstrandi naturaliter, subdistinguo: facile haberi posset, sine Logica artificiali, & facilius cum illa, concedo maiorem: & non facilius cum illa, nego maiorem. Et sub eadem distinctione minoris, respondeo, quod secundum quid necessarium dicitur illud, sine quo finis facile, aut commode haberi non potest, absolute, & ex terminis loquendo; licet facta aliqua suppositione vincente talem difficultatem, possit facile obtineri; equus enim dicitur necessarius secundum quid ad longum iter agendum, & tamen contingere potest, quod iterfaciens sine equo per exercitium acquirat facilitatem iterfaciendi. Sic ergo Logica dicitur secundum quid necessaria ad formam syllogisticam exercendam, quamvis sine illa per exercitium continuatum possit quis esse facilis in ipsa exercenda: quia videlicet ante tale exercitium, & absolute loquendo, est difficilis exerceri sine Logica. Itemque, quia si post predictum exercitium facile exerceri potest sine ipsa; facilius tamen cum ipsa: quod sufficit ut sit necessaria secundum quid, id est, ad facilius.

43 Obijcies secundo: ex quo intellectus possit sine Logica vnam, vel alteram conclusionem demonstrare, non sequitur quod possit omnes, etiam difficilimas: sed ad ha-

bendam scientiam in statu perfecto requiritur demonstrare omnes conclusiones, etiam difficilimas: ergo ex quo possit vnam, vel alteram conclusionem demonstrare sine Logica, non sequitur posse acquirere ceteras scientias in statu perfecto sine Logica. Maior probatur: nam ex quo aliquis possit sine gratia speciali vnam, vel alteram tentationem superare, vnum, vel alterum bonum opus elicere, non sequitur quod possit omnes tentationes, etiam difficilimas, superare, & omnia opera bona, etiam ardua, exercere: ergo similiter, ex quo possit intellectus vnam, vel alteram conclusionem sine Logica demonstrare, non sequitur, quod possit ad omnes, etiam difficilimas. Confirmatur: nam iuxta Div. Thom. secundo contra Gent. cap. 75. sicut in natura infirma datur principium movens ad sanitatem, ita in natura intellectuali datur principium movens ad scientiam: sed quamvis natura possit sine medicina vnam, vel alteram infirmitatem superare, non tamen potest omnes, etiam difficilimas: ergo quamvis intellectus possit vnam vel alteram conclusionem cognoscere, non tamen omnes.

44 Respondeo primo, omnia maiori, negando minorem; nam ad scientiam in statu perfecto acquirendam non requiritur demonstrare, seu cog-

cognoscere scientificè, & absque omni errore, aliàs enim nullus habens scientiam ullam in statu perfectò, cum nullus sit qui ad tantam perfectionem accedat, ut nullam ignoret, & circa nullam erret; sed fac est plerasque conclusiones scientificè cognoscere, & sine errore, quas videlicet communiter sciunt periti in tali scientia, licet aliquas ignoret, & in aliquibus erret, uti ignorant, & errant periti: ad hoc autem non est necessaria Logica.

45 Vnde secundo respondeo, distinguendo maiorem: non sequitur, quod possit ad omnes etiam difficilimas potentia morali, concedo maiorem: potentia physica, nego maiorem: Ad cuius probationem eadem distinctione respondeo, quod ex quo possit voluntas sine auxilio speciali unum, vel alterum bonum opus morale eligere, & unam, vel alteram tentationem superare, inferunt Theologi voluntatem sine auxilio speciali habere potentiam physicam, licet cum impotentia morali ad omnia bona opera naturalia elicienda, & ad omnes tentationes superandas: unde similiter inferri potest ex eo quod intellectus possit unam, vel alteram conclusionem demonstrare sine Logica, habere potentiam physicam ad omnes: Nec obest impotentia moralis, tum, quia hæc impotentia moralis non vincitur per Logicam;

sed per gratiam; unde cum gratia, & sine Logica possit quis, etiam moraliter, omnes conclusiones scientificè, & sine errore cognoscere. Tum etiam quia ex quo id non possit moraliter sine Logica, ad summum probatur Logicam esse moraliter necessariam: moralis autem necessitas solum est necessitas secundum quid, sicut impotentia moralis est tantum impotentia secundum quid: non ergo inde probatur Logicam esse simpliciter necessariam.

46 Dico ultimo: *Cetera scientia accipiunt à Logica magnam perfectionem, & firmitatem, licet extrinsecam: unde ad hanc extrinsecam perfectionem scientiarum est Logica simpliciter necessaria.* Patet: nam quilibet scientia magis firmatur in evidentia, & certitudine, si ad hæc scientia reflexa de eo quod eius demonstrationes rectè sunt constructæ, quod liberæ sunt ab omni fallacia, & ab omni erroris periculo: sed prædicta scientia reflexa est Logica: ergo à Logica accipiunt ceteræ scientiæ magnam perfectionem & firmitatem: sed hæc est illis extrinseca, utpotè proveniens à scientia reflexa ipsis extrinseca: ergo ad hanc perfectionem extrinsecam est Logica simpliciter necessaria.

saria;

(o)

Pa

QV

QVÆSTIO VLTIMA.

Nostra conclusio

Utrum Logica, prout scientia, sit simplex & indivisibilis habitus, aut qualitas?

PRO Resolutione noto primo, dubium non esse de Logica, prout comprehendit habitum eius tam opinativum, & sophisticum, quam demonstrativum, seu scientificum, nam certum est, etiam apud Thomistas, prædictos habitus realiter distinguere inter se: solum ergo procedit de Logica ut scientia. De qua noto secundo, illam esse unitam scientiam specificè, non divisibilem in plures scientias specie distinctas. Patet, nam Logica non dividitur in plures Logicas specie distinctas, nec talis divisio in villo unquam Authore reperitur; licet enim dividatur in plures tractatus & quæstiones, tanquam in partes obiectivas, & potentiales, tamen respectu omnium tractatum, & quæstionum unicam tantum Logicam agnoscunt Authores: ergo Logica est unica scientia specificè, non divisibilis in plures scientias specie diversas. Id amplius ex dicendis constabit. Difficultas ergo restat, an huiusmodi scientia sit una per compositionem, vel per simplicitatem: an sit unicus simplex habitus, vel composita ex pluribus partialibus inter se distinctis. Pro cuius resolutione, sit.

DICO igitur: *Habitus Logicæ, quatenus demonstrativè se extendit ad omnes conclusiones sub modo sciendi contentas, est simplex & indivisibilis qualitas.* Probatum primo auctoritate Angelici Preceptoris, qui 1. 2. q. 54 art. 4. sic ait. *Si consideremus habitum secundum ea, ad quæ se extendit, inveniemus in eo quandam multipliciter ordinatur ad aliquid unum, ad quod principaliter respicit habitus, inde est quod habitus est qualitas simplex non constituta ex pluribus habitibus, etiam si ad multa se extendat.* Quid clarius? Constatque ex ipso D. Th. alijs pluribus in locis; propter quod ab omnibus Thomistis, nullo excepto, defenditur; necnon à P. Quiros, qui pro se & nostra sententia citat P. Vazquez, Rubium, Caberum, Valentiam, & Salas.

3 Deinde probatur unica, sed efficaci ratione. Habitus acquisitus per primam demonstrationem, est simplex & indivisibilis qualitas: sed habitus acquisitus per primam demonstrationem, se extendit ad demonstrandas omnes conclusiones sub modo sciendi contentas: ergo habitus Logicæ, quatenus demonstrativè se extendit ad omnes conclusiones sub modo sciendi contentas, est simplex, & indivisibilis qualitas.

Maior

Q. Ultima An Logica sit simplex & qualitas?

251

Maiores à contrarijs admittitur. Minorem probo: habitus acquisitus per primam demonstrationem se extendit ad suam conclusionem sub ratione formali modi sciendi: sed hoc ipso se extendit ad omnes conclusiones sub modo sciendi contentas: ergo habitus acquisitus per primam demonstrationem se extendit ad demonstrandas omnes conclusiones sub modo sciendi contentas. Discursus est legitimus. Premissæ restant probandæ: & imprimis probo maiorem: habitus acquisitus per primam demonstrationem, cum sit habitus Logicæ, se extendit ad demonstrandam suam conclusionem sub ratione formali specificativa Logicæ: sed ratio formalis specificativa Logicæ est modus sciendi: ergo habitus acquisitus per primam demonstrationem se extendit ad suam conclusionem sub ratione formali modi sciendi. Minor verò probatur: facultas attingens aliquod obiectum sub aliqua ratione formali est potens attingere omnia, quæ sub tali ratione formali continentur, idè enim potentia visiva est potens attingere omnia, quæ sub ratione coloris continentur, quia color est ratio formalis, sub qua attingit quodlibet obiectum, & idè intellectus est potens attingere omnia, quæ sub ratione veri continentur, quia verum est ratio formalis, sub qua attingit quodlibet obiectum: ergo hoc ipso quod habitus Logicæ acquisitus per

primam demonstrationem attingat suam conclusionem sub ratione formali modi sciendi, se extendit demonstrativè ad omnes conclusiones sub modo sciendi contentas.

4 Confirmatur primo. Vnicus, & indivisibilis habitus sufficit ad demonstrandas omnes conclusiones Logicæ: ergo superfluit habitus compositus ex pluribus habitibus partialibus; non enim sunt faciendæ per plura, quæ possunt fieri per pauciora. Antecedens probatur: habitus attingens unam conclusionem, quia contentam sub ratione formali modi sciendi est sufficiens ad attingendas omnes conclusiones sub modo sciendi contentas, sicut potentia attingens unum obiectum quia contentum sub ratione veri, est potens attingere omnia obiecta sub ratione veri contenta: sed unicus & indivisibilis habitus est sufficiens ad attingendam unam conclusionem, quia contentam sub ratione modi sciendi: ergo unicus & indivisibilis habitus est sufficiens ad attingendas omnes conclusiones sub modo sciendi contentas.

5 Urgetur: hæc conclusio: *omnis definitio est clarior suo definito* attingitur ab unico & indivisibili habitu: sed idem habitus, qui hanc conclusionem attingit, potest attingere cæteras conclusiones Logicæ: ergo idem indivisibilis, & unicus habitus est sufficiens ad attingendas omnes conclusiones Logicæ. Minor

In qua stat difficultas, probatur. Ratio formalis, quare ille unus, & indivisibilis habitus illam conclusionem attingit, est quia talis conclusio continetur sub modo sciendi: sed ceterae conclusiones Logicæ etiam continentur sub modo sciendi: ergo talis habitus est sufficiens ad attingendas ceteras conclusiones Logicæ.

6 Dices pro adversarijs, quod ratio formalis, quare ille habitus indivisibilis attingit illam conclusionem, *definitio est clarior definitio*, non est quia continetur sub modo sciendi ut sic, sed quia continetur sub tali modo sciendi, scilicet sub definitione. Unde ratio formalis sub qua illius habitus non est modus sciendi ut sic, sed talis modus sciendi, scilicet definitio.

7 Sed contra primo: ratio formalis specificativa prædicti habitus est magis extensa quam ratio formalis specificativa actus, ex quo generatur; sed actus, ex quo generatur, scilicet demonstratio circa definitionem, specificatur, tanquam à ratione formali, à definitione: ergo ratio formalis specificativa habitus debet esse magis extensa quam definitio; sed non est alia ratio formalis magis extensa quam definitio, nisi modus sciendi ut sic: ergo ratio formalis specificativa habitus est modus sciendi ut sic. Omnia patent: sola maior indiget probatione: omnis habitus est magis extensus ex

parte obiecti, quam actus tendens circa obiectum habitus: sed actus, ex quo generatur habitus, tendit circa obiectum habitus geniti: ergo habitus genitus est magis extensus ex parte obiecti quam actus, ex quo generatur, & consequenter respicit rationem formalem specificativam magis extensam. Maior, quæ sola difficilis est, probatur: potentia est magis extensa ex parte obiecti quam quilibet habitus, quia habitus sunt actualitates, & determinaciones potentiae: sed actus attingentes obiectum habitus sunt etiam actualitates, & determinaciones habitus: ergo habitus est magis extensus ex parte obiecti quam actus attingens obiectum illius.

8 Confirmatur: quo aliqua facultas magis distat ab actualitate, & exercitio, est magis in potentia, magis indifferens, & magis extensa: sed habitus magis distat ab actualitate, & exercitio quam actus, ex quo generatur, qui est ipsa actualitas, & exercitium: ergo habitus est magis in potentia, magis indifferens, & magis extensus quam actus, ex quo generatur. Maior, quæ sola difficilis est, probatur ab inductione: ideo anima est magis extensa, & indifferens quam potentia, & potentia magis extensa, & indifferens quam habitus, quia anima magis distat ab exercitio, & actualitate quam potentia, & potentia

potentia magis quam habitus; ergo, quo aliqua facultas magis distat ab actualitate, & exercitio, est magis extensa, & indifferens. Ex quo infero quod, sicut anima se extendit ad plures potentias specie diversas, & potentia ad plures habitus specie diversos, ita quilibet habitus potest se extendere ad plures actus specie diversos, & consequenter debet respicere obiectum formale extensius, & magis commune quam actus quilibet.

9 Secundo sic arguuntur, probando conclusionem: Logica est habitus cuius ratio formalis obiectiva, & specificativa est modus sciendi ut sic; omnes enim asserunt obiectum formale Logicæ esse modum sciendi ut sic; sed habitus, cuius ratio formalis obiectiva, & specificativa sit modus sciendi ut sic, non est compositus ex pluribus habitibus partialibus, sed simplex, & indivisibilis: ergo Logica est habitus simplex, & indivisibilis. Minor, in qua stat difficultas, probatur: habitus, cum sit perfectio potentia, debet cum illa proportionari, omnis enim perfectio debet proportionari cum suo perfectibili: sed potentia attingens plura obiecta sub unica ratione formali obiectiva, nequit esse composita ex pluribus potentijs partialibus: ergo habitus, cuius ratio formalis obiectiva, & specificativa sit una, scilicet modus sciendi

ut sic, nequit esse compositus ex pluribus habitibus partialibus. Hæc ratio est expressa D. Thom. loco supradicto.

10 Confirmatur: implicat, quod ratio formalis specificativa sit una, quin facultas ab illa specificata sit simplex, & indivisibilis; sed ratio formalis specificativa Logicæ est una, scilicet ratio modi sciendi ut sic: ergo Logica est simplex, & indivisibilis. Respondent aliqui, quod ratio formalis specificativa Logicæ non est una specificè, sed una tantum genericè. Sed contra, quia ratio formalis specificativa Logicæ non est divisibilis in plures rationes formales specificativas Logicæ: sed si esset una tantum genericè esset divisibilis in plures rationes formales specificativas Logicæ: ergo non est una tantum genericè, sed una specificè a thome. Maior patet, quia si darentur plures rationes formales specificativæ Logicæ etiam darentur plures Logicæ inter se specificè distinctæ, cum distinctio specifica scientiarum sumatur à distinctioe rationum formalium specificantium. Minor vero probatur: quia enim animal ut sic est unum tantum genericè est divisibile in plura animalia specie diversa, & in unum quidquid est unum genericè est divisibile in plures species eiusdem denominationis: ergo si ratio formalis specificativa Logicæ esset una tantum genericè, esset.

esset divisibilis in plures rationes formales specificativas Logicæ.

11 Confirmatur: ideò ratio formalis specificativa Logicæ esset vna tantum genericè, quia est modus sciendi vt sic, qui est tantum vnus genericè divisibilis in plures modos sciendi specie diversos: sed hæc ratio est nulla: ergò. Probo minorem: ratio formalis specificativa intellectus est verum vt sic, quod tantum est vnum genericè divisibile in plures veritates genericè distinctas, & ratio formalis specificativa voluntatis est ratio boni, quod est divisibile in plura bona maxime diversa: similiterque ratio specificativa potentie visivæ est color vt sic, qui est divisibilis in plures colores specie diversos: & tamèn nullus dixit rationem formalem specificativam intellectus esse vnam tantum genericè; nec hoc affirmavit de ratione formali specificativa voluntatis, aut potentie visivæ: ergò.

12 Tertio probatur conclusio: Logica non componitur ex pluribus habitibus, quorum ratio formalis specificativa sit modus sciendi vt sic, nec componitur ex pluribus habitibus, quorum rationes formales specificativæ sint modi sciendi particulares: ergò non componitur ex pluribus habitibus: Antecedens, quoad primam partem, patet, iam si habitus illi partiales, & compo-

nentes, respicerent pro ratione formali specificativa modum sciendi vt sic, quilibet illorum sufficeret ad attingendas omnes conclusiones sub modo sciendi contentas, vt dicebamus in prima probatione. Quoad secundam vero partem probatur: ex pluribus habitibus partialibus respicientibus distinctas rationes formales specificativas nequit componi vnus habitus totalis respiciens vnam rationem formalem specificativam: sed Logica respicit vnam rationem formalem specificativam, & habitus, quorum rationes formales specificativæ essent modi sciendi particulares, haberent distinctas rationes formales specificativas: ergò Logica nequit componi ex illis. Maior, in qua stat difficultas, probatur: ideò ex Philosophia, & Methaphisica, & Logica, & Mathematica, &c. non potest componi vna scientia, nec habitus vnus, qui respiciat vnam rationem formalem specificativam, quia prædictæ scientiæ particulares respiciunt distinctas rationes formales specificativas: ergò ex pluribus habitibus respicientibus distinctas rationes formales specificativas nequit componi habitus totalis respiciens vnam rationem formalem specificativam.

Solvantur argumenta.

13 **A**Dversam sententiã sequitur Scotus, cum suis, & plerique PP. Societatis. In quorum favorem argues primo: habitus genitus per primam demonstrationem non faciliat ad omnes demonstrationes logicas: ergo ultra illum sunt necessarii in Logica plures habitus partiales. Probatur antecedens: habitus genitus per primam demonstrationem non potest facilitare ad demonstrationes dissimiles ei, à qua genitus fuit: sed in Logica dantur plures demonstrationes dissimiles primæ demonstrationi: ergo habitus genitus per primam demonstrationem non faciliat ad omnes demonstrationes logicas. Confirmatur: habitus genitus per actum circa definitionem solum potest facilitare ad actus circa definitionem: ergo sunt necessarii alij habitus, qui facilitent ad divisionem, & argumentationem. Probatur antecedens: habitus solum potest facilitare ad actus similes illi actui, per quem genitus fuit: sed soli actus circa definitionem sunt similes actui circa definitionem, per quem habitus genitus fuit: ergo prædictus habitus solum potest facilitare ad actus circa definitionem.

14 Respondeo, negando antecedens. Ad probationem distinguo maiorem: non potest facilitare ad demonstrationes

dissimiles ei, per quam genitus fuit, si sint dissimiles in ea ratione, quæ per se respicitur ab habitu, concedo maiorem: si sint dissimiles in ea ratione, quæ materialiter, & ratione alterius respicitur ab habitu, nego maiorem; & distinguo minorem: dantur plures demonstrationes dissimiles primæ demonstrationi in ea ratione, quæ per se, & formaliter respicitur ab habitu; nego minorem: in ea ratione, quæ materialiter, & ratione alterius respicitur ab habitu, concedo minorem; & nego consequentiam. Itaque demonstratio circa definitionem, & demonstratio circa syllogismum in una ratione conveniunt, & in alia differunt. Conveniunt in ratione demonstrationis logicæ habentis pro obiecto modum sciendi. Differunt in ratione talis demonstrationis logicæ habentis pro obiecto: talem modum sciendi in particulari. Hæ autem demonstrationes non respiciuntur ab habitu sub rationibus particularibus, in quibus differunt; sed sub ratione communi demonstrationis logicæ, in qua similes sunt, & conveniunt.

15 Ad confirmationem similiter, respondeo negando antecedens. Ad eius probationem distinguo maiorem: solum potest facilitare ad actus similes in ea ratione, quæ per se respicitur ab habitu, concedo maiorem: in ea ratione quæ materialiter, & per aliam respi-

citur ab habitu, nego maiorem: & distinguo minorem eodem modo, negoque consequentiam: quia licet demonstratio circa definitionem, & demonstratio circa syllogismum non sint similes inter se in ea ratione, qua particulariter differunt, sunt tamen omnino similes in ratione communi modi sciendi, sive demonstrationis logicæ, & in hac rationi nullatenus differunt: ratio vero, quæ per se, & formaliter respicitur ab habitu solum est ratio communis demonstrationis logicæ: vnde habitus facilitans ad vnam demonstrationem, facilitabit etiam ad omnes ei similes in ratione communi demonstrationis logicæ: facilitabit ergo ad omnes logicas demonstrationes.

16 Replicabis: habitus genitus per demonstrationem circa definitionem non respicit sua objecta sub ratione communi modi sciendi, sed sub ratione differentiali: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: habitus genitus per prædictam demonstrationem non potest respicere rationem formalem magis extensam quam actus, per quem genitus fuit; sed actus, per quem genitus fuit, respicit sua objecta sub ratione differentiali definitionis: ergo ipse habitus nequit respicere sua objecta sub ratione communi, & magis extensa, scilicet, modi sciendi vt sic. Probatur minor: effectus aliquius causæ non potest se exten-

dere magis quam sua causa: sed demonstratio, quæ est causa habitus, non extenditur ad rationem communissimam modi sciendi: ergo nec habitus qui per illam causatur.

17 Respondeo, negando antecedens. Ad eius probationem, nego maiorem. Ad eius probationem, distinguo maiorem: effectus non potest se extendere magis, quam sua causa, sub ea ratione sub qua causatur: concedo maiorem: sub ea ratione sub qua non causatur, nego maiorem, & distinguo minorem: demonstratio, quæ est causa habitus, sub ea ratione, sub qua causatur, non se extendit ad rationem communissimam modi sciendi: nego minorem: sub ea ratione sub qua non causatur, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque demonstratio circa definitionem causat habitum, non sub ratione talis demonstrationis, sed sub ratione communi demonstrationis logicæ: sub ratione autem communi demonstrationis logicæ respicit pro objecto formali modum sciendi vt sic, vnde nihil mirum, quod habitus, qui causatur per illam, sumptam sub ratione communi demonstrationis logicæ, prædictum objectum respiciat.

18 Sed instabis: prædicta demonstratio sub ratione communi demonstrationis logicæ generat habitum: ergo etiam generat habitum sub ra-

ratione particulari talis demonstrationis. Pater consequentiam quare demonstratio sub ratione communi secunda erit ad generandum habitum, & infecunda sub ratione particulari? Imprimis in isto argumentum. Cognitio formicæ sub ratione communi cognitionis est potens specificare potentiam: ergo etiam sub ratione particulari? Mala consequentia. Quare ergo sub ratione communi est potens specificare potentiam, & non sub ratione particulari? Respondeant contrarij, & eorum solutionem applicabimus argumento. Pro omnibus ergo respondeo, concedo antecedenti, negando consequentiam. Et ad probationem dico, quod cum habitus, & potentia ex sua natura sint magis extensi, quam actus, ut vidimus inter probandam conclusionem, non possunt specificari, nec generari ab actibus sub ratione particulari; quia alijs in extensione non excederent ipsos actus. Quapropter actus sub dicta ratione, sicut infecundi sunt ad specificandam potentiam, ita infecundi sunt ad generandum habitum.

19 Argues secundo: facilitas circa definitionem realiter distinguitur à facilitate circa divisionem: ergo in Logica dantur plures facilitates, & consequenter habitus realiter distincti. Probatur antecedens: potest aliquis esse facilis ad definiendum, & habere difficul-

tatem ad dividendum: ergo facilitas ad definitionem realiter distinguitur à facilitate circa divisionem. Respondeo, negando antecedens. Ad eius probationem distinguo antecedens: potest aliquis esse facilis circa definitionem, & habere difficultatem formalem, & intrinsicam circa divisionem, nego antecedens: & habere difficultatem materiale, & extrinsecam, concedo antecedens, & nego consequentiam.

20 Explicatur solutio: duplex est impotentia; alia formalis, & intrinseca: alia materialis, & extrinseca. Prima provenit ex defectu virtutis, & capacitatis. v.g. impotentia, quam habet oculus ad videndum, quæ intrinseca, & formalis est. Secunda provenit ex defectu materie vel applicationis, aut dispositionis ipsius. V.g. impotentia, quam quis habet in tenebris ad videndum, quæ extrinseca, & materialis est. Sic similiter est duplex difficultas; alia intrinseca, & formalis; extrinseca, & materialis alia. Prima est, quæ provenit ex defectu promptitudinis, inclinationis, & habilitatis ex parte subiecti, quantum est ex parte sua. Secunda est, quæ provenit ex defectu materie, aut dispositionis ipsius. Sicut ergo, qui est in tenebris, solum habet impotentiam materiale, & extrinsecam ad videndum, quæ non auferatur per novam potentiam, sed per

per dispositionem coloris, media luce, ut videatur: ita pariter qui tantum elicuit actum circa definitionem, tantum habet circa divisionem difficultatem materiale, & extrinsecam, ad quam auferendam non requiritur nova facilitas, aut novus habitus, sed sufficit dispositio specierum, & illarum ordinatio, quæ se tenet ex parte materiæ.

21 Per quod patet ad tertium argumentum, quod solet sub hac forma proponi: potest aliquis habere habitum scientiæ circa primam conclusionem, quin habeat habitum scientiæ circa secundam: ergo habitus scientiæ circa primam realiter distinguitur ab habitu scientiæ circa secundam. Probat-ur antecedens: potest habere habitum scientiæ circa primam, & habitum erroris circa secundam: ergo potest habere habitum scientiæ circa primam, & illum non habere circa secundam. Patet inquam solutio, distinguendo antecedens: quin habeat habitum scientiæ circa secundam intrinsece, & quoad entitatem, nego antecedens: extrinsece, & quoad applicationem materiæ, concedo antecedens, & nego consequentiam. Et ad probationem distinguo antecedens: potest habere habitum erroris circa secundam debite applicatam, nego antecedens: defectu applicationis, concedo antecedens, & nego consequentiam in sensu iam dicto.

Sicut enim potest aliquis habere habitum fidei circa unum mysterium debite promulgatum, & habitum erroris circa aliud nondum promulgatum, quin ex hoc sequatur esse necessarium alium habitum fidei ad prædictum mysterium credendum, sed sufficit sola promulgatio illius, ut habitus fidei præexistens ad illud extendatur, ita similiter, etsi detur habitus erroris circa secundam conclusionem nondum debite applicatam, non requiritur ad illam novus habitus, sed sufficit debita ordinatio, & applicatio specierum, qua posita, habitus præexistens ad illam extenditur.

22 Argues quarto: secunda demonstratio generat habitum: non eundem, quem generavit prima: ergo alium distinctum: ergo in Logica dantur habitus distincti. Maior probatur: secunda demonstratio est eiusdem virtutis, ac prima: sed prima propter suam virtutem generat: ergo & secunda. Respondeo negando maiorem. Ad cuius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: secunda propter suam virtutem præcise generat, nego minorem: & ulterius quia habitus non supponitur productus, concedo minorem, & nego consequentiam, quia secunda demonstratio, licet ex se habeat virtutem ad generandum habitum Logicæ, cum tamen illum inveniat productum, illum non producit.

23 Sed dices : omnis actio debet habere terminum: ergò illa demonstratio debet aliquem terminum producere. Respondeo, distinguendo antecedens: omnis actio debet habere terminum, quem producat, vel perficiat, concedo antecedens: quem semper producat, nego antecedens, & consequentiam; & instatur in sententia contrariorum, in qua secunda demonstratio solo numero distincta à prima non generat novum habitum, sed solum habitum præexistentem perficit, & intendit. Sic similiter nos dicimus, secundam demonstrationem non producere novum habitum, sed præexistentem extendere ad novam conclusionem.

24 Argues quinto: in Logica dantur plures actus specificè & formalitèr distincti: sed habitus specificantur ab actibus: ergò in Logica dantur plures habitus specificè distincti. Probat maior: Actus, quorum motiva formalia sunt distincta, sunt actus specificè, & formalitèr distincti: sed in Logica dantur plures actus, quorum motiva formalia sunt distincta: ergò in Logica dantur plures actus specificè & formalitèr distincti. Probo minorem: actus, quo demonstrantur proprietates definitionis, habet pro motivo formali naturam definitionis, & actus, quo demonstrantur proprietates argumen-

tationis, habet pro motivo formali naturam argumentationis: sed natura definitionis & natura argumentationis sunt motiva formalia distincta: ergò in Logica dantur actus, quorum motiva formalia sunt distincta.

25 Respondeo, distinguendo maiorem: in Logica dantur plures actus specificè & formalitèr distincti in ea ratione, quæ per se, & formalitèr specificat habitum, nego maiorem: in alijs rationibus, concedo maiorem, & distinguo minorem: habitus specificantur ab actibus sub ea ratione, quæ per se respicitur ab habitu, concedo minorem: sub alia ratione consideratis, nego minorem; & consequentiam. Ad probationem concedo præmissas, & distinguo consequens vt supra: ex quo nihil contra nos, qui non negamus in Logica dari actus specificè, & formalitèr distinctos, habentesque motiva formalia distincta, cæterum dicimus quod tam actus quam motiva formalia eorum non distinguuntur formalitèr in ratione, quæ per se, & formalitèr respicitur à Logica: vnde distinctio, quæ est formalis, & specifica inter ipsos actus, & motiva eorum, de materiali se habet respectu Logicæ.

26 Explicatur hoc: sicut enim cognitio hominis, & cognitio formicæ inter se specificè, & formalitèr distinguuntur, cæterum ex hoc non sequitur,

tur, quod potentia cognoscitiva eadem non possit utramque cognitionem elicere, licet potentia ab actibus specificetur, & hoc, non alia ratione, nisi quia illae cognitiones non respiciuntur per se, & formaliter à potentia sub rationibus differentialibus, sed tantum sub ratione communi cognitionis, sub qua tunc potius unum, quam plura; ita, & ob eandem rationem, licet actus, quo assentimur uni conclusioni, & actus, quo assentimur alteri, inter se sint specie, & formaliter distincti, quia tamen talis distinctio materialiter respicitur ab habitu, ratio autem communis modi sciendi est quae per se, & formaliter respicitur, in qua omnino conveniunt illi assensus, & eorum motiva, inde est, quod, licet habitus specificetur ab actibus, non requiritur multiple habitus ad illos assensus, sed sufficit unus, & indivisibilis.

27 Sed replicabis: Logica agit per se de definitione prout formaliter distincta à divisione: ergo definitio respicitur à Logica, non solum sub ratione communi modi sciendi, sed etiam sub ratione differentiali. Antecedens probatur: primo, quia Logica per se definit ipsam definitionem: ergo per se considerat non solum illius rationem communem, & genericam modi sciendi, sed etiam rationem specificam, & differentialem; definitio enim traditur

per genus, & differentiam: ergo Logica per se agit de definitione prout distincta à divisione. Secundo quia Logica per se, & formaliter demonstrat, non solum proprietates modi sciendi communes, sed etiam proprietates speciales definitionis; sed proprietates speciales definitionis non possunt demonstrari, nisi de definitione prout distincta à divisione: ergo Logica per se, & formaliter agit de definitione, ut distincta à divisione.

28 Respondeo, distinguendo antecedens: Logica per se agit de definitione prout distincta à divisione, distinctione se habente, ut ratione motiva Logicæ ad agendum de definitione, nego antecedens: distinctione se habente, ut ratione terminativa Logicæ, concedo antecedens: & nego consequentiam. Ad primam probationem antecedentis, dico quod solum probat differentiam definitionis à divisione esse rationem quae terminativam Logicæ, non autem esse rationem motivam, quare Logica agit de ipsa definitione, aut illius differentia. Idemque dico de secunda probatione; ex illa enim solum sequitur Logicam respicere per se definitionem, ut distinctam à divisione, non autem quod ratio movens Logicam ad agendum de definitione sit ratio specialis definitionis; alias enim Logica præcise ageret de definitione. Cum autem Logica agit de

modo sciendi; & de omni eo, quod sub illo continetur, planè colligitur rationem formalem motivam Logicæ esse rationem modi sciendi ut sic.

29 Sed vrgebis: Ratio formalis motiva Logicæ ad assentiendum huic conclusioni, *definitio est clarior suo definito*, non est modus sciendi, sed ratio specialis definitionis: ergò ratio formalis motiva Logicæ non est modus sciendi ut sic. Antecedens probatur, nam si Logico interrogas, quare definitio est clarior suo definito, non respondebit, quia est modus sciendi, sed quia explicat essentiam illius, in quo consistit ratio specialis definitionis; ergò.

30 Respondeo primo, instando argumentum, nam si queramus ab intellectu, quare homo est risibilis, respondebit sanè, non quia est ens verum, sed quia est rationale: ergò ratio motiva intellectus, non erit ratio entis veri, sed ratio rationalis. Mala consequentia, quia licet intellectus ad cognoscendum hominem esse risibilem moveatur à rationalitate, & non à ratione communi entis veri, tamèn ratio, quare intellectus est potens ad rationem assensum aut cognitionem eliciendam, non est, quia homo sit risibilis, licet enim homonec esset rationalis, nec risibilis, adhuc posset intellectus illud cognoscere, si esset ens verum; Ratio ergò prima motiva in-

tellectus est ratio veri. Ita similiter nos dicimus, quod, quando Logica assentitur prædictæ conclusioni, talis conclusio pertinet ad Logicam, non quia definitio est; licet enim esset divisionis, adhuc pertineret ad Logicam; sed quia continetur sub modo sciendi, qui est obiectum adæquatum Logicæ.

Obijcies ultimo: ideò Logica habitualis esset simplex qualitas, quia est perfectio potentia & consequenter debet proportionari cum illa in simplicitate; sed hæc ratio est nulla: ergò. Probo minorem, Logica actualis est perfectio potentia, & tamèn est composita ex pluribus actibus; ergò licet Logica habitualis sit perfectio potentia, poterit esse composita ex pluribus habitibus. Respondeo, distinguendo maiorem; ideò precise, nego maiorem; & quia attingit omnia sua obiecta sub unica ratione formali; concedo maiorem, & nego minorem. Ad cuius probationem dico, quod licet Logica actualis sit perfectio potentia, non tamèn respicit sua obiecta sub unica ratione formali; sicut potentia ipsa, unde non debet proportionari cum potentia in simplicitate, at vero Logica habitualis respicit omnia sua obiecta sub unica ratione formali; ac per consequens debet, sicut potentia, propter eandem rationem, esse simplex & indivisibilis habitus.

TRACTATUS SECVNDVS,

DE ENTE RATIONIS.



Nvitus, Et contra propriam sententiam hic de ente rationis in communi sermonem instituo; nam re ipsa potius ad Metaphisicam, quam ad Logicam pertinebat; quamvis enim obiectum Logicæ sit ens rationis, non tamen est ens rationis in communi, sed tale ens rationis, nimirum artificium obiectivum modi sciendi, non quidem sub ratione entis rationis; nam quod sit ens rationis per accidens se habet ad obiectum Logicæ, ut supra dicebamus, sed sub ratione modi sciendi; hoc autem non sufficit, ut ad Logicam per se pertineat agere de ente rationis ut sic; obiectum enim Philosophiæ est quoddam ens reale, scilicet ens mobile; & tamen ad Philosophiam minimè spectat agere de ente reali ut sic. Nilominus tamen consuetudini morem gero.

QVÆSTIO I.

An dentur entia rationis.

ENS Rationis sic communiter definitur est quod tantum habet esse obiective in intellectu. Pro cuius definitionis plena intelligentia, nota, quod intellectus communiter, præcipuè apud Antiquos, ratio vocatur, unde ens rationis, si illius etymologiam attendamus, idem significat, ac ens intellectus, sive ab

intellectu dependens. Potest tamen aliquid ab intellectu tripliciter dependere, primo effectivè, & hoc modo ab eo dependet quidquid ab eo efficitur, aut producitur: v. g. habitus acquisiti, & actus elicit. Secundo subiectivè, & hoc modo dependet ab intellectu, quidquid in eo per modum accidentis recipitur tamquam in subiecto: v. g. species, & habitus. Tertio obiectivè, & hoc modo dependet ab intellectu quidquid ei obijciatur, aut representatur. *Ceterum*

ex his, quæ possunt intellectui representari, alia habent esse extra intellectum in se ipsis, vel possunt illud habere vere, & realiter, alia nullibi possunt habere verum esse, nec in se ipsis, nisi tantum obiective, & intensionaliter in intellectu. Ens ergo rationis hoc ultimo modo se habet; est enim *quod tantum habet esse obiective in intellectu.*

2. Sed dices: entia possible vel futura tantum habent esse obiective in intellectu, siquidem nondum existunt à parte rei; & tamen non sunt entia rationis, sed realia: ergo male definitur ens rationis *quod tantum habet esse obiective in intellectu.* Respondeo, vel negando maiorem, quia licet in se ipsis non habeant esse à parte rei, tamen habent esse in suis causis, scilicet in causa prima, in qua continentur. Vel secundo, & melius, distinguendo maiorem: tantum habent esse obiective in intellectu actualiter, transeat: aptitudinaliter, nego maiorem, & consequentiam; quia verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem, unde idem valet prædicta definitio, ac si diceretur *quod tantum aptum est esse obiective in intellectu*; entia vero possible non tantum apta sunt esse obiective in intellectu, sed

possunt esse à parte rei.

His suppositis

si

Nostra conclusio.

DICO Igitur: *Dantur entia rationis. Est cõmunissima inter AA.* & merito sanè, nam eam expresse docet Arist. lib. 4. Metaph. cap. 2. & Div. Thom. 1. p. quest. 16. artic. 3. & alibi. Probatumque ratione brevi: ens rationis est, quod tantum habet esse obiective in intellectu; sed dantur plura quæ tantum habent esse obiective in intellectu: ergo dantur entia rationis. Minor probatur: quod apprehenditur ab intellectu, & nullum esse habet in rerum natura, tantum habet esse obiective in intellectu; sed dantur plura, quæ apprehenduntur ab intellectu, & nullum habent esse in rerum natura, ut sunt, *altem Deus, homo irrationalis, hircocervus, &c.* ergo dantur plura, quæ tantum habent esse obiective in intellectu.

4. Non obstante claritate huius rationis, non desunt, qui entia rationis, negare audeant; pro quibus argues; si darentur entia rationis, essent simul veræ duæ contradictoriæ; hoc est impossibile: ergo non dantur entia rationis. Sequela probatur: si darentur entia rationis, essent veræ istæ duæ propositiones: *Negatio entis rationis est ens rationis; negatio entis rationis; nõ est ens rationis*; sed istæ sunt contradictoriæ: ergo essent veræ duæ contradictoriæ. Maior probatur, quia im-

Q 2.

pri-

primis negatio entis rationis est ens rationis, cum omnis negatio sit ens rationis. Deinde non est ens rationis, quia negatio alicuius non est id ipsum cuius est negatio: ergo utrumque esset verum, & esse, & non esse ens rationis;

5 Respondeo negando maiorem. Ad probationem distinguo maiorem: essent veræ illæ propositiones in diverso sensu, concedo maiorem; in eodem sensu, nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Quia negatio entis rationis potest sumi, vel remote, vel ut concepta ad modum formæ positivæ: primo modo verum est dicere quod non est ens rationis, secundo vero modo est ens rationis: unde verumque est verum, sed in diverso sensu, in quo unum non est contradictorium alteri.

6 Sed contra instabis primo; quia adhuc negatio entis rationis sumpta positivè non potest esse id ipsum cuius est negatio, sicut negatio visus adhuc sumpta positivè non potest esse visus ipse, cuius est negatio: ergo negatio entis rationis adhuc sumpta positivè non potest esse ens rationis. Distinguo consequens: non est ens rationis ipsum cuius est negatio, concedo consequentiam; aliud cuius non est negatio, nego consequentiam; quia dum negatio entis rationis concipitur positivè, aliud est ens ratio-

nis, cuius negatio concipitur: aliud ens rationis quod fit exercitè in tali conceptu: nulla autem est contradictio in eo quod negatio entis rationis non sit ens rationis, quod per ipsam negatur, & sit aliud ens rationis, quod in ipsa fundatur.

7 Sed instaurabis argumentum: demus quod negatio concepta sit negatio omnis entis rationis: imprimis talis negatio positivè concepta est aliquod ens rationis; deinde nullum est ens rationis, siquidem est negatio omnis entis rationis, & non potest esse id ipsum, cuius est negatio, adhuc positivè concepta, sicut negatio lucis, adhuc positivè concepta, non potest esse ipsa lux, cuius est negatio: ergo simul talis negatio positivè concepta est aliquod ens rationis, & nullum est ens rationis; in quo manifestè involvitur contradictio.

8 Respondeo quod talis negatio solum potest esse negatio omnis entis rationis signatè concepti, non autem potest esse negatio entis rationis exercitè facti in conceptu talis negationis, siquidem dum intellectus positivè concipit negationem omnis entis rationis, non concipit negationem ipsius entis rationis, quod exercitè fingitur tali conceptu, sed solum omnis entis rationis præter id ipsum, quod tali conceptu fingitur. Huius ratio est; quia idem conceptus non potest reflectere supra

se ipsum; ut communis fert Thomistarum sententia, & consequenter, nec supra ens rationis à se ipso exercitè fictum: Vnde sicut idem conceptus propter hanc rationem non potest concipere negationem sui ipsius, ita nec potest concipere negationem entis rationis à se ipso exercitè ficti. Ex qua doctrina in forma ad instantiam respondeo, distinguendo maiorem: talis negatio est aliquod ens rationis exercitè fictum in sui conceptu, concedo maiorem, est aliquod ens rationis signatè negatum, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia solum dari, vel admitti potest negatio omnis entis rationis signatè concepti, non autem quæ sit negatio etiam entis rationis exercitè ficti in sui ipsius positivo conceptu, siquidem, nec positivè concipi potest unico conceptu negatio entis rationis exercitè ficti eodem ipso conceptu propter dicta.

9 Quod si dicas: concipere possumus id, de quo loquimur; sed loquimur de negatione omnis entis rationis, etiam exercitè ficti; ergo concipi potest talis negatio. Respondeo, distinguendo maiorem: concipere possumus id, de quo loquimur, diversis conceptibus, concedo maiorem; semper unico & indivisibili conceptu, nego maiorem, & concessa

minori, nego consequentiam. Quia, dum loquutio nostra importat reflexionem, non potest concipi quod loquimur unico, & indivisibili conceptu, ne idem conceptus reflectat supra se ipsum: ac proinde in casu presenti vno conceptu concipitur negatio omnis entis rationis signatè, & alio concipitur negatio entis rationis exercitè ficti in negatione omnis entis rationis positivè concepta: & si opus esset cognoscere iterum negationem huius secundæ negationis positivè conceptæ, necessarius foret alius conceptus iterum reflexus, & sic in infinitum, quia intellectus est infinitus in reflectendo supra suos actus & conceptus.

10 Secundo instabis contra principalem solutionem: negatio entis rationis remotivè sumpta non est ens rationis, ut fatemur; sed aliunde est ens rationis remotivè sumpta: ergo in eodem sensu est, & non est ens rationis. Minor probatur; quia remotivè sumpta non est realis: ergo est aliquid rationis: ergo est ens rationis. Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo antecedens non est realis positivè, concedo antecedens; non est realis remotivè, subdividuo, quatenus negat à parte rei existentiam entis rationis, nego antecedens, quia sic realitè removeret à reru

natura ens rationis : quatenus negat existentiam entis rationis obiectivè in intellectu , concedo antecedens : & de illa in hoc sensu distinguo consequens : ergo est aliquid rationis positivè , nego consequentiam ; remotivè , concedo consequentiam . Quia quatenus negat existere à parte rei ens rationis , talis negatio est vera & realis remotivè , quia realitèr removet ens rationis ne existat à parte rei ; quatenus vero negat ens rationis existere obiectivè in intellectu est remotivè rationis & obiectiva , quatenus removet obiectivè in intellectu existentiam entis rationis . Et hoc pacto , nec est realis positivè , nec aliquid rationis positivè , sed tantum remotivè est rationis . Etenim sicut dantur obiectivè in intellectu entia rationis , ita censeo dari obiectivè in intellectu negationes rationis remotivè , quando , scilicet , vel aliquid obiectivè in intellectu non existit , vel exercitè negatur existere .

11 Obijcies secundo : quidquid potest esse obiectivè in intellectu potest existere à parte rei : ergo nihil datur quod tantum habeat esse obiectivè in intellectu , & consequenter non datur ens rationis . Antecedens probatur : quidquid potest esse obiectivè in intellectu potest fieri à Deo , & non est ipsi Deo impossibile : ergo potest existere à parte rei .

Antecedens probatur : quidquid potest esse obiectivè in intellectu , potest exprimi verbo mentis , & oris ; sed ut dicitur Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne Verbum* : ergo quidquid potest esse obiectivè in intellectu non est Deo impossibile .

12 Respondeo negando antecedens . Ad probationem , nego antecedens . Ad probationem concessa maiori , explico minorem : non erit impossibile apud Deum omne verbum Dei dicentis , concedo minorem ; hominis fingentis , nego minorem ; nam Angelus in prædictis verbis conabatur firmare , & roborare fidem Virginis : ad hoc autem impertinens erat loqui de verbo hominis fingentis , dicendo , non esse impossibile Deo quod tali verbo dicitur , quia fides Virginis non nitebatur verbis hominum ; nitebatur autem verbis Dei , & ideo sensus Angeli erat , quod nullum Dei verbum erit impossibile apud ipsum .

13 Obijcies tertio : si posset intellectus concipere impossibile , posset concipere aliquid melius Deo , cum hoc sit impossibile ; sed nequit concipere aliquid melius Deo , nam Deus est id , quo nihil melius excogitari potest : ergo nequit concipere impossibile : ergo est possibile quidquid concipit ; & consequenter non da-

tur ens rationis. Respondeo, distinguendo maiorem: posset concipere aliquid melius Deo, re ipsa melius, nego maiorem; fictè melius, concedo maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Nam Deus adeò est infinite magnus, ut quantumvis intellectus conetur aliquid magnum concipere, & cogitare, sivè possibile, sivè impossibile, illud re ipsa infinite erit minus Deo; & hoc in sensu Deus est id, quo nihil melius excogitari potest, licet possit intellectus fingere illud esse melius Deo.

14 Obijcies quarto: omne ens distinctum à Deo habet causam; sed ens rationis causam non habet; ergò non datur. Minor probatur: si causam haberet maxime intellectum; sed intellectus nequit causare ens rationis: ergò. Minor probatur: causa realis nequit causare aliquid rationis; sed intellectus est causa realis: ergò nequit causare ens rationis. Respondeo; concessa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem, nego etiam minorem. Ad cuius probationem distinguo maiorem: causa realis nequit causare aliquid rationis, vere & realiter influendo, concedo maiorem; improprie, & metaphoricè influendo, nego maiorem; & concessa minori, nego consequentiam, vel disting-

guo consequens, ut supra. Quia licet intellectus sit causa realis, eo quod realiter existat à parte rei, tamen cum propter suam subtilitatem possit fingere quodlibet obiectum, potest influere fingendo intentionaliter, quiquidem influxus est metaphoricus, & improprius, & cum ita influit, non causat ens reale, sed rationis.

15 Sed dices: intellectus non potest influere, nisi realiter & vere; sed vere & realiter influendo, per nos nequit causare aliquid rationis: ergò intellectus nullo modo potest causare ens rationis. Maior probatur: nam influxus intellectus semper est verus & realis: ergò intellectus non aliter potest causare, nisi vere & realiter influendo. Antecedens probatur primo; quia influxus intellectus est cognitio; sed cognitio est vera & realis: ergò influxus intellectus est verus & realis. Secundo: quia influxus intellectus in ens rationis est fictio; non fictio impropria & metaphorica: ergò vera & realis, & consequenter influxus erit verus, & realis.

16 Respondeo, negando maiorem. Ad cuius probationem nego antecedens. Ad cuius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: cognitio est vera & realis in esse cognitionis, concedo minorem; in esse influxus, nego

minorem & consequentiam; idemque respondeo ad secundam, concessa enim maiori, distinguo minorem; non est fictio impropria, & metaphorica in esse fictionis, concedo minorem; in esse influxus, nego minorem, & consequentiam ultimam. Et quidem, instatur manifestè argumentum: homo pictus est imago hominis; sed imago hominis est vera, & realis: ergò homo pictus est verus & realis. Hæc enim est mala consequentia, quia veritas, & realitas in minori appellat supra rationem imaginis, quæ vera, & realis imago est, in consequentia vero appellat supra rationem hominis, qui verus homo non est, sed pictus; ita similiter, licet cognitio sit vera, & cognitio sit influxus, non tamen est influxus verus & realis, quia veritas, & realitas cadit supra cognitionem sub ratione cognitionis, non vero supra illam sub ratione influxus; quia ut sit verus, & realis influxus non sufficit quod sit vera cognitio, sed quod tribuat effectui verum, & reale esse.

QUESTIO II.

Utrum ens rationis consistat in aggregato ex extremis realibus, & cognitione ea falso adunante?

• **PLURES RR.** quales sunt Herice, & Sfor:

tia, P. Lince, & novitèr P. Tyrasso, pro se referens Antonium Perez, & P. Vazquez, asserunt: ens rationis nihil aliud esse, quam complexum ex extremis repugnantibus, & cognitione ea falso adunante, ita ut hoc ens rationis, *hircocervus*, v. g. præcisè involvat ex parte obiecti hircum & cervum, & rursus cognitionem adunantem falsò hæc extrema. Cùm autem tam extrema, quam cognitio sint entia realia, asserunt: ens rationis nihil involvere ab ente reali distinctum.

Sed contraria sententia communis est inter Auctores utriusque Scholæ, pro ea videndi sunt ex Thomistis Collegium Div. Thom. Complutense, cum M. Froilan, & ex Iesuitis P. Izquierdo, in Pharo;

Nostra conclusio probatur.

2 **D**ICO Igitur: *Ens rationis non consistit in aggregato ex extremis realibus, & cognitione ea falso adunante.* Probatur primo; quia ens rationis nequit realiter existere; sed aggregatum ex pluribus extremis realibus, & cognitione ea falsò adunante potest realiter existere: ergò in eo non consistit ens rationis. Minor, in qua est difficultas, probatur: prædictum aggregatum adæquate constat cognitione, & extre-

missi

mis; sed tam cognitio, quam extrema vere, & realiter existere possunt: ergò prædictum aggregatum vere, & realiter existere potest.

3 Confirmatur: vel hoc ens rationis *hircocervus*, nihil involvit præter hircum, & cervum, & cognitionem intellectus, vel aliquid præter hoc involvit. Si hoc secundum: ergò non consistit ens rationis in aggregato ex illis tribus; sed in aliquo distincto ab illis. Si primum: ergò ens rationis vere, & realiter existit. Probat; nam tam hircus, quam cervus, & cognitio vere, & realiter existunt: ergò si ens rationis, *hircocervus*, v. g. nihil præter hæc involvit, vere, & realiter existet. Urgetur: implicat quod vere, & realiter existant omnia constitutiva alicuius constituti, quin constitutum vere, & realiter existat, quandoquidem nihil aliud est constitutum, quam omnia eius constitutiva; sed si *hircocervus*, v. g. constituitur præcise, & adæquate per hircum, & cervum, & cognitionem, omnia eius constitutiva vere, & realiter existunt: ergò & ipse *hircocervus*, quod est impossibile.

4 Quod si dicas: hircocervum constitui per hircum, & cervum, non ut distinctos, sed ut unitos, & identificatos, quo modo non possunt realiter existere. Contra est; nam vel

hircus, & cervus ut uniti, & identificati involvunt aliquid distinctum à cognitione, & se ipsis ut distinctis, vel nihil aliud involvunt. Si primum: ergò iam constituitur *hircocervus* per aliquid distinctum ab hircu, & cervo, & cognitione. Si secundum: ergò hircus, & cervus ut uniti possunt realiter existere propter rationem factam.

Solvuntur argumenta;

5 **O**BJECIES Primo: Licet omnia constitutiva rei sint incorruptibilia, stat optime quod res constituta sit corruptibilis: ergò similiter, licet omnia constitutiva alicuius entis sint realia, & possint realiter existere, stat optime, quod illud ens constitutum sit rationis, & non possit realiter existere. Antecedens probatur: nam omnia constitutiva hominis, scilicet, materia, & forma sunt incorruptibilia; & tamen homo est corruptibilis: ergò stat optime quod omnia constitutiva rei sint incorruptibilia, & quod res constituta sit corruptibilis.

6 Respondeo negando antecedens. Ad cuius probationem dico, quod homo non solum constituitur ex materia, & forma, sed etiam ex unione illarum, & licet materia, & forma sint incorruptibiles, tamen unio est corruptibilis. Sed dices; pro-

babilis est sententia Thomistarum, in qua unio non distinguitur à materia, & forma, unde in hac sententia etiam unio erit incorruptibilis; & tamen homo remanet corruptibilis: ergò stat optime, quod omnia constitutiva sint incorruptibilia, & quod constitutum ex illis resultans sit corruptibile.

Respondeo, quod in sententia Thomistarum identificantium unionem cum extremis, adhuc unio est corruptibilis sub expressione, & formalitate unionis. Quomodo autem hoc componi possit cum prædicta sententia, illorum est explicare, nobis enim præcipue propter hanc difficultatem maxime displicet.

7 Obijcies secundo: coexistentia gratiæ cum peccato est ens rationis; & tamen præcise involvit existentias reales gratiæ, & peccati: ergò ens rationis potest adæquate constare solis entibus realibus. Respondeo, negando minorem; nam prædicta coexistentia ultra existentias reales gratiæ, & peccati includit eorum simultatem, & compatibilitatem, quæ quidem simultas, & compatibilitas est distincta ab illis, possunt enim existere gratia, & peccatum, quin compatiantur, aut simul existant in eodem subiecto,

(o)

QVÆSTIO. III.

In quo formaliter consistat ens rationis?

Nostre conclusio:

DICO Igitur: *Ens rationis consistit formaliter, in ente ficto, & impossibili ab omni ente reali, & possibili distincto.* Probatur primò: ens rationis est quod tantum habet esse obiective in intellectu; sed quod tantum habet esse obiective in intellectu est ens fictum, & impossibile ab omni ente reali distinctum: ergò ens rationis consistit formaliter in ente ficto, & impossibili ab omni ente reali distincto. Maior est definitio entis rationis. Minor probatur: quod tantum habet esse obiective in intellectu, nullum verum, & reale esse potest habere in se; sed hoc ipso est aliquid non verum, sed fictum, distinctumque ab omni ente reali: ergò. Confirmatur: quod non est ens verum, nec potest realiter existere est ens fictum, distinctumque ab omni eo quod realiter potest existere; sed ens rationis non est ens verum, nec potest realiter existere: ergò est ens fictum, distinctumque ab omni eo quod potest realiter existere, & consequenter ab omni ente reali.

2 Secundo probatur conclusio: idem ens rationis non consistit in ente ficto, distin-

29

Etque ab omni ente reali, quia tale ens fictum nequit ab intellectu concipi; sed intellectus potest concipere tale ens fictum: ergo. Maior est contrariorum doctrina. Minor vero probatur primo: dum intellectus affirmat: *Alter Deus est impossibilis*, concipit ex parte subiecti id, de quo verificatur esse impossibile; sed id, de quo verificatur esse impossibile, non est ens verum, & reale, sed fictum, & distinctum ab omni ente reali, seu possibili: ergo intellectus concipit ex parte subiecti aliquid fictum, & impossibile, ab omni ente reali, & possibili distinctum.

3. Respondet P. Tyrso quod intellectus dum affirmat alterum Deum esse impossibilem, nihil impossibile concipere ex parte obiecti, nam (ait ille) sensus illius propositionis est hic: *Cognitio iudicans alterum Deum possibilem est essentialiter falsa*. Sed quis non videat hanc solutionem esse contra manifestam experientiam; nam qui ita asserit: *Alter Deus est impossibilis*, nec meminit iudicij de possibilitate alterius Dei, nec de illius falsitate essentiali, hoc enim absque reflexione facere non poterat, sed directe concipit alterum Deum, de illoque directe affirmat esse impossibilem: ergo predicta solutio est manifeste contra experientiam.

4. Deinde, contra illam sic argumentor: Nam per illam propositionem, *alter Deus est*

impossibilis, repræsentatur ex parte obiecti alter Deus; sed ille est impossibilis, alias enim propositio esset falsa: ergo ex parte obiecti repræsentat aliquid impossibile. Confirmatur idem repræsentatur iudicative per hanc propositionem, *alter Deus est impossibilis*, àe per hanc apprehensionem, *alter Deus impossibilis* repræsentatur apprehensivè; sed per hanc repræsentatur ex parte obiecti aliquid impossibile, cum obiectum illius sit, *alter Deus impossibilis*: ergo etiam per predictam propositionem repræsentatur ex parte obiecti aliquid impossibile.

5. Secundo probatur minor principalis: per hanc propositionem, *homo est equus* repræsentatur ex parte obiecti identitas ficta, & impossibilis: ergo aliquid fictum, & impossibile potest ab intellectu concipi, seu repræsentari. Antecedens probatur: per illam propositionem repræsentatur identitas inter hominem, & equum; sed hæc identitas nequit esse vera, & possibilis, cum homo, & equus non possint vere identificari: ergo est identitas ficta, & impossibilis.

6. Respondet P. Tyrso, negando hanc ultimam maiorem, quia (inquit ille) propositio affirmans predictum de subiecto præcise repræsentat prædicatum, & subiectum, identitatem autem minimè repræsentat ex parte obiecti, sed ipsa

cognitio intencionaliter, & representative identificat per se ipsam subiectum, & predicatum.

7 Sed contra hanc solutionem, quæ est contrariorum Achilles, sic argumentor. Primo, quia si propositio affirmans ex parte obiecti solum representaret subiectum, & predicatum, & non identitatem illorum, ipsa & eius contradictoria negativa idem omnino representarent ex parte obiecti, cum etiam negativa representet subiectum, & predicatum; sed, ut constat ex dictis in Summ. lib. 2. quest. 15. à num. 18. implicat quod propositiones contradictoriae idem omnino representent ex parte obiecti: ergo & quod propositio affirmans non representet identitatem ex parte obiecti.

8 Contra secundo: quidquid requiritur ex parte obiecti, ut propositio sit vera, representatur per illam ex parte obiecti; sed, ut ipse fatetur, ut propositio affirmans sit vera, requiritur ex parte obiecti identitas subiecti, & predicati: ergo per ipsam representatur ex parte obiecti hæc identitas. Maior probatur: ut aliqua propositio sit vera nihil est necessarium ex parte obiecti, nisi quod ipsa representat ex parte obiecti: ergo quidquid requiritur ex parte obiecti, ut propositio sit vera, representatur per ipsam ex parte obiecti.

9 Confirmatur: præ-

dicta propositio, *homo est equus*, est falsa: ergo aliquid representat inter hominem, & equum, quod revera non reperitur inter hominem, & equum, & consequenter representabit identitatem. Consequentia probatur: propositio falsa est dissona obiecto representative; sed nequit esse obiecto dissona representative, nisi representet in obiecto aliquid, quod vere in obiecto non reperitur: ergo si prædicta propositio est falsa, aliquid representat in obiecto, scilicet inter hominem, & equum, quod ex parte ipsorum revera non reperitur. Minor patet: nam imago, quæ representaret hominem, nihil in ipso representando, quod in ipso non inveniretur, non esset dissona representative: ergo similiter propositio, quæ est imago intencionalis obiecti.

10 Dices: ipsam propositionem esse dissonam obiecto representative; quia illud representat modo unitivo, obiectum autem hoc modo non se habet; non vero quia aliquid representet in illo, quod in illo non reperitur. Sed contra: licet cognitio, aut propositio representet obiectum modo unitivo, si tamen non representat unionem ex parte obiecti, nequit esse dissona obiecto representative; sed prædicta cognitio est dissona obiecto representative: ergo non solum representat illud modo unitivo, sed

etiam repræsentat unionem ex parte illius. Maior probatur: licet cognitio hæc, *animal est vivens* repræsentet obiectum modo compositivo, & spiritali, & obiectum in se non sit compositum, nec spiritali, non est dissona obiecto repræsentativè, quia ex parte obiecti non repræsentat compositionem, aut spiritalitatem: ergo similiter licet cognitio repræsentet obiectum modo univo, si tamen non repræsentat unionem ex parte obiecti, non erit falsa, nec dissona obiecto repræsentativè, licet unio deficiat ex parte illius.

11 Tertio sic argumentor contra principalem solutionem. Nam iuxta eam cognitio hæc, *homo est equus*, identificat intentionaliter, & repræsentativè hominem cum equo: ergo est identitas intentionalis repræsentativa hominis cum equo. Tunc sic; identitas intentionalis, & repræsentativa nihil aliud est, quam actus repræsentans identitatem obiectivam: ergo si prædicta cognitio est identitas intentionalis, & repræsentativa, repræsentat identitatem obiectivam. Minor subsumpta probatur exemplis; subiectum, & prædicatum intentionale, seu repræsentativum nihil aliud est, quam actus repræsentans subiectum, & prædicatum obiectivum: ergo identitas intentionalis, & repræsentativa erit actus repræsentans identitatem obiectivam.

Explicatur: idem imago Cesaris est. Cesar repræsentativè, quia repræsentaret Cæsarem; idem species hominis dicitur homo intentionaliter, & repræsentativè, quia repræsentat hominem: ergo similiter, si prædicta cognitio repræsentativè, & intentionaliter est identitas, repræsentabit identitatem ex parte obiecti.

12 Tertio probatur minor principalis: nam saltè hæc propositio, *homo est idem cum equo*, repræsentat identitatem hominis cum equo; non identitatem veram, & possibilem: ergo identitatem fictam, & impossibilem: ergo aliquid fictum, & impossibile potest concipi, & repræsentari ab intellectu. Respondet P. Tyrso; negando minorem, nam iuxta ipsam prædicta propositio repræsentat identitatem veram, & realem aliorum extremorum, quam falsò applicat homini, & equo, minimè autem repræsentat identitatem hominis cum equo, quæ solum poterat esse ficta.

13 Sed contra primo: Nam ex terminis implicat quod per hanc propositionem, *homo est idem cum equo*, non repræsentetur identitas hominis cum equo, sed identitas aliorum; illa enim propositio, dum identitatem repræsentat, aliorum non meminit, sed hominis tantum, & equi. Secundo: quia hæc propositio, *homo est equus*, idem omnino repræsentat: licet mi-

nus clarè, quam hæc, homo est idem cum equo; sed iuxta ipsum hæc propositio, homo est equus, non representat identitatem veram, & realem: ergò nec altera illam representat. Tertio: quia iuxta ipsum prædicta cognitio falsò applicat identitatem realem homini, & equo: ergò representat ex parte obiecti applicationem talis identitatis, quæ non reperitur in obiecto, & consequenter representabit applicationem fictam. Patet consequentia: quia nequit propositio esse falsa, nisi quia representat in obiecto, quod in illo revera non reperitur; sed est falsa quia applicat: ergò quia representat applicationem, quæ revera non est in obiecto.

14. Confirmatur: Prædicta cognitio applicat identitatem veram, & realem representativè; sed applicare representativè est representare applicationem: ergò prædicta cognitio representat applicationem identitatis; non applicationem realem, & veram, quia identitas non est verè, & realiter applicata illis extremis: ergò applicationem fictam, & consequenter representabit aliquid fictum.

Solvuntur argumenta.

15. TOTVM Contrariorum robur dirigitur ad probandam intellectum nihil pos-

se cognoscere purè fictum ab omni ente reali distinctum, quod sic probant primo: nam ens fictum non est cognoscibile antequam cognoscatur; sed quod non est cognoscibile antequam cognoscatur nequit ab intellectu cognosci: ergò ens fictum nequit ab intellectu cognosci. Maior probatur: nam ens fictum non est cognoscibile antequam fingatur: sed cognoscitur quando fingitur: ergò non est cognoscibile antequam cognoscatur. Maior probatur: ens fictum non est ens antequam fingatur; sed quod non est ens non est cognoscibile: ergò ens fictum non est cognoscibile antequam fingatur.

16. Respondeo negando maiorem. Ad cuius probationem, nego iterum maiorem. Ad cuius probationem distinguo maiorem: ens fictum non est ens in actu antequam fingatur, concedo maiorem: non est ens in potentia, nego maiorem: & distincta minori, eodem modo, nego consequentiam; nam sicut Antichristus nunc est cognoscibilis; & tamen nondum est ens reale in actu, sed tantum in potentia; ita ens rationis antequam fingatur est cognoscibile, quia licet pro illo priori non sit ens rationis in actu, est tamen ens rationis in potentia.

17. Sed replicabis: Quod est cognoscibile antequam cognoscatur, non dependet in

suo esse à cognitione sui, sed ens fictum essentialiter dependet à sui cognitione: ergò non est cognoscibile antequam cognoscatur. Respondeo distinguendo maiorem: quod est cognoscibile speculative antequam cognoscatur non dependet in suo esse à cognitione sui speculativa, concedo maiorem; quod est cognoscibile practice antequam cognoscatur non dependet in suo esse à cognitione sui practica, nego maiorem; & distingo minorem: ens fictum essentialiter dependet à cognitione sui practica, concedo minorem; à sui cognitione speculativa, nego minorem, & consequentiam. Itaque ens rationis potest cognosci practice, & speculative; cognoscitur practice, dum per cognitionem directam fingitur; cognoscitur speculative, dum per cognitionem aliquantulum reflexam consideratur; ut fictum, vel fictibile per alteram cognitionem. Si igitur ens rationis fictum consideretur per ordinem ad sui cognitionem speculativam non dependet ab ea in suo esse, unde per ordinem ad illam abs dubio est cognoscibile antequam actu cognoscatur. Si autem consideretur per ordinem ad cognitionem practica, dependet ab illa essentialiter in suo esse; ceterum hoc non tollit quod sit cognoscibile per illam antequam per illam actu cognoscatur. Sicut quod res dependeat essentialiter in suo

esse à sui productione, non tollit quod sit producibilis antequam actu producat.

18 Secundo probant assumptum: Nam ens fictum vere non est cognoscibile: ergò falsum est quod sit cognoscibile, & consequenter non est vere cognoscibile. Antecedens probatur: unumquodque in tantum est cognoscibile, in quantum est ens; sed ens fictum vere non est ens: ergò vere non est cognoscibile. Respondeo, distinguendo antecedens: ens fictum vere non est cognoscibile, vere, inquam, veritate subiectiva, & transcendentali, concedo antecedens; vere veritate obiectiva, & enunciabili, nego antecedens, & consequentiam; quia veritas potest sumi dupliciter. Primo subiective, & transcendentaliter; & hoc modo dicitur aliquid veritale, quando subiective, & in se vere, & realiter est tale. Secundo obiective, & enunciabiliter; quomodo dicitur aliquid veritale, quando eo modo se habet, sicut per propositionem affirmatur; unde si propositio non affirmat esse realiter, & subiective tale, non requiritur, ut sit vere tale, quod subiective, & in se sit realiter tale, sed quod sit tale eo modo quo representatur per propositionem; ens ergò fictum non est vere cognoscibile veritate subiectiva, & transcendentali, quia subiective in se, si-ve realiter non habet cognoscibilitatem, est tamen vere cognoscibile.

cibile veritate obiectiva, & enuntiabili, quia est cognoscibile obiective eo modo quo affirmamus illud esse cognoscibile. Ex quo patet ad probationem antecedentis, distinguendo minorem; ens fictum vere non est ens veritate subiectiva, & transcendentali, concedo minorem; veritate obiectiva, & enuntiabili, nego minorem, & consequentiam in sensu iam dicto; nam ens fictum verò, & non falsò est ens fictum, ens obiectivum, & ens rationis; & quod hoc modo sit vere ens, sufficit etiam ut sit vere cognoscibile modo relato:

19 Quod si dicas: ens fictum eo modo est intelligibile, quo ens; sed ficte est ens: ergò ficte est intelligibile. Respondeo, distinguendo maiorem: eo modo est intelligibile, quo ens reale, nego maiorem; quo ens rationis, concedo maiorem; & distinguo minorem: ficte est ens reale, concedo minorem; ficte est ens rationis, nego minorem, & consequentiam. Itaque, dum fingitur ens rationis, fingitur illud esse ens reale, ac nō fingitur illud esse ens rationis obiectivum, nec illud esse intelligibile, hoc enim vere, & non ficte convenit enti rationis, licet enim apparenter sit ens, & sit umbra entis, vere tamen est ens apparens.

20 Tertio probant assumptum: Quidquid intellectus cognoscit, vere & realiter cognoscit; sed intellectus ne-

quit vere, & realiter cognoscere ens pure fictum: ergò illud nequit cognoscere. Minor probatur: intellectus nequit realiter cognoscere, quod non est realiter cognoscibile; sed ens fictum non est realiter cognoscibile: ergò intellectus nequit illud realiter cognoscere. Minor patet: nam cognoscibilitas est passio entis: ergò enti ficto nequit correspondere cognoscibilitas realis.

21 Respondeo, concessa maiori, negando minorem: Ad cuius probationem, distinguo maiorem: intellectus nequit realiter cognoscere, quod non est realiter intrinsece cognoscibile, nego maiorem; quod non est realiter, nec intrinsece, nec extrinsece cognoscibile, concedo maiorem; & distinguo minorem: ens fictum non est realiter intrinsece cognoscibile, concedo minorem; non est realiter extrinsece cognoscibile, nego minorem, & consequentiam. Ad probationem minoris dico, quod ens pure fictum dupliciter denominatur cognoscibile, primo à cognoscibilitate intrinseca, quæ consistit in capacitate intrinseca illius, ut cognoscatur, & cum hæc cognoscibilitas non sit realis, sed rationis, & obiectiva, ab ea non denominatur ens rationis realiter intrinsece cognoscibile; & hæc cognoscibilitas est quæ est passio entis. Secundo denominatur cognoscibile à cognoscibilitate extrinseca: quæ

Q. III. In quo formaliter consistat ens rationis? 127

consistit in potentia intellectus ad cognoscendum illud ens fictum; hæc autem cognoscibilitas realis est, vnde ab ea denominatur ens rationis realiter extrinsece cognoscibile; sed non est passio entis.

22 Sed vrgebis: ens fictum non est realiter intrinsece cognoscibile: ergo intrinsece non habet capacitatem, vt realiter cognoscatur: ergo intrinsece est incapax vt realiter cognoscatur, & consequenter nunquam poterit realiter cognosci. Respondeo, distinguendo antec. non est realiter intrinsece cognoscibile, realitate appellante supra rectum cognoscibilitatis, concedo antecedens: realitate appellante supra obliquum cognoscibilitatis, nego antec. & conseq. quia cognoscibilitas duo dicit; cum enim sit capacitas ad cognosci, dicit in recto capacitatem, & in obliquo cognitionem; igitur cognoscibilitas intrinseca pro eo quod dicit in recto, scilicet capacitatem, est quid rationis, & obiectivum, non autem reale & subiectivum: pro eo autem quod dicit in obliquo, scilicet cognitionem, est realis, quia cognitio est realis, vnde poterit dici realiter intrinsece cognoscibile, si ly *realiter* appellat supra obliquum cognoscibilitatis, scilicet supra cognitionem.

23 Quarto probant assumptum: intellectus nequit cognoscere quod per sensus nequit intrare; sed ens pure fictum nequit per sensus intrare; ergo nequit ab in-

tellectu concipi. Respondeo, distinguendo mai. intellectus nequit cognoscere per speciem propriam, quod per sensus nequit intrare, concedo mai. nequit cognoscere per speciem alienam, quod per sensus nequit intrare, nego mai. & concessa min. nego conseq. Itaque intellectus dupliciter potest aliquid cognoscere obiectum; primo per speciem propriam ipsius, sive quidditative, & hoc modo verum est non posse cognoscere, nisi quod per sensus potest intrare. Secundo potest cognoscere obiectum per speciem alienam, & ad similitudinem illius, & hoc modo potest cognoscere quod per sensus non intrat; intellectus enim cognoscit Deum, & Angelos per species rerum materialium, quin tamen Angeli, nec Deus per sensus intrare possint; ita ergo potest cognoscere ens rationis per speciem entis realis, licet ens rationis nunquam per sensus intraverit.

24 Sed replicat P. Tyrto, nam ideo potest intellectus per speciem corporum cognoscere Deum, & Angelos, quia Deus & Angeli conveniunt cum corporibus in ratione entis realis; sed ens reale nullam habet similitudinem cum ente ficto: ergo intellectus nequit cognoscere ens fictum per speciem entis realis. Respondeo, concessa mai. negando min. nam sicut corpus habet similitudinem analogam cum Deo, eo quod ratio Deus, quam corpus sunt ens reale, ita etiam ens reale cum

ente ficto, eo quod utrumque est ens; nec obstat quod vnum sit verum, & aliud fictum ad similitudinem analogam, nam hæc salvatur inter hominem verum & pictum, licet vnus sit verus, & alter pictus.

25 Sed replicabis: ens fictum non est ens adhuc apparenter: ergo nullam habet similitudinem cum ente reali, & consequenter nequit cognosci per speciem illius. Antecedens probatur: quia quod est apparenter alterum, vere est appariencia, & similitudo illius; sicut imago hominis licet sit apparenter homo, vere tamen est appariencia, & similitudo hominis; sed ens fictum nequit esse vere appariencia, & similitudo entis, cum in se nihil sit: ergo non est adhuc apparenter ens.

26 Respondeo negando antecedens. Ad eius probationem distinguo maiorem: quod est apparenter alterum vere est subiectivè & in se appariencia & similitudo illius, nego maiorem; subiectivè in se, aut obiectivè in intellectu, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; nam ens rationis licet in se, & subiective nihil sit, ac proinde hoc modo non sit similitudo, aut appariencia; tamen obiectivè in intellectu est ens, ac proinde obiectivè in intellectu est appariencia, & similitudo entis realis, eodè enim modo se habet obiectivè in intellectu, ac ens reale se ha-

bet à parte rei subiectivè & in se:

27 Quinto probant assumptum: quidquid est cognoscibile ideò est cognoscibile, quia est ens; sed ens fictum ideò esset ens quia esset cognoscibile: ergo ens fictum non est cognoscibile. Maior patet; quia cognoscibilitas sequitur à priori tamquam propria passio ex ratione entis. Minor vero prob. ens est idè ac potens existere, & cognoscibile idè ac potens cognosci; sed ens fictum ideò potest existere quia potest cognosci: ergo ideò est ens quia est cognoscibile. Minor patet; nam ideò existit ens fictum, quia cognoscitur: ergo ideò potest existere, quia potest cognosci.

28 Respondeo, distinguendo maiorem: quidquid est cognoscibile, ideò est cognoscibile speculativè, quia est ens, concedo maiorem; ideò est cognoscibile practicè, quia est ens, subdistinguo; *ly quia dicente rationem terminativam*, concedo maiorem; *ly quia dicente rationem motivam*, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Nec obstat probatio minoris; nam ens rationis, si consideretur respectu cognitionis speculativæ, ratio à priori & motiva, quare per illam est cognoscibile, est, quia est ens ex vi alterius cognitionis practicæ; vnde iam saltè cognitione speculativa erit verè cognoscibile, quia est ens. Si vero consideretur respectu cognitionis practicæ per quam fit, ratio

tio à priori motiva, quare potest cognosci per illam, non est, quia est ens, sed potius est ens potens existere suo modo, scilicet, obiectivè in intellectu, quia cognoscibile est; cæterum hoc non tollit, quod etiam ratio terminativa quare potest cognosci sit, quia est ens; sicut ratio terminativa quare res à Deo est producibilis, est quia est ens, licet ratio motiva hæc non sit.

29 Sexto probant assumptum: Aliquod ens fictum nequit ab intellectu cognosci: ergò nullo, cum par ratio sit de omnibus. Antec. prob. obiectum nullo prorsus modo intelligibile est ens fictum; sed obiectum nullo prorsus modo intelligibile nequit cognosci, aut intelligi: ergò aliquod ens fictum nequit cognosci. Mai. patet; nam tale obiectum non est reale. ergò est fictum. Non desunt, qui negant posse intellectum cognoscere obiectum nullo prorsus modo intelligibile. In quorù sententia responderi poterat, tale obiectum non esse fictum, quia adhuc ab intellectu fingi nõ potest, neque esse obiectivè in intellectu. Sed, cum de prædicto obiecto nullo prorsus modo intelligibili sermonè habemus, verbisque illud significemus planum est, illud à nostro intellectu excogitari, & apprehendi, de eo enim quod nec cogitamus, nec apprehendimus, loqui nõ possumus. Quapropter respondeo, negando antec. Ad eius probationè, concessa maio-

ri, distinguo minor. Obiectum nullo prorsus modo intelligibile nequit cognosci, si in rei veritate nullo prorsus modo esset intelligibile, cõcedo min. si fingatur, ut fingitur, nullo prorsus modo esse intelligibile, nego min. & conseq. quia illud obiectum, licet per fictionem appareat nullo prorsus modo intelligibile, hoc non tollit, imò ex illo inferitur, quod revera sit intelligibile, & cognoscibile.

30 Septimo probant assumptum: si per aliquam cognitionem cognosceretur ens fictum, maxime per hanc, *homo est equus*; sed per hanc cognitionè nihil fictum cognoscitur: ergò ens fictum nequit cognosci. Minor prob. per illam cognitionem præcisè cognoscitur *homo & equus*, & illorù identitas; sed nec cognoscitur *homo fictus*, nec *equus fictus*, nec identitas ficta ergò nihil fictum cognoscitur. Min. quoad primã, & secundam partem patet, quia illa propositio de homine reali, & vero affirmat esse equum verum & realè, non autè de homine ficto, aliàs enim non esset falsa, sed vera, cum verum possit esse, hominem fictum esse equum. Quoad tertiam probatur eadè ratione; nam ea identitas cognoscitur per illam propositionem, quæ per illam affirmatur; sed per illam non affirmatur identitas ficta, sed vera: ergò. Minor probatur: si affirmaretur identitas ficta, esset vera propositio, cum verum sit equum, & hominè identificari ficta identitate; sed illa propositio

tio est falsa : ergò per illam non affirmatur identitas ficta , sed vera.

31 Respondeo , concessa maiori , negando minorem. Ad cuius probationē , concedo maiorem , & omitta minori quoad primam , & secundam partem , negò illam quoad tertiam. Ad cuius probationē , concessa maiori , distinguo minorem : non affirmatur identitas ficta , sed vera , apparenter & falsò vera , concedo minorem : in rei veritate vera , nego minorem & consequentiam , & ad probationem minoris , dico , quod illa propositio affirmat identitatem , quæ revera est ficta , falsò tamèn affirmatur , & repræsentatur ut vera , itaque propositio est falsa , quia repræsentat ut veram identitatem , quæ in rei veritate est ficta.

Aliqua dubiola solvuntur :

32 **D**UBITABIS PRIMO : An ens rationis distinguatur realitèr ab ente reali ? Et quidè videtur quod nò. Distinctio enim est proprietas entis : ergò talis debet esse , quale fuerit ens ; sed ens rationis non est reale : ergò nequit realitèr distingui ab ente reali. Sed respondendum est , distinguai realitèr negativè. Pro cuius intelligentia nota , quod duo distinguai nihil aliud est quàm vnū non esse aliud ; cæterū si vtrumque sit ens , est distinctio positiva vtriusque , si vero alterum

non sit ens est negativa ex parte illius , quod non est ens. Ex quibus infertur ens rationis distinguai realitèr negative ab ente reali. Nam in primis ens rationis vere , & realitèr non est ens reale ; sed eodem modo vnū distinguitur ab illo , quo non est illud : ergò ens rationis realitèr distinguatur ab ente reali. Deinde , realitèr loquendo , ens rationis non est ens ; sed ex parte illius , quod non est ens , distinctio est negativa : ergò ex parte entis rationis distinctio est negativa , & consequentèr ens rationis realitèr negativè distinguatur ab omni ente reali.

33 Ad rationem dubitandi respondeo , quod distinctio positiva est proprietas entis ; at vero distinctio negativa potius est proprietas non entis ; vnde nihil obstat quod ens rationis non sit ens reale , ut distinguatur ab illo realitèr negativè , imò conducit.

34 Dubitabis secundo : An ens rationis compactum ex extremis repugnantibus includat extrema realia , & vere possibilia ? Respondeo , prædictum ens rationis , v.g. *hircocervus* involvere pro materiali entia vere realia & possibilia. Probatur : quando enim concipitur hircocervus , concipitur verus & realis hircus , verus & realis cervus ; sed ea extrema involvit hircocervus , quæ in ipso concipiuntur : ergò involvit verū & realem hircum , & verum & realem cervū. Mai. in qua stat difficultas , probatur

quando concipitur hircocervus, idem hircus & cervus concipiuntur, ac concipiuntur per hoc iudicium, hircus est cervus; sed per hoc iudicium, hircus est cervus, concipitur hircus verus, & cervus verus: ergo similiter quando concipitur hircocervus. Maior patet; nam eadem extrema, quæ concipiuntur per apprehensionem complexam, concipiuntur per iudicium affirmantem unum extremum de alio; eadem enim extrema concipiuntur per hoc iudicium, *homo est rationalis*, ac per hanc apprehensionem, *homo rationalis*. Minor vero probatur: nam idem hircus, & cervus concipiuntur per hoc iudicium, *hircus est cervus*, ac per hoc iudicium negativum, *hircus non est cervus*, sunt enim contradictoria, quæ debent habere idem subiectum, & idem prædicatum; sed per hoc iudicium, *hircus non est cervus*, concipitur hircus verus, & cervus verus: ergo similiter per alterum affirmativum.

35 Confirmatur; hæc propositio, *hircus est cervus* est falsa; sed si haberet pro subiecto hircum fictum, & non verum, esset vera; nam verum est, hircum fictum esse cervum fictum: ergo prædicta propositio habet pro subiecto hircum verum, & non fictum: ergo representat ex parte subiecti hircum verum, & non fictum. Idemque argumentum potest

fieri de prædicato illius propositionis. Unde certum debet esse quod per hoc iudicium, *hircus est cervus*, representatur verus hircus & verus cervus. Ex quo infero etiam per hanc apprehensionem complexam *hircocervus* representari hircum verum, verumque cervum, nam apprehensio hæc idem representat apprehensivè, ac illud iudicium indicativè.

36 Sed obijcies: hircus verus non potest esse identificatus cum cervo: sed, dum concipitur hircocervus, concipitur hircus identificatus cum cervo: ergo non concipitur hircus verus. Urgebis ex Div. Augusti tractatu 26. in Ioann. ubi arguens contra Arium, qui Filium Dei Deo inæqualem cogitabat, sic illum alloquitur: *Alium cogitatus, non est ipse filius*. Et post pauca: *Aliud est eius filius, aliud quod tu dicis*: igitur, dum Arius cogitabat Filium Dei inæqualem non cogitabat Filium Dei verum ergo dum concipitur ens rationis ex extremis repugnantibus, non concipiuntur extrema vera, & realia.

37 Respondeo, distinguendo maiorem: hircus verus non potest esse vere, & realiter subiectivè & in se identificatus cum cervo, concedo maiorem: non potest esse chimericè, ficticiè, & obiectivè in intellectu identificatus cum cervo, nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; nam licet repugnet hircum verum

vere & realiter subiectivè, & in se identificari cum cervo: potest tamen intellectus hircum verum concipere ut identificatum cum cervo: in quo casu chimerice, fictitiè, & obiectivè identificatur eum illo.

38 Sed contra instat M. Froilan: quia hircus conceptus ut identificatus cum cervo nequit esse verus hircus: ergò repugnat quod verus hircus concipiatur ut identificatus cum cervo. Probo antecedens: quia hircus, cui repugnat essentialiter existere, nequit esse verus hircus; sed hirco concepto ut identificato cum cervo repugnat existere: ergò nequit esse verus hircus. Confirmatur; quia gratia concepta, ut existens cum peccato, non est vera gratia: ergò nec hircus conceptus, ut identificatus cum cervo est verus hircus. Antecedens probat: quia gratia concepta sine prædicato sibi essentiali non est vera gratia, cum sit gratia sine essentia gratiæ; sed gratia concepta, ut existens cum peccato, est gratia concepta sine prædicato sibi essentiali: ergò non est vera gratia. Minorem probat: quia est prædicatum essentialis gratiæ expellere peccatum, & illi repugnare; sed dum concipitur ut existens cum peccato concipitur sine expulsionem peccati, & sine repugnantia cum illo: ergò concipitur sine prædicato essentiali.

39 Nihilominus respon-

deo, distinguendo antecedens: hircus conceptus ut identificatus cum cervo nequit esse verus hircus, quantum est ex parte subtracti, nego antecedens: quantum est ex parte compositionis, sive ex parte complexi, concedo antecedens. Ad probationem, concessa maiori; distinguo minorem; hirco concepto ut identificato cum cervo repugnat existere, quantum est ex parte subtracti; nego minorem; quantum est ex parte compositionis, vel complexi, concedo minorem, & nego consequentiam; quia, dum concipitur hircocervus, & concipitur hircus ex parte subtracti, & concipitur cervus quasi ex parte formæ, & concipitur identitas unius cum alio ex parte compositionis. Igitur huic complexo *hircocervus*, adæquatè considerato, & ex parte compositionis, absolutè repugnat existere à parte rei; si vero consideretur ex parte subtracti, præcisè importat hircum, non autem identitatem illius cum cervo; quia hæc tenet ex parte compositionis, & non ex parte subtracti, unde illi ut concepto ex parte subtracti non repugnat existere; & sic ex parte subtracti concipitur verus hircus.

40 Ad confirmationem similiter distinguo antecedens: non est vera gratia quantum est ex parte compositionis, vel complexi, concedo antecedens: quan-

quantum est ex parte abstracti, nego antecedens. Ad cuius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: est gratia concepta sine predicato essentiali ex parte abstracti, nego minorem, ex parte compositionis transeat minor, & nego consequentiam. Imò potius, si non conciperetur cum predicato sibi essentiali, id est, ut expellens peccatum, & cum illo repugnans saltem implicitè, nihil repugnans conciperetur, dum concipitur gratia ut coexistens peccato, siquidem non conciperetur repugnantia gratiae cum peccato: si ergò iuxta omnes concipitur aliquid repugnans, absdubio est quia concipitur predicatum essentiali, ut cuius gratia repugnat peccato, & illud expellit. Nec obest quod concipiatur ut coniuncta cum illo, quia hoc est ex parte compositionis, quae compositio chimerica est quia concipit extremum repugnans peccato ut coniunctum cum illo.

41 Nec huic doctrinae re ipsa contradicit praecitatus M siquidem aperte fateatur, quod in complexis repugnantibus concipiuntur extrema vera, & realia per modum rationis quae, licet non sint vera, & realia formaliter ut componentia, quod nec nos intendimus, cum fateamur compositionem esse chimericam, & fictitiam. Ad huius item doctrinae explicationem facit il-

la communis Thomistarum assertentium quod in actuali praedicatione hominis de Petro v. g. homo servat universalitatem, quia licet ex parte compositionis concipiatur ut determinatus ad individuum, ex parte tamen praedici non concipitur ut individuat, sed ut communis: & similiter quod in hoc complexo animal rationale, animal servat generalitatem, quia licet ex parte compositionis concipiatur ut determinatus ad speciem hominis, ex parte tamen abstracti concipitur cum indifferentia ad plures species. Cuius igitur eodem pacto dici non poterit, quod in hoc complexo hircoceruus, hircus servat veritatem, quia licet ex parte compositionis concipiatur ut identificatus cum cervo, quo pacto est chimericus, & fictitius, tamen ex parte abstracti concipitur cum suis praedicationibus essentialibus, & cum repugnantia implicita identitatis cum cervo, quo pacto est verus, non fictus.

42 Ex quo iam patet ad confirmationem desumptam ex verbis D. August. contra Arium, distinguendo primum consequens: non cogitabat filium Dei verum ex parte compositionis, concedo consequentiam; ex parte abstracti, nego consequentiam; nam Arius de ipso verò filio Dei, de quo loquuntur Evangelia, negabat esse aequalem Deo, sive asserbat esse in-

æqualem, si enim de alio filio ficto loqueretur, non contradiceret Catholicis, cum de distincto subiecto loqueretur: igitur Arius ex parte subiecti, vel abstracti eundem filium cogitabat, quem Catholici, & hoc non negat August. tamen ex parte compositionis cogitabat alium filium valde distinctum, nam cogitabat Filium Dei inæqualem Deo, & consequenter chimericum; quo pacto recte ait August. *Alium cogitas non est ipse filius, aliud est eius filius, aliud quod tu dicis, nimirum ex parte compositionis.*

43 Dubitabis tertio: *Utrum ens rationis pro formali distinguatur adæquate ab omni ente reali.* Inquiro de ente rationis pro formali; nam pro materiali iam constat posse involvere entia realia, ut extrema, ex quibus conflatur. De illo igitur pro formali assero, nullum omnino ens reale involvere, sed adæquate, & omnino distingui ab omni ente reali, & possibili. Quod sic probos; nam illud importat pro formali ens rationis, quod concipitur in ipso præter extrema realia, seu præter omne ens reale; sed quod concipitur præter omne ens reale nullum ens reale involvit; alias enim si aliquid involveret, non esset præter omne ens reale: ergo ens rationis pro formali nullum involvit-ens reale. Major pa-

ter, nam illud importat pro formali ens rationis, per quod distinguitur ab omni ente reali; sed non distinguitur ab omni ente reali per aliquod ens reale, quod importet, ut, per se patet, sed solum per id quod importat ultra omne ens reale: ergo pro formali importat aliquid præter omne ens reale. Unde quotiescumque ens rationis concipitur ex aliquibus extremis realibus, vel quia identificantur distincta, vel quia concipiuntur, ut distincta, quæ sunt identificata, ipsa extrema realia importantur præcisè de materiali, & ut ratio *que*, identitas vero, vel distinctio ficta importatur de formali, & in recto: & cum hæc sit præter ipsa extrema realia, ea in recto non importat, sed ab illis adæquate distinguitur.

44 Sed objicies argumento mihi difficili: Illud esse fictum, in quo formaliter consistit ens rationis, involvit aliquid revera possibile: ergo & aliquid reale: ergo adæquate non distinguitur ab omni ente reali. Antecedens probatur: illud esse fictum necessario involvit duo contradictoria; sed ex duobus contradictorijs unum debet esse revera possibile: ergo involvit aliquid revera possibile. Minor patet; nam utrumque contradictorium nequit simul esse impossibile, cum repugnet utrumque simul deficere. Major vero probatur; nam

impossibile necessario implicat contradictionem, seu duplex contradictorium; sed illud esse fictum est impossibile: ergo necessario implicat, seu includit duplex contradictorium. Maior patet, quia impossibile est quod implicat contradictionem.

45 Forsan respondebunt aliqui, quod impossibile non debet implicare formaliter contradictionem, sed tantum illative. Sed hæc sententia non placet, tum quia implicare contradictionem est quid distinctum ab eo quod est illam inferre, omnes autem definiunt impossibile per implicare, non per inferre contradictionem. Tum, quia quod formaliter non implicat contradictionem, nequit illam inferre, ut infra hoc in Cursu probabimus a priori loco, & amplius huiusmodi sententiam impugnabimus. Unde ea prætermissa, aliter.

46 Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem concessa maiori, distinguo minorem; ex duobus contradictorijs alterum est possibile positive semper, nego minorem, remote, vel positive, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque fatemur quod impossibile implicat formaliter contradictionem, quia iuxta Div. Thom. sepius definitur quod implicat esse, & non esse: cæterum quando fit ens rationis, non esse, quod pro

formali importat, est verum, reale, & possibile remote, quod consistit in eo quod illud esse fictum essentialiter importet non esse à parte rei, sicuti re vera non est: esse autem quod importat non est verum, sed fictum, & tantum obiective tale in intellectu. Unde ens rationis pro formali, sive illud esse fictum, formalissime importat utrumque, esse, & non esse, non esse verè & re ipsa, esse vero obiective, & apparenter, unde nullum ens reale involvit, quia ipsum non esse remote sumptum, quod tantum in ipso verum est, nihil est re ipsa, cum potius sit non esse.

QVÆSTIO IV.

Verum denominationes extrinsecæ sint entia rationis?

DVplex est denominatio; alia intrinseca alia extrinseca. Intrinseca est, quæ provenit à forma intrinseca subiecto denominato, sive sit intrinseca per identitatem, ut humanitas homini, sive per unionem, ut albedo corpori albo, unde homo, & albus denominantur intrinsece tales. Alia est denominatio extrinseca, & est, quæ provenit à forma extrinseca subiecto denominato, v. g. esse cognitum, esse dilectum, quæ proveniunt à cognitione, & dilectione obiectis extrinsecæ.

*Nostra sententia probatur, &
defenditur.*

EA Est: *Denominationes extrinseca non sunt entia rationis.* Probat: ens rationis consistit in esse ficto; sed independenter ab omni fictione potest quodlibet extrinsece denominari à qualibet forma extrinseca: ergò denominatio extrinseca non est ens rationis. Minor probatur: nam independenter à qualibet fictione obiectum denominatur visum à visione, dilectum à dilectione, intellectum ab intellectione, &c. Ergò independenter ab omni fictione quodlibet potest extrinsece denominari à forma extrinseca reali. Confirmatur: ante omnem fictionem paries est formaliter visus: ergò parietem esse formaliter visum non est ens rationis, & consequenter, nec denominatio extrinseca. Antecedens probatur: dum ego formaliter video parietem, paries est formaliter visus; sed ego ante omnem fictionem formaliter video parietem: ergò paries ante omnem fictionem est formaliter visus.

3 Sed obijcies primo: Denominatio cogniti est ens rationis; denominatio cogniti est extrinseca: ergò denominatio extrinseca est ens rationis. Maior probatur: denominatio cogniti tantum existit obiectivè in intellectu; ergò est ens rationis. An-

tecedens probatur: denominatio cogniti non existit realiter in rebus: ergò tantum existit obiectivè in intellectu. Confirmatur: quod non existit ante operationem intellectus est ens rationis; sed denominatio cogniti non existit ante operationem intellectus, cum non existat ante cognitionem, quæ operatio intellectus est: ergò denominatio cogniti est ens rationis. Urgetur: denominatio cogniti non est substantia, nec accidens; sed omne ens reale, vel est substantia, vel accidens: ergò denominatio cogniti non est ens reale: ergò est ens rationis. Urgetur amplius: ens rationis consistit in cognosci; sed cognosci est denominatio extrinseca: ergò consistit in denominatione extrinseca. Maior probatur: consistit in esse obiectivè in intellectu; sed esse obiectivè in intellectu est cognosci: ergò consistit in cognosci.

4 Respondeo, negando maiorem. Ad eius probationem nego antecedens. Ad cuius probationem, distinguo antecedens: non existit realiter in rebus sumpta pro materiali, nego antecedens; sumpta pro formali, subdistinguo: non existit realiter in rebus cognitis, concedo antecedens; non existit realiter in re cognoscente, nego antecedens, & consequentiam; nam denominatio extrinseca cogniti duo dicit, unum pro materiali, scilicet subie-

Annū denominatum, aliud pro formali, scilicet formam denominantem; videlicet cognitionem. Denominatio igitur cogniti pro materiali existit realiter in rebus cognitis, si res cognita sit realis; si autem res cognita sit ens rationis, existet per rationē, & obiectivè in rebus cognitis. Si vero denominatio cogniti sumatur pro formali, est ipsa cognitio, quæ ens reale est existens in cognoscente subiectivè.

5 Ad confirmationem, distinguo maiorem: quod non existit ante operationem intellectus fingentem, concedo maiorem; quod absolute non existit ante operationem intellectus, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; nam habitus acquisiti, species expressa, & ipsa cognitio non existunt ante operationem intellectus, & tamen sunt entia vera realia, & non rationis. Ad secundam nego maiorem; nam denominatio cogniti pro materiali est substantia, si res cognita sit substantia; est vero accidens, si res cognita sit accidens; pro formali vero est accidens, scilicet, cognitio.

6 Ad tertiam respondeo, distinguendo maiorem: ens rationis consistit in cognosci speculativè, nego maiorem; in cognosci practicè, subdistinguo: secundum id quod importat ex parte termini, concedo maiorem; secundum id

quod importat præcisè ex parte cognitionis, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Ad probationem maioris dico, quod ens rationis consistit in esse obiectivè in intellectu, quod quidem esse non sit a parte rei; hoc autem esse non consistit in cognosci speculativè, nec in cognosci practicè, secundum quod dicit ex parte cognitionis; quia totum hoc est subiectivè in intellectu, sicut & ipsa cognitio, & non tantum obiectivè, sed præcisè consistit in cognosci practicè terminativè, sive in termino ficto per cognitionem practicam ex parte obiecti; quia illud tantum est esse obiectivum.

7 Obijcies secundam denominationem realis provenit à forma reali; sed denominatio cogniti provenit à cognitione, quæ non est forma realis: ergo denominatio cogniti non est realis. Minor probatur: quia cognitio non est forma realis obiecti cogniti: ergo. Antecedens probatur: res cognita non est subiectum reale cognitionis; sed illius obiectum: ergo cognitio non est forma realis rei cognite. Respondeo negando minorem. Ad cuius probationem, nego antecedens, vel illud distinguo: non est forma realis realiter informans, concedo antecedens; non est forma realis realiter denominans, nego antecedens. Ad quibus pro-

barionem distinguo antecedens: res cognita non est subiectum reale inhaesionis, concedo antecedens; non est subiectum reale denominationis, nego antecedens, & consequentiam. Duplex enim solet distingui subiectum, scilicet, inhaesionis sive informationis; & denominationis. Subiectum inhaesionis est cui intrinsecè inhaeret forma. Subiectum denominationis est quod denominatur à forma; res igitur cognita est respectu cognitionis subiectum denominationis, non autem subiectum inhaesionis; ex quo solum sequitur quod cognitio non sit forma informans, non autem quod non sit forma denominans.

8 Sed replicabis: Saepissimè, vel semper formam denominantem concipimus ut inhaerentem: sed ut inhaerens non est realis: ergò tunc denominatio extrinseca non est realis forma. Omissa maiori, de qua non est tempus disputandi, distinguo minorem: ut inhaerens non est realis, nec purè extrinseca, concedo minorem; & aliàs manet ut purè extrinseca, nego minorem, & consequentiam. Quia si forma denominans re ipsa extrinsecè concipiatur ut inhaerens, tunc concipitur ut intrinseca, & ut intrinseca est facta, & ens rationis, non verò ut extrinseca.

9 Obijcies tertio: Denominatio dextri, & sinistri, qua columna v.g. denomina-

tur sinistra, aut dextera respectu mei, est denominatio extrinseca; & tamèn non est denominatio realis: ergò denominatio extrinseca non est denominatio realis, sed rationis. Minor probatur: nam denominatio à forma, quae omninò disparatè se habet respectu subiecti denominati, non est denominatio realis; sed forma, à qua columna denominatur dextera, scilicet manus, omninò disparatè se habet respectu columnae, nullum enim respectum, aut habitudinem dicit ad illam: ergò praedicta denominatio non est realis. Idem argumentum solet fieri de denominatione extrinseca coexistentiae; qua Hispanus v. g. denominatur coexistens Italo, nullus enim respectus, aut ordo datur inter utrumque.

10 Respondeo, negando minorem. Ad cuius probationem, concessa maiori, nego minorem, nam manus non omninò disparatè se habet respectu columnae; eo enim quod sit proximior manui dexterae, quam sinistrae ad illam dicit respectum, & ordinem propinquitatis, qui verus, & realis est consistens in situ, & loco realis columnae, & manus dexterae. Idemque dico de Hispano, & Italo, sibi coexistentibus, dicunt enim respectum ad idem instans temporis, & per hoc praecisè, qualibet fictione seclusa, unus dicitur coexistens alteri

QVÆSTIO. V.

Vtrum ens rationis possit existere per existentiam sui fundamenti?

NOTA Primo quod in ente rationis debet distingui essentia, & existentia. Essentia sunt illius prædicata essentialia, quibus definitur, & constituitur, in quantum possibile. Eius autem existentia est illud exercitium, quo de facto existit obiectivè in intellectu. Nota secundo, quod ens rationis aliquando fundatur in ente reali, aliquando vero in alio ente rationis. Primum patet in relatione dominij divini ad creaturas, quæ in Omnipotentia reali Dei fundatur. Secundum patet in relatione, qua universale in communi denominatur genus ad universalia in particulari.

Statuitur prima conclusio.

DICO Primo: *Ens rationis nequit existere per existentiam sui fundamenti realis.* Probat: quando fundamentum est reale, existit per existentiam realem; sed ens rationis nequit existere per existentiam realem; ergò nequit existere per existentiam sui fundamenti realis. Minor probatur primo: quia ens reale nequit existere per existentiam fictam, & rationis; ergò nec ens rationis

potest existere per existentiam realem. Secundo: quia si ens rationis existeret per existentiam realem, realiter existeret; sed ens rationis nequit realiter existere: ergò nequit existere per existentiam realem.

3. Confirmatur: Existencia realis realiter communicata denominat subiectum realiter existens; sed si ens rationis existeret per existentiam realem sui fundamenti realis, existentia realis ei communicaretur realiter: ergò realiter denominaretur existens, quod est impossibile. Minor probatur quia tunc existentia realiter communicatur, quando communicatur ante omnem operationem, & fictionem intellectus, sed si existeret per existentiam realem sui fundamenti, existeret ante omnem operationem, & fictionem intellectus per illam: ergò ei communicaretur realiter, & consequenter realiter existeret.

4. Secundo probatur conclusio: si ens rationis existeret per existentiam sui fundamenti realis, inciperet existere quando suum fundamentum reale; sed hoc est impossibile: ergò & quod existat per existentiam sui fundamenti realis. Minor probatur primo: quia si fundamentum est reale, incipit existere independententer à fictione intellectus; sed ens rationis nequit incipere independententer à fictione intellectus, cum sit es-

essentialiter ens fictum: ergò. Secundo: negatio alterius mundi, & omnipotentia divina existunt ab æterno, suntque fundamenta entium rationis; & tamen nullum ens rationis existit ab æterno, nullum enim ens, præter Deum, æternum est: ergò ens rationis non existit per existentiam sui fundamenti realis.

Statuitur secunda conclusio, & utraque probatur.

DICO Secundo: *Nec entia rationis, que in alijs entibus rationis fundantur, existere possunt, nisi actu cognoscantur, per existentiam sui fundamenti.* Probatur: etsi existat ens rationis fundans, potest non existere ens rationis fundatum: ergò ens rationis fundatum non existit per existentiam fundamenti, quod est ens rationis. Antecedens probatur: etsi existat ens rationis fundans, potest intellectus nihil cogitare de ente rationis fundato; sed dum intellectus nihil cogitat de ente rationis, illud non existit: ergò etsi existat ens rationis fundans, potest non existere ens rationis fundatum. Minor probatur: ens rationis non aliter potest existere, quam obiectivè; sed dum intellectus nihil cogitat de illo, non existit obiectivè in intellectu, cum illi non obijciatur: ergò dum intellectus nihil cogitat de ente rationis, ens rationis non existit.

6 Confirmatur: ens rationis essentialiter est ens fictum, ita ut nec possit fieri, nec conservari, nisi per fictionem: ergò nequit existere, nisi dum fingitur; sed dum fingitur cognoscitur: ergò nequit existere, nisi actu cognoscatur. Minor subsumpta patet: quia tunc aliquid fingitur, quando repræsentatur ac si esset; sed quando ens rationis repræsentatur ac si esset, cognoscitur: ergò, dum fingitur ens rationis, cognoscitur.

Solvuntur argumenta.

7 **A**RGVES Primo: ens rationis potest existere per existentiam realem: ergò quin actu cognoscatur potest existere per existentiam sui fundamenti. Antecedens probatur: ens rationis potest repræsentari per speciem realem: ergò potest existere per existentiam realem. Respondeo negando hanc consequentiam; quia ex eo quod repræsentetur per speciem realem tantum sequitur, quod realiter repræsentetur; ex eo autem quod existat per existentiam realem, sequitur, quod realiter existat; & licet ens rationis possit realiter repræsentari, nequit tamen realiter existere.

8 Sed contra replica- bis: ex eo quod humanitas Christi subsistat per subsistentiam infinitam, non sequitur quod infinite subsistat: ergò ex-

eo quod ens rationis existat per existentiam realem, non sequitur quod realiter existat. Respondeo, negando consequentiam; quia licet humanitas Christi subsistat per subsistentiam infinitam, tamen subsistentia non communicatur ei infinite, sed limitate, & finite, ideoque tantum denominat humanitatem finite subsistentem. At vero, si ens rationis existeret per existentiam realem sui fundamenti, talis existentia communicaretur ei realiter, quia redderetur existens ante omnem fictionem intellectus, unde denominaretur realiter existens.

9 Obijcies secundo: Potentia potest existere sine actu: ergo potest existere esse obijcibile, quin actu obijciatur; sed ens rationis est quoddam esse obijcibile: ergo potest existere, quin actu obijciatur, & consequenter antequam actu cognoscatur. Respondeo primo: instando argumentum: ens reale est quoddam esse producibile; & tamen nequit existere antequam producat: ergo similiter licet ens rationis sit quoddam esse obijcibile, non sequitur quod possit existere antequam obijciatur. Deinde respondeo distinguendo antecedens: potentia ad existendum potest existere sine actu, nego antecedens: potentia ad aliud exercitium, concedo antecedens; & nego consequen-

tiam. Quod potest existere ens rationis idem sit, ac actu obijci intellectui, potentia ut obijciatur, sive esse obijcibile nihil aliud est, quam potentia ad existendum; cum autem hæc existere nequeat sine actu, inde est quod nec illa potest existere, quin actu obijciatur.

10 Obijcies tertio: cæcitas est ens rationis; sed cæcitas existit ante fictionem intellectus: ergo ens rationis potest existere ante fictionem intellectus. Respondeo distinguendo maiorem: cæcitas est ens rationis, sumpta positivè, & per modum entis, concedo maiorem: sumpta remotivè, & per modum non entis, nego maiorem, & distinguo minorem: cæcitas existit ante fictionem intellectus remotivè, concedo minorem: positivè, nego minorem, & consequentiam. Quia cæcitas solum est ens rationis considerata per modum forme positivæ, & hoc modo non existit à parte rei, sive ante fictionem intellectus: existit verò remotivè, nam existere remotivè nihil aliud est, quam non existere visum in oculis; & à parte rei, sive ante fictionem intellectus verè non existit visus in oculis cæci.

11 Sed replicabis: Signum ad placitum est ens rationis; & tamen existit positivè ante fictionem intellectus: ergo ens rationis existit positivè ante fictionem intellectus. Respondeo

deo distinguendo maior ē: signū ad placitum est ens rationis, si consideretur formaliter relative, concedo maiorem; si consideretur fundamentaliter, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia ante fictionem intellectus solum dantur signa ad placitum fundamentaliter, non autem formaliter. Adverte tamen quod licet à parte rei non detur forma constituens formaliter aliquid in ratione signi, nihilominus tamen absolute denominatur signum à parte rei, quia in aliquibus entibus rationis sufficit existere à parte rei fundamentum, ut detur absoluta denominatio. Unde Deus absolute denominatur Dominus à parte rei, licet à parte rei non detur relatio dominij ad creaturas; & licet à parte rei Christus Dominus (iuxta D. Thom.) non habeat formaliter relationem Filij ad Matrem, tamen à parte rei denominatur absolute Filius Virginis, & sic de alijs, quia huiusmodi denominationes absolute loquendo desumuntur à fundamentis realibus.

12 Denique objicies: Si ens rationis non existeret, nisi dum actu cognoscitur, posset existere ens rationis absque suis proprietatibus; sed hoc est impossibile, cum non possit dari essentia sine proprietatibus: ergo ens rationis potest existere etiam dum actu non cognoscitur. Maior patet; quia potest

cognosci ens rationis, non cognitio eius proprietatibus: ergo si ens rationis non existeret, nisi dum actu cognoscitur, existere posset sine proprietatibus. Respondeo, concessa maiori, negando minorem; quia in entibus rationis potest quam optime existere essentia sine proprietatibus, quia cum eorum esse sit fictum; possitque fingi ens rationis, quin eius proprietates fingantur, quia, scilicet, intellectus ipsas sibi non repræsentat, inde est, quod possit existere essentia entis rationis sine proprietatibus.

QVÆSTIO. VI.

Quotuplex sit ens rationis.

1 SOLET Ens rationis dividi primo in ens rationis ratiocinatæ, sive cum fundamento, & ens rationis ratiocinantis, sive sine fundamento. Secundo in negationem, privationem, & relationem. Tertio in primam, & secundam intentionem. De qualibet divisione seorsum disputabimus. Pro quo.

Explicatur, & defenditur prima divisio entis rationis.

2 DICO Igitur: Dantur entia rationis cum fundamento in re, & entia rationis sine fundamento in re, atque adeo recta est di-

Vigō entis rationis in ens ratio- nis cum fundamento, & ens rationis sine fundamento. Pro- batur: ens rationis ad cuius for- mationem invitante res, est ens rationis cum fundamento, & ens rationis, ad quod forman- dum nullam occasionem præ- bent res, est sine fundamento; sed res aliquando invitante ad formandum ens rationis, & ali- quando ad id nullam præbent occasionem: ergo dantur entia rationis cum fundamento, & entia rationis sine fundamento. Maior ex terminis videtur no- ta. Minor probatur: nam concipere tenebras admodum entis; concipere dominium divinum per modum relationis ad crea- turas, & concipere animal ut distinctum à rationali est for- mare ens rationis. Rursus, con- cipere hircum ut cervum, ho- minem ut equum, & alia hu- iusmodi monstra est etiam fa- cere entia rationis; sed ad pri- mum invitante res, secus ve- ro ad secundum: ergo res ali- quando invitante ad forman- da entia rationis, & aliquan- do ad id nullam præbent oc- casionem. Minor probatur: nam in primis tenebræ cum in se nihil sint, & intellectus nihil possit concipere, nisi sub ra- tione entis, invitante intellec- tum ut illas concipiat ad mo- dum entis; & dominium divi- num, licet nullum respectum realem dicat ad creaturas, cum tamen sit potestas ad creatu-

ras producendas, invitante intel- lectum, ut illud concipiat cum respectu ad ipsas; rursus- que, licet animal & rationali- tale in homine sint realiter idem, quia tamen habent di- stinctas operationes, scilicet, sentiendi & discurrendi, invi- tant intellectum, ut illa concipiat ut distincta. Cæterum hircus nullam occasionem præstat intellectui, ut illud concipiat admodum cervi, nec homo ut illud concipiat admodum equi: ergo illa omnia invitante intellectum ad formanda entia rationis, secus autem hæc.

3 Confirmatur: quan- do res non possunt perfecte & ordinate concipi, nisi for- metur ens rationis, illud ens rationis est cum fundamento; quando vero res possunt per- fectè & clarè concipi absque formatione entis rationis, il- lud ens rationis est sine fundamento; sed dominium divinum nequit concipi or- dinate, nisi cum respectu rationis ad creaturas; nec animal & rationale clare & di- stinctè, nisi concipiantur ut distincta; nec tenebræ nisi con- cipiantur admodum entis. Er- go entia rationis, quæ his cog- nitionibus formantur; sunt en- tia rationis cum fundamento. Deindè; hircus potest conci- pi optimè, quin concipiatur ut cervus, & homo quin con- cipiatur ut equus: ergo dum ita concipiuntur, dantur entia

rationis sine fundamento. Dantur ergo entia rationis cum fundamento, & entia rationis sine fundamento.

4 Sed, licet omnia prædicta certissima sint, desumptaque ex D. Thom. pluribus in locis, præcipueque ex 1. 2. q. 1. artic. 3. atque aded communissima inter Philosophos, aliqui tamen, ut sunt Herice, Serna, Ariaga, & P. Lincè, & Oviedo, asserunt nullum dari ens rationis cum fundamento, sed omnia esse chimerica. Pro quibus argues: ens rationis fit per cognitionem rei aliter ac est in se; sed nulla res præbet intellectui occasionem, aut illum invitat ad cognoscendam rem aliter, ac est in se: ergo nulla res præbet intellectui fundamentum ad formandum ens rationis.

5 Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: nulla res præbet occasionem intellectui cognoscenti res intuitivè, & per adæquatas species ad illam cognoscendam aliter ac est in se, concedo minorem; intellectui cognoscenti res abstractivè, & inadæquatè, nego minorem, & consequentiam. Itaque res non præbent intellectui divino fundamentum, aut Angelico, ut illas concipiat aliter ac sunt in se, quia cum intellectus divinus & Angelicus concipiant res intuitivè, & adæquatè, unico conceptu concipiunt rem clarè, perfectè, & prout est in se; ac proindè non indigent ad res

perfectè cognoscendas, illas concipere inadæquate cum distinctionibus, aut respectibus rationis, ideoque res nullum præbent intellectui Angelico, aut divino fundamentum ad illas concipiendas aliter ac sunt in se, sive talibus respectibus, aut distinctionibus rationis. At vero intellectus humanus, cum nequeat cognoscere res intuitivè & adæquatè prout sunt in se, indiget ad illas cognoscendas perfectè, illas percipere sub distinctionibus & respectibus rationis; quibus ipsæ res clariores apparent, & ordinate cognoscuntur; quapropter res ratione suæ eminentiæ & perfectionis, sæpè invitant intellectum humanum, ut illas inadæquatè pluribus conceptibus cognoscat, ita ut vno conceptu vnum prædicatum, & alio conceptu aliud prædicatum concipiat, quasi essent distincta; & sic de reliquis, cuius doctrinæ clarior intelligentia resultabit ex dicendis infra.

Explicatur & probatur secunda divisio entis rationis.

6 **S**ECUNDA Divisio entis rationis est in negationem, privationem, & relationem. Pro cuius intelligentia nota, quod negatio est carentia formæ in subiecto incapaci, v. g. carentia visus in lapide; privatio vero est carentia formæ in subiecto

to capaci, v. g. carentia vitus in homine; relatio vero definitur à Philosopho; *cujus totum suum esse est in ordine ad aliud.*

7 Secundo nota, carentias rerum non esse entia realia & vera impediencia, & excludentia formas oppositas, licet enim contrarium defendant aliqui RR. ut sunt Palavicinus, P. Antonius Perez, P. Ribadencira, quorum impugnationem prætermittimus vsque dum opportunior reddat occasio; carentiæ tamèn à parte rei nihil sunt, vere & realitèr loquendo, sed vnicè important non esse formarum oppositarum, v. g. carentia lucis in aere nullum esse verum & reale importat, sed solum non esse lucis.

8 Tertio nota, quod licet relatio aliquando sit realis, ut relatio inter patrem, & filium, tamèn ex proprio, & peculiari conceptu non explicat realitatè aut identitatè, ut enim ait D. Th. relatio ex proprio & speciali conceptu non est aliquid, sed ad aliquid. Quibus suppositis.

9 Afferro primo: *Negatio, & privatio sunt entia rationis, & etiam aliquando relatio.* Est communis sententia, & probatur: id quod in se non est ens, & concipitur àc si esset ens, est ens rationis; sed negatio, & privatio, & aliquando relatio in se non sunt entia, & concipiuntur, àc si essent entia: ergò sunt entia rationis. Maior est certissima, quia quod in se non est ens, &

concipitur àc si esset, tantum habet esse obiectivè in intellectu. Minor vero, quoad primam, & secundam partem, patet; quia ut suprâ notavimus, carentiæ, ut sunt negatio, & privatio, in se non sunt entia vera & realia, & cum aliàs intellectus illas concipiat sub ratione entis affirmando eas esse, v. g. quando dicit, *tenebrae sunt in aere, cecitas est in homine, &c.* planè constat, privationem, & negationem in se non esse entia, & concipi ab intellectu àc si essent entia. Quoad tertiam autem partem, videlicet de relatione, probatur: nam relatio facta inter animal & rationale, & relatio Dei ad creaturas, & alia similes in se non sunt entia, & aliàs intellectus, illas concipit àc si essent entia: ergò. Quod non sint entia in se, patet; quia in primis ex proprio & peculiari conceptu, ut prænotavimus, relationes non sunt entia; deindè prædictæ relationes, adhuc præsuppositivè; & pro implicito non sunt entia in se, cum verè & realitèr non existant in se ipsis, sed tantum obiective in intellectu: ergò prædictæ relationes in se non sunt entia, & concipiuntur ut entia, & consequentèr sunt entia rationis.

10 Explicatur: relatio paternitatis idè non est ens rationis, quia licet ex proprio conceptu non sit ens in se, sive reale, tamèn præsuppositivè, & pro implicito est ens reale vere existens

in patre; sed relatio inter animal, & rationale, & relatio dominij Dei ad creaturas, adhuc pro implicito, & præsuppositive non existunt, nec possunt existere verè & realitèr: ergò tales rationes non sunt entia realia, sed rationis.

11 **A**ssero secundo: Nul- lum aliud datur ens rationis præ- ter privationem, negationem, & re- lationem, ac per consequens prædi- cta divisio est adequata. Proba- tur: quod ex proprio conceptu est ens verum & reale, non est ens rationis; sed omnia alia præ- ter privationem, negationem, & relationem sunt entia vera & realia: ergò nihil aliud præter tria relata est ens rationis. Mi- nor, in qua est difficultas, pro- batur: quia omnia alia præ- ter tria relata vel sunt substan- tia, vel accidentia, quorum quælibet sunt entia vera, & realia: quis enim dubitabit, sub- stantiam, quantitatem, qualita- tem, &c. esse entia realia & ve- ra ex proprio conceptu, cum sint genera entis realis in to- ta sua latitudine? Ergò omnia alia præter tria relata sunt entia realia & vera:

12 **C**onfirmatur: si ali- quando daretur quantitas ratio- nis, v.g. maximè quãdo id quod non est quantitas, concipitur ad modum quantitatis; sed licet quod non est quantitas concipitur ad modum quantitatis, non sequitur quod tunc quan- titas sit quantitas rationis: ergò

non datur quantitas rationis; idemque de alijs generibus. Mi- nor probatur primo: quia licet quod non est Sol concipatur ad modum Solis, non sequitur quod Sol sit ens rationis; aliàs enim pro meo libito possem facere quod Sol esset ens rationis, con- cipiendo quod non esset Sol ad modum Solis: ergò similiter, licet quod non est quantitas concipatur ad modum quanti- tatis, non sequitur quod illa quantitas sit rationis.

13 **E**xplicatur: ens ra- tionis non est id ad cuius instar aliquid concipitur, sed id quod cum in se non sit ens con- cipitur ut ens; sed quando quod non est quantitas concipitur ad modum quantitatis; tunc quantitas est ad cuius in- star aliquid concipitur, non est autem id quod in se non est ens, & concipitur ut ens: er- gò tunc quantitas non est ens rationis.

Solvuntur argumenta:

14 **O**BJECIES Primò contra primũ assertum: quãdo concipitur negatio ad mo- dum entis non fit ens rationis: ergò negatio non est ens ratio- nis. Antecedens probatur: quan- do concipitur Angelus ad mo- dum juvenis non fit ens ratio- nis: ergò nec quando concipitur negatio ad modum en- tis. Respondeo negando ante-

cedens: Ad probationem dis-
 nguo antecedens: quando con-
 cipitur Angelus ad modum cor-
 poris entitative, nego antece-
 dens: quando concipitur Ange-
 lus ad modum corporis conno-
 tative, concedo antecedens, &
 nego consequentiam. Itaque du-
 pliciter potest aliquid concipi
 ad modum alterius, scilicet, con-
 notative, & entitative. Tunc
 cognoscitur ad modum alterius
 nonnotative quando cognosci-
 tur ad similitudinem alterius, &
 per speciem illius, non quia ap-
 prehendatur vnum ut aliud, si-
 ve ut idem cum alio, sed quia
 vnum apprehenditur per compa-
 rationem ad aliud, v. g. quando
 cognosco Romam ad modum
 Marriti, non enim apprehendo
 Romam, ac si ipsa esset Marritu,
 nec ut eandem cum Marrito.
 Tunc autem cognoscitur vnum
 ad modum alterius entitative,
 cum intellectus cognoscit vnum,
 ac si esset aliud, sive ut idem
 cum alio, v. g. cum concipit hir-
 cum ut cervum, negationem ut
 ens, & alia huiusmodi: cum igitur
 intellectus concipit vnum
 ad modum alterius entitative
 format ens rationis: cum vero
 concipit vnum ad modum alter-
 rius connotative non format ens
 rationis.

Igitur, si intellectus cognosce-
 ret Angelum ad modum corpo-
 ris entitative, hoc est, Angelum
 ut corpus, sive ut idem cum cor-
 pore, faceret ens rationis, non
 minus, quam dum cognoscit ho-

mine ut equum; ceterum quia
 regulariter intellectus non con-
 cipit Angelum hoc modo, sed
 tantum connotative ad modum
 corporis, hoc est per speciem &
 similitudinem corporis, ideo re-
 gulariter non format ens ratioe
 nis. Ceterum, dum intellectus
 cognoscit negationem affirma-
 tive, & per assensum, v. g. quando
 dicit, *terebre sunt in aere*, illas
 cognoscit ac si essent ens affir-
 mando de illis esse, ac per conse-
 quens cognoscit illas non solum
 ad similitudinem entis, sed ut ens
 in se & entitative, alias enim il-
 las non posset percipere, cum
 intellectus solum possit percipere
 re ens ut tale.

15 Obijcies secundo:
 Quando concipitur hircocer-
 vus, & alter Deus sit aliquod ens
 rationis: non aliud nisi substan-
 tia rationis: ergo datur substan-
 tia rationis. Confirmatur sub-
 stantia ficta est substantia ratio-
 nis: sed datur substantia ficta: er-
 go datur substantia rationis. Minus
 probatur: substantia creata infie-
 nita non est vera, & possibilis
 substantia, sed ficta, & impossibi-
 lis: ergo datur substantia ficta:
 Respondeo concessa maiori, ne-
 gando minorem, nam in illo ca-
 su fit ens rationis negativum,
 quia cum Deus essentialiter sit
 vnus, concipitur in eo alteritas, &
 distinctio, quae negatio est, con-
 sistit enim in eo quod vnum non
 sit aliud: & cum hircus sit essen-
 tialiter non cervus concipitur
 ut cervus, ac proinde non cer-

vus, qui importat negationem essendi cervum, concipitur ut cervus, sive ut ens; quod re ipsa non est, & consequenter fit ens rationis negativum.

16 Quod si dicas: Non fit ens rationis negativum, nisi, dum concipitur negatio; sed dum concipitur hircocervus, vel alter Deus, non concipitur negatio: ergo non fit ens rationis negativum. Respondeo, distinguendo maiorem: nisi dum concipitur negatio in concreto, vel in abstracto, concedo maiorem: semper in abstracto, nego maiorem, & distincta minori, eodem modo, nego consequentiam. Itaque, dum concipitur hircocervus, concipitur negatio cervi in concreto, hoc est, non cervus, quia concipitur hircus, qui est non cervus. Et dum concipitur alter Deus, concipitur Deus non Deus, sive Deus non unus; & hoc sufficit ad formandum ens rationis negativum, nam quoties fingitur aliquid esse, quod non est, & quoties fingitur aliquid non esse, quod est, semper fit ens rationis negativum.

17 Ad confirmationem, distinguo maiorem: substantia ficta quoad rationem substantiae est substantia rationis, concedo maiorem: ficta quoad rationem essendi quod non est, nego maiorem: & distinguo minorem, eodem modo. Ad cuius probationem dico quod, dum concipitur substan-

tia creata infinita; aut super naturalis, non fingitur in substantia quod sit substantia creata; hoc enim verò illi convenit; sed fingitur quod, sit pluraquam potest esse, sive quod sit id, quod non est, nec potest esse scilicet, supernaturale, & infinita: fit ergo ens rationis negativum, quatenus non ens supernaturale concipitur, ut ens supernaturale, & non ens infinite concipitur ut ens infinite: sicut enim fit ens rationis negativum, cum non ens concipitur ut ens, ita fit ens rationis negativum, quando non tale ens concipitur ut tale ens.

18 Obijcies tertio: Cum id, quod non est ens, concipitur ut ens, fit ens rationis: ergo cum id, quod non est quantum, concipitur ut quantum, ut cum spacia imaginaria concipiuntur plena quantitate alicuius corporis, fit quantitas rationis. Confirmatur: Cum id, quod non est quantum concipitur ut quantum, ibi datur quantitas ficta: ergo quantitas rationis. Respondeo concessio antecedenti, negando consequentiam; quia denominatio entis rationis sumitur ab eo, quod, cum in se non sit ens, concipitur ut ens; semper igitur quod non ens concipitur ut ens, fit ens rationis, ceterum hoc ens rationis denominatur ab eo, quod non est ens. Si ergo illud fuerit privatio, denominatur privativum, si ne-

Ratio negativum, si relatio relati-
vum. Cum autem id, quod in
se non est ens, nequeas esse quan-
titas, ideo nequit dari ens ratio-
nis quantitativum, aut quanti-
tas rationis.

19. Ad confirmationem
nego antecedens proprie lo-
quendo; nam ibi non fingitur
quantitas ipsa, sed quod non est
quantum, fingitur esse quantum:
Sicut cum comædus fingit
Regem in Theatro, Rex ipse,
quem comædus fingit, non est
fictus, sed comædus ipse est,
qui subiective fingitur Rex, si-
ve fingitur esse quod non est:
patet autem quod ens rationis
solum dicitur proprie de illo,
quod subiective fingitur esse
quod non est, non autem de illo
ad cuius modum fingitur aliud:
Unde quando non quantum con-
cipitur ad modum quantitatis,
ibi ens fictum est non quantum
quod fingitur esse quantum, &
hoc est ens rationis negativum;
quantitas vero non fingitur esse
quod non est, & consequenter
nec est subiective ficta, nec ens
fictum, nec ens rationis.

20. Obijcies quarto: vni-
tas rationis est ens rationis; sed
nullum est ex tribus relatis: ergo
datur præter relatâ aliud. Minor
probatur: quia in primis non est
relativum, unitas enim est quid
absolutum; deinde, nec est nega-
tivum, vel privativum, quia
unitas est quid positivum iuxta
D. Thom. I. p. quest. 11. art. 1.
ergo unitas rationis nullum est

ens rationis ex tribus relatis.
Respondeo negando minorem.
Ad cuius probationem dico,
quod unitas rationis est nega-
tio rationis, nam licet unitas pro
materiali sit quid positivum, ta-
men pro formali importat ne-
gationem.

21. Obijcies quinto: pri-
vatio est principium generatio-
nis realis; sed ens rationis nequit
esse principium generationis
realis: ergo privatio non est ens
rationis. Distinguo maiorem;
privatio remote sumpta, con-
cedo maiorem: privatio sumpta
per modum entis positivi, nego
maior, & distincta minori
eodem modo, nego consequen-
tiam. Nam privatio prout reve-
ra à parte rei remove formam,
qua privat, est principium gene-
rationis, sed non est ens rationis;
& prout ab intellectu concipi-
tur ut ens positivum, ens ra-
tionis, sed non principium ge-
nerationis.

22. Ex dictis colliges
prædictam divisionem entis ra-
tionis esse adæquatam, non so-
lum intellectam de ente ratio-
nis cum fundamento in re, sed
etiam de ente rationis chimeri-
co, & sine fundamento; quia nul-
lum est excogitabile ens ratio-
nis sive cum fundamento, sive
sine fundamento, quod ad unum
ex tribus relatis non reduca-
tur, ut satis probatum

manet.

Explicatur tertia divisio entis rationis.

23 **T**ERTIO Dividitur ens rationis in primam, & secundam intentionem. Pro cuius intelligentia nota primo, non sumi hic intentionem pro actu voluntatis intendentis finem, sed pro conceptu intellectus, qui intentio dicitur. Unde sicut conceptus est duplex, alius formalis, alius obiectivus, ita intentio est duplex, una, scilicet, formalis, obiectiva alia. Intentio formalis est actus intellectus cognoscens obiectum. Intentio obiectiva est obiectum cognitum per actum intellectus. Rursusque intentio tam obiectiva, quam formalis dividitur in primam, & secundam. Prima intentio formalis est actus, quo primo cognoscitur obiectum; & prima intentio obiectiva est obiectum ut primo cognitum ab intellectu, & prout correspondens ex parte obiecti primae intentioni formali. Secunda intentio formalis est actus, quo cognoscitur obiectum ut iam cognitum, & ut existens obiective in intellectu per alteram cognitionem. Secunda intentio obiectiva est obiectum prout cognitum per secundam intentionem formalem, & prout illi ex parte obiecti correspondens.

24 Ex his colliges, primam & secundam intentionem in eo differre, quod prima cadit su-

pra obiectum ut erat a parte rei; secunda cadit supra obiectum prout iam erat obiective in intellectu per primam intentionem. Secundo differunt in eo, quod fundamentum proximum primae intentionis datur ante operationem intellectus. Fundamentum autem secundae intentionis solum datur obiective in intellectu per primam intentionem; unde prima, & secunda intentio hunc ordinem servat: datur a parte rei fundamentum proximum primae intentionis, & intellectus in illo fundatus concipit primam intentionem, & haec prima intentio iam concepta deservit ut fundamentum proximum ad formandam secundam intentionem.

25 Nota ultimo, quod ad secundam intentionem non sufficit, quod obiectum supponatur cognitum materialiter, & per accidens, sed requiritur quod secunda intentio essentialiter, & per se supponat obiectum iam cognitum, & supra illud ut sic fundetur. Unde licet Petrum semel, & iterum, atque tertio cognoscas hoc conceptu *Petrus*, nunquam formas secundam intentionem, quia quaelibet ex illis cognitionibus terminatur ad Petrum secundum id, quod habet a parte rei, nullaque terminatur ad illum prout cognitum per aliam, supponendo essentialiter, & per se obiectum ut cognitum, sed tantum materialiter & per accidens. His suppositis.

26 **A**ssero primo: Prima intentio obiectiva aliquando est ens rationis, aliquando est ens reale. Probat: obiectum ut primo cognitum ab intellectu est prima intentio obiectiva; sed obiectum ut primo cognitum, aliquando est ens rationis, aliquando est ens reale: ergo prima intentio obiectiva aliquando est ens rationis, aliquando est ens reale. Min. probatur in his duabus cognitionibus, *Petrus*, & *tenebrae*, quarum neutra supponit obiectum ut antea cognitum, sed utriusque obiectum primo reddatur cognitum per suam cognitionem; & tamen obiectum primae, scilicet *Petrus*, est ens reale, & obiectum secundae, scilicet *tenebrae*, est ens rationis: ergo obiectum ut primo cognitum aliquando est ens reale, aliquando est ens rationis.

27 **C**onfirmatur: entia rationis, quae habent fundamentum proximum à parte rei, sunt primae intentiones obiectivae; sed plura entia rationis habent fundamentum proximum à parte rei: ergo plura entia rationis sunt primae intentiones obiectivae. Minor probatur: relatio Magistri, & Doctoris immediate & proximè fundatur in doctrina; & relatio dominij in Deo ad creaturas immediate fundatur in Omnipotentia; sed Omnipotentia, & doctrina existunt à parte rei: ergo aliqua entia rationis, qualia sunt praedictae relationes, habent funda-

mentum proximum à parte rei.

28 **S**ed objicies contra hoc assertum quoad primam partem, in qua sola stat difficultas: omne ens rationis est secunda intentio rationis: ergo prima intentio nunquam est ens rationis. Probat: antecedens: omne ens rationis convenit rebus ut cognitis; sed secunda intentio est, quae convenit rebus ut cognitis: ergo omne ens rationis est secunda intentio. Confirmatur: prima intentio obiectiva est obiectum, ad quod terminatur prima intentio formalis; sed prima intentio formalis terminatur ad obiectum prout erat à parte rei: ergo prima intentio obiectiva semper est obiectum prout est à parte rei, & consequenter nunquam erit ens rationis. Min. patet: quia prima intentio formalis terminatur ad obiectum prout illud supponit; sed illud supponit ut existens, à parte rei: ergo terminatur ad obiectum prout est à parte rei.

29 **R**espondeo ad argumentum negando antecedens: Ad cuius probationem distinguo maiorem: omne ens rationis convenit rebus ut cognitis; ly ut reduplicante fundamentum entis rationis semper, nego maiorem: ly ut reduplicante fundamentum, vel formam entis rationis, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Itaque ens ratio semper convenit rebus ut cognitis, sed

sed aliquando fundamentum illius sunt res, ut præcognitæ ante formationem illius; & hoc accidit in ente rationis, quod est secunda intentio, quia hæc fundatur in rebus etiam cognitæ; aliquando vero res, ut cognitæ sunt ipsum ens rationis, & non fundamentum illius, ut quando primo cognoscitur *hirco cervus*, & *Magister*.

30 Ad confirmationem, distinguo maiorem: prima intentio obiectiva est obiectum, ad quod terminatur speculative prima intentio formalis, nego maiorem; ad quod terminatur practice, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Ad probationem minoris eodem modo respondeo, quod prima intentio formalis, quando facit ens rationis, aliud supponit, & aliud fingit; supponit quidem obiectum secundum id, quod habet à parte rei; sed fingit in illo aliquem respectum, aut esse. Ad primum quidem terminatur speculative, quia illud supponit; ad secundum terminatur practice, quia illud fingit. Totum hoc patet in cognitione, qua cognoscimus Deum, ut dominium creaturarum; quæ quidem speculative terminatur ad Deum, illumque supponit prout est à parte rei; terminatur vero practice fingendo ad respectum dominij ad creaturas, quem apprehendit in Deo.

31 *Assertio secunda:*

Omnis secunda intentio obiectiva est ens rationis. Est communis Thomistarum cum D. Thom. qui 4. Metaph. lect. 4. sic fatetur: *Ens rationis proprie dicitur de illis intentionibus; quas ratio adinvenit in rebus consideratis.* Et probatur ratione: secunda intentio obiectiva convenit rebus, ut iam cognitæ; sed quod est reale convenit rebus antequam cognoscantur, & independenter à cognitione: ergo secunda intentio obiectiva non est quid reale, sed rationis.

32 Sed respondent communiter PP. Societatis distinguendo minorem: quod est reale physicum, concedunt minorem: quod est reale intentionale, negant minorem; quia secunda intentio obiectiva (inquiat) est denominatio extrinseca cogniti, quæ cum formaliter consistat in cognitione est realis intentionalis, sicut ipsa cognitio.

33 Sed contra est: nam secunda intentio obiectiva se tenet ex parte obiecti; sed denominatio extrinseca cogniti se tenet ex parte actus; cum sit ipsa cognitio: ergo secunda intentio obiectiva non est denominatio extrinseca cogniti; & consequenter, nec aliquid reale intentionale. Maior; quæ sola difficilis est, probatur: secunda intentio obiectiva est illud, quod intellectus secundo intelligit de re, ita enim illam appellat D. Thom. opuscul. 56. Sed quod in-

Intellectus secundo intelligit de re se tenet ex parte obiecti: ergo secunda intentio obiectiva se tenet ex parte obiecti.

34 **Assero tertio: Fundamentum proximum secundæ intentionis semper est aliquid rationis, sive positivum, sive negativum.** Probatur contra Prado, qui pro se refert plures ex Thomistis: fundamentum proximum secundæ intentionis est res obiectivè existens in intellectu aliter, ac existebat in re; sed res ut sic existens involvit aliquid rationis: ergo fundamentum proximum secundæ intentionis semper est aliquid rationis. Probatur maior: fundamentum proximum secundæ intentionis non est res existens obiectivè in intellectu eo modo, quo existebat in re: ergo est res existens obiectivè in intellectu aliter, ac existebat in re. Probo antecedens: res eo modo, quo existebat in re, non fundabat proximè secundam intentionem: ergo neque illam fundabit proximè prout existens obiectivè eo modo, quo existebat in re: ergo necessarium est quod existat obiectivè aliter, ac erat in re, ut proximè fundet secundam intentionem rationis.

35 Sed dices cum Prado, fundamentum proximum secundæ intentionis esse denominationem extrinsecam cogniti. Sed contra: fundamentum proximum secundæ intentionis debet esse in ipsa re cognita, &

obiecto, nam secunda intentio est ens rationis cum fundamento in re cognita; sed denominatio extrinseca cogniti, cum formaliter sit ipsa cognitio, non est in re cognita, neque in obiecto: ergo non est fundamentum secundæ intentionis. Confirmatur: si denominatio extrinseca cogniti sufficeret ad fundandam secundam intentionem, quælibet cognitio fundaret illam, cum ex qualibet cognitione resulter denominatio extrinseca cogniti; sed non quælibet cognitio fundat secundam intentionem: ergo denominatio extrinseca cogniti non fundat secundam intentionem.

QUESTIO. VII.

Per quam potentiam fiat ens rationis?

POTEST Dubitari primo de sensibus corporis, tam internis, quam externis. Secundo de voluntate, & intellectu, utrum faciant entia rationis. Pro cuius enodatione notandum est primo, sensus corporales alios esse externos, alios internos. Externi sunt visus, gustus, auditus, odoratus, & tactus. Interni sunt quatuor, videlicet, sensus communis, qui percipit, & discernit obiecta sensum externorum; Existimativa, quæ percipit utilitatem, & convenientiam, aut inconvenientiam, & oppositionem;

men, ut quando ovis percipit oppositionem cum lupo, & hirundo utilitatem palearum ad nidum; alius est Phantasia, vel Imaginativa, quæ format imagines rerum corporearum; denique Memoria, quæ recordat species rerum præteritarum. Sic ergo.

Nostra conclusio.

DICO Igitur: Nullus sensus corporeus facit entia rationis.

Probatum primo: nullus sensus corporeus potest percipere ens rationis: ergo nec illud efficere. Probatum antecedens: ens rationis est extra spheram, & obiectum cuiuslibet sensus corporei; sed nullus sensus potest percipere, quod est extra illius spheram, & obiectum extensivum: ergo nullus sensus corporeus potest percipere ens rationis. Maior, in qua stat difficultas, probatur spheram, & obiectum extensivum cuiuslibet sensus corporei debet esse materiale, & corporeum; sed ens rationis, nec est materiale, nec corporeum: ergo est extra spheram, & obiectum cuiuslibet sensus corporei.

3 Confirmatur: Iuxta communem Theologorum sententiam Deus, & Angelus non possunt attingi per sensus corporeos, neque externos, nec internos, quia carent omni corpore, & materia; sed ens ratio-

nis magis caret corpore, & materia, quam Deus, & Angelus, cum sit realiter nihil: ergo per nullum sensum corporeum, sive internum, sive externum potest percipi, sive fieri ens rationis.

4 Secundo probatur conclusio: Ens rationis est quoddam impossibile fictum non potens realiter existere; sed nullus sensus corporeus potest percipere impossibile: ergo nec ens rationis. Minor, in qua stat difficultas, probatur: impossibile est complexum ex essentijs repugnantibus; sed sensus corporeus nequit percipere complexum ex essentijs repugnantibus: ergo nequit percipere ens rationis. Minor probatur: solus intellectus potest concipere essentias rerum: ergo sensus corporeus nequit percipere complexum ex essentijs repugnantibus. Probatum antecedens: essentiae rerum sunt intimæ in ipsis rebus, & quasi intus inclusæ in illis; sed solus intellectus potest percipere, quod est intimum, & quasi intus inclusum in rebus: ergo solus intellectus potest percipere essentias rerum. Probatum minor: solus intellectus potest intelligere, sed intelligere est idem, ac intus legere, sive intimum rei percipere: ergo solus intellectus potest percipere quod est intimum, & quasi intus inclusum in ipsis rebus.

5 Explicatur: sensus corporei solum possunt percipere

re accidentia exteriora rei, sed ex accidentibus exterioribus nullum potest fingi, aut formari impossibile: ergo sensus corporei nullum possunt fingere impossibile, neque ens rationis. Probatur maior: quia quodcumque monstrum imaginari velis ex accidentibus exterioribus compactum non est impossibile, illud enim existere potest verè, & realitèr in pictura eo modo, quo illud imaginasti: ergo ex accidentibus exterioribus nullum potest formari ens rationis, sive impossibile. Confirmatur: si aliquid impossibile posset percipi per sensus corporeos, maxime mons aureus; sed quando per sensum corporeum, v. g. per imaginativam concipitur mons aureus, nullum concipitur impossibile: ergo per sensus corporeos nullum potest concipi impossibile. Minor probatur, quando per imaginativam concipitur mons aureus, solum concipitur figura, & color montis aurei, quia eius essentia solum concipitur ab intellectu, qui penetrat intima rei; sed figura, & color montis aurei non est impossibilis, quia potest verè, & realitèr fabricari, saltèr per Dei potentiam: ergo quando imaginativa concipit montem aureum nullum

facit ens rationis, nec

concepit impossibile;

(o)

Solvuntur argumenta.

5 **A**RGVES Primo: Potentia, quæ potest percipere tenebras, potest facere ens rationis; sed potentia visiva potest videre tenebras: ergo & facere ens rationis, & consequentèr sensus corporeus potest facere ens rationis. Respondeo distinguendo maiorem: potentia, quæ potest percipere tenebras positivè, concedo maiorem: remotivè, aut negativè, nego maiorem: & distincta minori eadem distinctione, nego consequentiam. Itaque videre tenebras positivè est illas videre per actum positivum illas attingentem per modum obiecti visivi, & hoc modo non percipiuntur à potentia visiva. Videre illas negativè est idem, ac apertis oculis nihil videre defectu lucis, & hoc modo tenebræ percipiuntur à visui; sed hoc non est facere ens rationis.

6 Arguitur secundò: Visus potest percipere universale; sed universale est ens rationis: ergo potest percipere ens rationis. Probo maiorem: visus potest percipere colorem ut sic; cum hoc sit eius obiectum specificativum: sed color ut sic est universale: ergo visus potest percipere universale. Respondeo distinguendo maiorem: visus potest percipere universale fundamentalitèr;

concedo maiorem : universale formaliter, nego maiorem, & eadem distinctione ad cætera respondebis. Itaque color ut sic formaliter acceptus, est ratio communis abstracta à coloribus particularibus, & hoc modo est universale formaliter, & ens rationis, sed à visu minimè percipitur. Color ut sic fundamentaliter, idem est à omnes colores singulares ut similes inter se, qui nullum ens rationis involvunt, sed sunt entia realia, & vera, & hoc modo percipitur color ut sic à visu; unde nullum ab eo percipitur ens rationis.

7 Sed replicabis : Potest visus attingere rationem communem coloris, non attingendo rationem singularem: ergo potest attingere colorem ut sic formaliter acceptum. Antecedens probatur : qui à longe videt aliquod corpus sæpè non discernit cuius coloris sit in singulari, & determinatè ; & tamèn attingit rationem coloris: ergo attingit rationem communem, non attingendo rationem singularem. Respondeo negando antecedens. Ad cuius probationem, concessa maiori, distinguo minorem : attingit rationem coloris clarè, nego minorem, confusè, & remisè, concedo minorem ; unde eo modo, quo attingit rationem communem, attingit rationem singularem, & quia communem attingit, remisè, & confusè ab-

que discretionem, etiam hoc modo attingit particularem.

8 Arguitur tertio: Sensus corporei percipiunt res aliter, ac sunt in se ; sed hoc est efficere ens rationis: ergo sensus corporei efficiunt entia rationis. Probo maiorem : visus attingit in iride varios colores, qui verè, & realiter in ipso non existunt. Et etiam quamvis virga aquis immersa sit recta, videt illam, ut curvam : ergo percipit res aliter ac sunt in se. Confirmatur : gustus infirmi percipit amarum cibum nullam habentem amaritudinem: ergo percipit cibum aliter ac est in se.

9 Respondeo negando maiorem. Ad cuius probationem distinguo antecedens, quoad primam partem : attingit varios colores veros, nego antecedens: apparentes, concedo antecedens ; & eodem modo, distinguo secundam partem : videt illam ut curvam, curvitate apparenti, concedo antecedens, curvitate vera, nego antecedens, & consequentiam. Adverte tamèn hanc curvitatem apparentem, & apparentes colores non esse ens fictum, aut apparens ; sed esse veram, & realem apparentiam, seu similitudinem, & representationem colorum, quæ formatur in iride ex refractione radiorum Solis ; & similiter similitudo, & apparentia curvatis in virga ex speciebus per
mg.

medium turbatum immixtis; hæc autem similitudo, & apparentia, licet non sit vera curvitas, nec verus color, est tamen verum ens reale; sicut effigies hominis, licet non sit verus homo, est tamen verum ens reale, & verum. Ad confirmationem nego antecedens; quia licet cibus ex se amarus non sit, tamen postquam miscetur cum humore colerico existente in lingua infirmi, veram, & realem accipit amaritudinem, unde gustus nihil fingit.

10 Argues quarto: Imaginativa fingit montem aureum; sed mons aureus est ens rationis: ergo fingit ens rationis. Maior, quæ sola est difficilis, probatur: iuxta D. Th. 1. p. q. 12. art. 9. ad 2. imaginativa ex præconceptis speciebus montis, & auri format tertiam speciem montis aurei: ergo imaginativa fingit montem aureum. Confirmatur: Bruta formant entia rationis: non per aliam potentiam, nisi per sensus, cum intellectum non habeant: ergo sensus corpori formant entia rationis. Maior probatur primo: ovis apprehendit hominem ut lupum, cum illum videt lupina pelle vestitum; sed apprehendere hominem ut lupum est facere ens rationis: ergo ovis facit ens rationis. Secundo: bruta sæpè falluntur, v. g. quando canis videns umbram hominis latrat

putans esse verum hominem, & quando passeris appetunt vuas pictas, ac si veræ essent; sed quando aliquis fallitur, fingit ens rationis: ergo bruta faciunt ens rationis.

11 Respondetur ad argumentum, distinguendo maiorem: imaginativa fingit montem aureum quoad accidentia coloris, & figuræ, concedo maiorem: quoad essentiam, nego maiorem. Et ad probationem concessa D. Th. auctoritate, dico, quod illa tertia species solum repræsentat accidentia exteriora montis aurei, quæ neutiquam sunt impossibilia, nec ens rationis, cum realiter possint existere in pictura. Ad confirmationem nego maiorem. Ad cuius primam probationem nego maiorem; quia ovis, videndo pellem lupinam, solum putat sub illa esse lupum, quod quidem possibile est: neutiquam autem putat, hominem esse lupum, cum homo in eius imaginationem non veniat. Ad secundam probationem distinguo maiorem: bruta sæpè falluntur, putantes esse quod impossibile est, nego maiorem: putantes esse, quod non est de facto, cum possibile sit, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Ut enim aliquis faciat ens rationis requiritur, quod putet, aut apprehendat aliquid impossibile, non autem sufficit quod putet ali-

quod

quod possibile realiter, quia illud, licet de facto non detur, non est ens rationis; quando autem canis latrat contra umbram hominis, videns figuram illius, iudicat ibi esse hominem, quod possibile realiter est; & similiter passeris videntes in pictura colores, & figuram vuarum, putant sub illis coloribus vuas esse, quod profecto possibile est, vnde nullum impossibile fingunt aut ens rationis.

12 Ex dictis colliges; sensus corporeos in homine formare entia rationis occasionaliter, quia sic illa formare, est præbere occasionem intellectui ut illa formet; sed in omnibus exemplis relatis præbent occasionem intellectui, ut entia rationis formet; ergo formant entia rationis occasionaliter.

Statuitur secunda conclusio.

13 **D**ICO Secundo: *Voluntas non efficit entia rationis.* Est communis sententia Philosophorum; & D. Th. contra Scotum, & paucos recentiores. Probat quia facere ens rationis est facere aliquid tantum obiectivè existens; sed voluntas nihil potest reddere obiectivè existens: ergo nec facere ens rationis. Maior patet ex definitione entis rationis. Minor probatur: reddere aliquid obiectivè existens, est illud red-

dere obiectivè præsens; sed voluntas nihil potest reddere obiectivè præsens: ergo voluntas nihil potest facere obiectivè existens. Minor probatur: reddere aliquid præsens obiectivè, est illud repræsentare intentionaliter; sed voluntas non est intentionaliter repræsentativa, cum hoc sit proprium intellectus: ergo voluntas nihil potest reddere obiectivè præsens.

14 **C**onfirmatur: *Facere aliquid obiectivè existens, est illud trahere ad se, & facere illud sibi intentionaliter præsens; sed voluntas non trahit res ad se, sed potius fertur ad res, nec facit aliquid sibi præsens intentionaliter: ergo nihil facit tantum obiectivè existens, & consequenter nec ens rationis.* Minor patet quia solus intellectus, iuxta Philosophum, trahit res ad se, & illas facit sibi intentionaliter præsentis.

15 **S**ecundo probatur conclusio: *Si voluntas faceret entia rationis, maximè quando attingit aliquid impossibile, seu bonum apparens; sed tunc nullum fingit ens rationis: ergo voluntas non facit ens rationis.* Minor probatur: in dicto casu, quando voluntas attingit ens rationis, præsupponitur iam fictum ab intellectu; ergo voluntas illud non fingit. Antecedens probatur: præsupponitur iam existens obiectivè in intellectu: ergo præsupponitur iam fictum ab intellectu.

lectu. Probo antecedens: præsupponitur iam cognitum ab intellectu, nihil enim volitum quin præcognitum, asserit commune proloquium; sed quod cognoscitur ab intellectu, existit obiectivè in intellectu: ergò præsupponitur iam existens obiectivè in intellectu, & consequenter voluntas illud ens rationis non facit, sed præsupponit factum.

16 Confirmatur: voluntas non attingit suum obiectum aliter ac erat antea: ergò nullum fingit ens rationis. Antecedens probatur: voluntas attingit suum obiectum eo modo, quo proponitur ab intellectu; sed eo modo, quo proponitur ab intellectu, erat in ipso obiectivè antequam à voluntate attingeretur: ergò non attingit suum obiectum aliter, ac erat antea.

17 Obijcies primo: voluntas ordinat Deum ad creaturam, dum plura illam æstimat, quam Deum, illam Deo anreponendo; sed hic ordo Dei ad creaturam est ens rationis: ergò voluntas facit ens rationis. Respondeo, distinguendo maiorem: ordinat Deum ad creaturam prosequitivè, concedo maiorem; effectivè, nego maiorem; quia voluntas solum prosequitur ordinem Dei ad creaturam, quem intellectus à se fictam voluntati proponit, vnde talis ordo ab intellectu tantum fingitur, licet etiam à voluntate prosequatur.

18 Obijcies secundo: voluntas sæpè amat id, quod non est bonum, ac si esset bonum: ergò attingit res aliter ac sunt in se, & consequenter facit ens rationis. Respondeo, distinguendo antecedens: voluntas amat ut bonum, quod non est bonum, quia intellectus illud proponit ut bonum, concedo antecedens; fingendo ipsam bonitatem, nego antecedens; & distinguo consequens: attingit res aliter ac sunt in se, aliterate ficta ab intellectu, concedo consequentiam: aliterate ficta à voluntate, nego consequentiam. Nam voluntas nihil fingit, sed si attingit res aliter ac sunt in se, ideo est, quia intellectus prius illi rem proponit aliter ac erat in se, nihil enim volitum quin præcognitum, vnde tota fictio se tenet ex parte intellectus. Ex quo patet etiam solutio ad aliud argumentum, quod solet fieri de voluntate amante impossibile. Dicimus enim, quod quando voluntas amat impossibile, illud ipsa non fingit, sed supponit fictum ab intellectu, qui proponit illud sibi.

19 Sed replicabis: ex eo quod voluntas supponat ens rationis ab intellectu factum, non sequitur, quod illud non efficiat: ergò ruunt dicta. Probo antecedens potest ens rationis ab uno factum, ab altero iterum fieri: ergò ex eo quod ens rationis supponatur factum ab intellectu, non tollitur quod voluntas illud

efficiat. Antecedens patet: quia idem ens rationis factum à Petro potest iterum à Paulo fieri.

20 Respondeo, negando primum antecedens. Ad probationem distinguo antecedens: potest ens rationis ab vno factum, ab altero fieri per actum essentialiter supponentem illud factum ab alio, nego antecedens: per actum essentialiter non supponentem illud factum ab alio, omitto antecedens, & nego consequentiam. Quia, cum actus voluntatis essentialiter supponat obiectum cognitum, & existens obiective in intellectu, neutiquam potest illud facere, aut reddere existens: actus vero, quo Petrus efficit ens rationis, non supponit essentialiter illud factum à Paulo, sed per accidens est, quod illud fecerit, vel non fecerit. Ex dictis infertur solum intellectum formare ens rationis, quia præter intellectum solum possunt excogitari sensus corpori, sive interni, sive externi, & voluntas; sed nullus horum illud formare potest, ut ex dictis constat: ergo solus intellectus potest illud efficere.

QVÆSTIO VIII.

*Per quem actum intellectus
fiat ens ratio-
nis.*

DICO Primo: *Per quamlibet ex tribus operationibus intellectus potest*

fieri ens rationis. Probatur de prima, scilicet de simplici apprehensione: per illum actum fit ens rationis, per quem concipitur non ens admodum entis; sed per simplicem apprehensionem sæpè attingitur non ens admodum entis: ergo per illam potest fieri ens rationis. Minor probatur ex D. Th. opusc. 42. cap. 2. dicente, quod intellectus facit ens rationis, cum nititur apprehendere, quod non est: ergo intellectus per simplicem apprehensionem apprehendit quod non est admodum entis, & facit ens rationis. Secundo probatur de eadem operatione: per simplicem apprehensionem concipimus tenebras admodum nigredinis, & hircocervum admodum entis; sed sic concipere tenebras, & hircocervum, absque dubio est facere entia rationis: ergo per simplicem apprehensionem fiunt entia rationis. Tertio: quia universale est ens rationis; sed illud fit per simplicem apprehensionem, ut suo loco videbimus: ergo ens rationis potest fieri per simplicem apprehensionem.


2 Deinde probatur de secunda operatione, scilicet de iudicio: identitas hominis cum equo est ens rationis; sed hæc identitas fingitur per iudicium: ergo per iudicium fingitur ens rationis. Minor probatur: hic actus intellectus, quo dico: *homo est equus*, est iudicium; sed per hunc actum fingitur iden-

titas

Statuitur secunda conclusio.

cititas hominis cum equo : ergo per iudicium fingitur identitas hominis cum equo. Secundo probatur de eadem operatione : respectus subiecti & predicati sunt respectus rationis; sed hi respectus fiunt per iudicium : ergo per iudicium fit ens rationis. Maior, quae sola difficilis est, probatur: respectus inter extrema solum ratione distincta est respectus rationis; sed saepe subiectum, & predicatum tantum sunt ratione distincta, ut patet in hac praedicatione; *homo est animal* : ergo respectus subiecti, & predicati est respectus rationis.

3 Denique probatur de tertia operatione, scilicet de discursu: connexio facta antecedentis ad consequens est rationis; sed haec connexio potest fieri per discursum, ut patet in hac illatione: *Est homo: ergo equus*: ergo per discursum potest fieri ens rationis. Secundo probatur de eadem operatione: quia respectus antecedentis ad consequens est respectus rationis, cum saepe fit inter extrema solum ratione distincta, ut quando infero esse rationale ex eo, quod sit homo; sed respectus antecedentis ad consequens fit per discursum: ergo per discursum fit ens rationis.



4 DICO Secundo: *Ens rationis potest fieri per actum nec verum, nec falsum, itemque per actum verum, & per actum falsum.* Prima pars patet: quia simplex apprehensio nec est vera, nec est falsa, utpotè incapax falsitatis, & veritatis; sed per illam fit ens rationis, ut patet ex dictis: ergo ens rationis potest fieri per actum nec verum, nec falsum. Secunda pars probatur: quia per hoc iudicium: *homo est rationalis*, fiunt respectus subiecti, & predicati, qui sunt entia rationis; sed illud iudicium est verum: ergo per actum verum potest fieri ens rationis. Tertia pars, scilicet, quod possit fieri per actum falsum, non eget probatione.

5 Sed obijcies contra primam partem conclusionis: ut aliquis actus faciat ens rationis, debet attribuere obiecto, quod in re non habet; sed ad hoc requiritur quod sit falsus: ergo per actum nec verum, nec falsum nequit fieri ens rationis. Respondeo distinguendo maiorem: debet attribuere obiecto, quod in re non habet, assertivè semper, nego maiorem: assertivè, vel apprehensivè, concedo maiorem. Intellectus autem per simplicem apprehensionem potest attribuere apprehensivè obiecto, quod in re non habet, unde non requiritur actus falsus.

6 Contra secundam partem argues: Per iudicium verum non fiunt intentiones subiecti, & prædicati: ergo per iudicium verum non fit ens rationis. Probo antecedens: per iudicium verum non fit, quod per ipsum non iudicatur; sed intentiones subiecti, & prædicati non iudicantur: ergo per iudicium non fiunt. Respondeo negando antecedens. Ad eius probationem, distinguo maiorem: per iudicium verum non fit, quod per ipsum non iudicatur nec ut *quo* nec ut *quod*, concedo maiorem: quod non iudicatur ut *quod*, nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Quia licet intentiones subiecti, & prædicati non iudicentur ut *quod*, sunt tamen id, quo mediante, prædicatum iudicatur de subiecto, & e contra, unde fiunt per ipsum iudicium, quamvis verum.

7 Contra tertiam partem dices: hoc iudicium: *homo non est animal*, est falsum; sed per illud non fit ens rationis, siquidem non fingitur aliquid esse, quod non est, sed solum fingitur non esse, quod est: ergo per iudicium falsum non fit ens rationis. Respondeo, non per omne iudicium falsum fieri ens rationis, sed tantum quando de subiecto affirmatur esse quod non est; quando autem negatur esse, quod essentialiter est, fit remotio, vel negatio rationis remotivè, quæ si iterum concipi-

piatur positivè, tunc fiet ens rationis.

QVÆSTIO. IX.

An intellectus divinus efficiere possit entia rationis.

1 **S**UPPONENDVM EST contra Vazquez, Deum cognoscere entia rationis. Primo: quia Deus iuxta Prophetam *cognoscit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*; sed nequit cognoscere cogitationes vanas, per quas sæpissime entia rationis formantur, quin cognoscat ipsa entia rationis: ergo Deus cognoscit entia rationis. Secundo: quia Deus cognoscit nos fingere entia rationis: ergo cognoscit entia rationis à nobis facta. Tertio: Deus cognoscit omne verum; sed verum est ens rationis esse fictum, & non existens à parte rei, & esse tantum obiective in intellectu: ergo cognoscit hæc omnia, & consequenter ipsum ens rationis. Hoc ergo supposito fit.

Nostra conclusio probatur:

2 **D**ICO Igitur: Deus nullum formare potest ens rationis. Est communis inter AA. licet contraria plures habeat Patronos, quorum aliqui omnia, alij aliqua tantum ab intellectu divino reformari affirmant. Nostra tamen sententia unica, sed efficaciter ratione probatur: Facere ens ratio-

rationis est cognoscere rem aliter à se; sed intellectus divinus non potest cognoscere rem aliter à se; ergo intellectus divinus nequit facere ens rationis. Discursus est legitimus. Tota difficultas devolvitur ad præmissas, & in primis probo maiorem: facere ens rationis est facere quod res habeat aliquid esse objective in intellectu, quod antea non habebat in rei veritate; sed hoc non aliter fit, quam cognoscendo rem aliter à se; ergo facere ens rationis est cognoscere rem aliter à se. Deinde probatur minor: cognitio rei aliter à se, est cognitio non conformis suo objecto prout est in re; sed cognitio intellectus divini semper est conformis suo objecto prout est in re, cum perfectissima sit: ergo intellectus divinus nequit cognoscere rem aliter à se. Confirmatur: facere ens rationis est tribuere objecto intentionaliter, & objective aliquid esse, quod nec habet, nec potest habere; sed intellectus divinus nequit tribuere objecto intentionaliter, & objective esse, quod nec habet, nec potest habere: ergo intellectus divinus nequit facere ens rationis.

3 Huic efficaci rationi duplici via conantur adversarij respondere. Primo itaque allerunt Deum posse cognoscere rem aliter à se, quando nequit cognosci res ut

est in se, hoc enim (aiant) nullam involvit imperfectionem; ad faciendum autem ens rationis sufficit cognoscere ipsū ens rationis aliter à se, quod quidem nequit cognosci ut est in se.

4 Sed contra primo quod nequit cognosci ut est in se nequit cognosci ab intellectu divino; sed nulla datur res, quæ nequeat ab intellectu divino cognosci: ergo nulla datur, quæ nequeat cognosci ut est in se. Maior probatur: intellectus divinus solum potest cognoscere perfectissimè; sed quod nequit cognosci ut est in se nequit cognosci perfectissimè: ergo nequit cognosci ab intellectu divino. Confirmatur: vel id, quod cognoscitur, existit in re, vel deficit in re. Si deficit in re, potest cognosci prout reverà deficit. Si existit in re, potest cognosci prout reverà existit in re: ergo quodcumque cognoscatur, potest cognosci eo modo, quo se habet in re. Explicatur: ens rationis potest cognosci ut existens objective in intellectu, & non existens in re; sed hæc cognitio terminatur ad ens rationis, ut se habet in re: ergo falsò supponunt contrarij, non posse ens rationis cognosci ut est in se.

5 Secundo respondent adversarij, & hæc est principalis solutio, quod ad faciendum ens rationis, nihil aliud requiritur, quam illud cognoscere; cum autem Deus absque vlla imperfectione illud cognoscat, ut sup-

ponimus ; inde est , quod illud absque vlla imperfectione faciet.

6. Sed contra primo: si ad faciendum ens rationis sufficeret illud cognoscere , Deus ab æterno omnia fecisset , cum ab æterno omnia cognoverit ; sed hoc est falsum : ergò ruit solutio. Probo minorem : si Deus ab æterno omnia fecisset entia rationis , intellectus creatus ea præsupponeret essentialitèr iam facta , ac per consequens nullum faceret ; sed , quidquid de hoc dicat Izquierdo in Pharo , ridiculum videtur : ergò intellectus divinus non facit ab æterno omnia entia rationis.

7. Contra secundo : syllogismus pro formali est ens rationis , & cognoscitur à Deo ; & tamèn Deus non facit syllogismum formalitèr , aliàs formalitèr discurreret , quod à nullo conceditur Theologo : ergò ad faciendum ens rationis nõ sufficit illud cognoscere. Tertio: facere ens rationis est fingere ; sed illud cognoscere perfectissimè , qualiter à Deo cognoscitur , non est fingere , cum fingere sit imperfectio : ergò ad faciendum ens rationis non sufficit illud perfectissimè cognoscere. Maior probatur : facere ens rationis est repræsentare quod non est , ac si esset ; sed hoc est fingere : ergò facere ens rationis est fingere. Minor patet : quia nihil aliud est hominè fingere Cæsarem , quam Cæsarem repræsentare , cum Cæsar non sit. Explicatur : facere quod res

appareat , quod revera non est , est fingere ; sed facere ens rationis , est facere quod obiectum appareat intellectui ens , sum revera non sit ens : ergò facere ens rationis est fingere.

8. Contra quarto: cognoscere ens rationis vt factum ab intellectu creato , est vere illud cognoscere ; sed cognoscere illud vt sic factum , non est illud facere : ergò ad faciendum ens rationis non sufficit illud vt quicquid cognoscere. Probo minorem : cognoscere aliquod obiectum vt ab alio factum , non est illud cognoscere practice , sed mere speculative ; sed cognoscere obiectum mere speculative non est illud facere : ergò cognoscere obiectum vt ab alio factum , non est illud facere.

9. Contra quinto: cognoscere ens rationis eo modo , quo est obiective in intellectu creato , non est illud facere : ergò non quælibet cognitio entis rationis illud facit. Probo antecedens : facere ens rationis est illud intrinsece mutare ; sed cognoscendo illud eo modo , quo est obiective in intellectu creato , non immutatur intrinsece , sed relinquitur sicut erat in dicto intellectu : ergò cognoscere ens rationis eo modo , quo erat obiective in intellectu creato , non est illud facere. Explicatur : solum facit entia rationis , qui illi tribuit primam & intrinsecam existentiam ; sed intellectus divinus cognoscendo ens rationis eo modo , quo

est obiective in intellectu creato, solum tribuit illi secundam, & extrinsecam existentiam: ergo intellectus divinus cognoscendo ens rationis non facit illud.

10 Contra ultimo: propositio obiectiva necessario falsa est ens rationis, v. g. *hominem esse equum*; & tamen Deus potest illam cognoscere, non autem facere: ergo licet Deus cognoscat ens rationis, non sequitur illud facere. Minor quoad secundam partem probatur: propositio obiectiva necessario falsa non fit, nisi per propositionem mentalem, & iudicium necessario falsum; sed huiusmodi propositio, vel iudicium Deo repugnat: ergo similiter quod efficiat propositionem obiectivam necessario falsam.

Solvuntur argumenta.

11 **P** R I M V M, Et principale argumentum desumitur à cognitione entis rationis in hunc modum: Deus cognoscit ens rationis: ergo illud facit. Probatur consequentia: qui cognoscit ens rationis format illud: ergo si Deus illud cognoscit, format illud. Probo antecedens: totum esse entis rationis est cognosci: ergo qui cognoscit ens rationis, illud format. Facilis est solutio, distinguendo antecedens: Deus cognoscit ens rationis speculative, concedo antec. practice, nego antec. & conseq. Ad illius pro-

bationem, distinguo antecedens: qui cognoscit ens rationis practice, concedo antec. qui cognoscit illud speculative, nego antecedens. Et ad eius probationem similiter dico, quod ens rationis non consistit in cognoscere speculative, sed interminio cognitionis practice. Explicatur solutio. Cognoscere aliquod obiectum speculative, est illud cognoscere ut habens suum esse aliunde, & independentè à tali cognitione. Cognoscere autem illud practice, est illud cognoscere, non ut aliunde habens esse, sed ex vi ipsius cognitionis illi tribuendo existentiam: Deus ergo dum cognoscit ens rationis, illud non efficit, quia tantum illud cognoscit speculative, scilicet, ut aliunde habens suum esse, videlicet ab intellectu creato, non autem illud cognoscit practice, unde licet illud cognoscat, illud tamen non efficit.

12 Sed contra hanc solutionem argues primo: omnis cognitio entis rationis est practice, & factiva illius: ergo si Deus illud cognoscit, non speculative, sed practice illud cognoscit. Antecedens probatur: omnis cognitio entis rationis cognoscit non ens ad modum entis; sed cognoscere non ens ad modum entis, est cognoscere practice, & facere ens rationis: ergo omnis cognitio entis rationis est practice, & factiva illius. Mai. patet: quia ens rationis est non ens ad modum entis: ergo cognitio illius cog-

noscit non ens admodum entis. Explicatur: omnis cognitio entis rationis est cognitio rei aliter àc est in se; sed omnis cognitio rei aliter àc est in se, est practica, & factiva entis rationis: ergò. Probatur maior: ens rationis est res aliter àc est in re: ergò omnis cognitio entis rationis est cognitio rei aliter àc est in re.

13 Respondeo, negando antecedens. Ad probationem distinguo maiorem: omnis cognitio entis rationis noscit non ens admodum entis, ità vt ex vi talis cognitionis fiat admodum entis, nego maiorem: ità, vel quia independentèr ab ea cognitione iam erat admodum entis, concedo maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Itaque dupliciter potest aliquid cognosci admodum entis, videlicet, vel quia antea erat admodum entis, & cognoscitur sicut erat antea: vel quia antea non erat admodum entis, sed per ipsam cognitionem fit admodum entis. Quando primo modo cognoscitur aliquid admodum entis, cognoscitur speculative ens rationis, quia cognoscitur sicut erat antea, & hoc modo à Deo cognoscitur, scilicet, vt habens esse admodum entis in intellectu creato. Quando vero secundo modo cognoscitur aliquid admodum entis, tunc cognoscitur practice, & fit ens rationis: ceterum Deus illud hoc modo non cognoscit.

14 Ad confirmationem simili-

tèr respondeo, distinguendo maiorem: omnis cognitio entis rationis est cognitio rei aliter àc est in re, ità vt ex vi ipsius cognitionis habeat esse aliter àc est in re nego mai. ità, vel quia ex vi alterius cognitionis habeat esse aliter àc est in re, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequ. Deus enim, etsi, cognoscendo ens rationis, cognoscat rem aliter àc est in rerum natura, sic tamen illam cognoscit, quia invenit illam sic se habere obiective in intellectu creato, vnde Deus nihil fingit, sed totum sicut invenit cognoscit, nihil immutando in obiectis.

15 Secundo dices contra principalem solutionem: omnis cognitio entis rationis dat illi existentiam obiectivam: ergò est practica, & factiva illius. Consequentia patet; quia efficere ens rationis nihil aliud est quam tribuere illi existentiam obiectivam. Respondeo, distinguendo antecedens: dat illi existentiam obiectivam primam, & intrinsecam, nego antecedens: secundam, & extrinsecam, concedo antecedens, & nego consequentiam. Et ad probationem respondeo, quod facere ens rationis non est illi tribuere quomodolibet existentiam, sed est tribuere illi primam, & intrinsecam existentiam, quia facere ens rationis est illud intrinsecè mutare, & facere quod transeat de non esse intrinsecè ad esse in-

intrinsicè; hoc autem minimè facit divina cognitio, quæ illud ut factum à creatura cognoscit, & ut habens esse obiective in intellectu, & ab intellectu creato; unde illi solum tribuit existentiam intentionalem extrinsecam consistentem in denominatione extrinseca cogniti, quia videlicet constituit ens rationis extrinsece cognitum.

16 Sed replicabis: Deus non solum cognoscit entia rationis à nobis facta, vel facienda, sed etiam quæ nunquam à nobis facta, vel fingenda sunt; sed hæc entia rationis nequit Deus cognoscere, quin illis tribuat primam, & intrinsicam existentiam: ergò saltè hæc entia rationis accipiunt à Deo primam, & intrinsicam existentiam, & consequenter ab illo fiunt. Maior est certa. Minor probatur: Deus cognoscendo hæc entia rationis, nullam in eis supponit existentiam; sed cognitio entis rationis, quæ nullam in eo supponit existentiam, tribuit illi primam, & intrinsicam existentiam: ergò Deus nequit cognoscere prædicta entia rationis quin illis tribuat primam, & intrinsicam existentiam. Maior patet: nam hæc entia rationis nunquam alibi existunt, quam in intellectu divino, cum supponamus ea nunquam fingenda fore ab intellectu creato: ergò intellectus divinus ea cognoscens, nullam in eis supponit existentiam.

17 Urgetur: Deus non

solum per scientiam liberam, sed etiam per scientiam necessariam cognoscit omnia entia rationis; sed scientia necessaria entis rationis necessariò est practica, & factiva illius: ergò Deus cognoscit omnia entia rationis cognitione practica, & factiva illorum. Minor probatur: scientia necessaria entis rationis nõ supponit illius existentiam; sed cognitio entis rationis, quæ non supponit existentiam illius, est practica, & factiva illius: ergò scientia necessaria entis rationis est practica, & factiva illius. Maior patet: quia existentia entis rationis est contingens; sed scientia necessaria nihil supponit contingens: ergò scientia necessaria entis rationis non supponit illius existentiam.

18 Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad illius probationem, distinguo maiorem: nullam in eis supponit existentiam exercitam, concedo maiorem: signatam, & possibilem, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; & ad probationem distinguo consequentiam eodem modo. Itaque intellectus divinus cognoscendo prædicta entia rationis, minimè tribuit illis primam, & intrinsicam existentiam, quia cognoscit illa ut possibiliter existentia per primam, & intrinsicam existentiam possibiliter fictam ab intellectu creato. Exemplum habes in cognitione, qua cog-

nosco Petrum possibilem; hæc enim cognitio nequaquam est practica, & factiva Petri; quia licet nullam illius supponat existentiam exercitam, supponit tamen illum ut possibiliter existentem existentia possibiliter producta à suis causis realibus, quapropter est merè speculativa illius.

19 Ex quo patet ad augmentum difficultatis, concessa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem distinguo maiorem, ut supra: non supponit illius existentiam actu exercitam, concedo maiorem possibilem, & signatam, nego maiorem; & distincta minori, eodem modo, nego consequentiam. Et ad probationem maioris dico, quod licet existentia entis rationis ut actu exercita sic contingens, tamen ut possibilis est metaphysicè necessaria, quia omninò necessarium est, existentiam fictam entis rationis esse possibilem.

20 Sed instabis primo: Existentia entis rationis est impossibilis, sicut ipsum ens rationis: ergò scientia Dei non supponit existentiam possibilem entis rationis. Secundo: cognitio, qua intellectus creatus facit ens rationis est practica & factiva illius; & tamen supponit eius existentiam, possibilem, & signatam: ergò quod cognitio entis rationis supponat eius existentiam possibilem, & signatam, non tollit quod sit pra-

ctica, & factiva illius, & consequenter divina cognitio erit practica, quamvis supponat existentiam possibilem entis rationis.

21 Respondeo ad primam distinguendo antecedens: existentia entis rationis est impossibilis subiectivè, concedo antecedens; obiectivè, nego antecedens: & distinguo consequens: ergò cognitio divina non supponit existentiam entis rationis subiectivè, concedo consequentiam: possibilem obiectivè, nego consequentiam. Quia existentia entis rationis eo modo est possibilis, quo est existentia, & cum sit existentia tantum obiectiva, tantum obiectivè est possibilis, & ut sic possibilis supponitur ad divinam cognitionem.

22 Ad secundam, concessa maiori, distinguo minorem, intellectus creatus supponit existentiam possibilem, entis rationis ex vi alterius cognitionis, nego maiorem; possibilem ex vi sui ipsius, concedo maiorem; & distinguo consequens eodem modo: si supponat existentiam possibilem ex vi sui ipsius, concedo consequentiam: si supponat existentiam possibilem ex vi alterius cognitionis, nego consequentiam. Exempli gratia: cognitio, qua ego cognosco Petrum ut possibilem est merè speculativa, quia Petrus supponitur ut possibilis aliunde, quam

in meâ cognitione, hoc est, potens existere per aliam causam: similiter quando Deus cognoscit ens rationis possibile, divina cognitio supponit illud possibile, sive potens existere ex vi alterius cognitionis creatæ, non autem ex vi sui ipsius, unde non practicè, sed speculativè tantum illud cognoscit.

23 Ex quo inferes regulam generalem ad dignoscendam cognitionem speculativam, & cognitionem practicam. Illa igitur est cognitio speculativa, quæ supponit obiectum aliunde existens, futurum, aut possibile, & independentè à se ipsa. Cognitio practica alicuius obiecti, est, quæ suum obiectum ita non supponit, sed ex vi sui ipsius fit futurum, possibile, aut existens.

Reliqua solvuntur argumenta:

24 **O**BJICIES Secundo: qui efficit actionem, qua aliquis effectus causatur, efficit talem effectum; sed Deus efficit intellectionem creatam, qua ens rationis efficitur: ergò Deus efficit ens rationis. Respondeo, distinguendo maiorem: qui efficit actionem, qua aliquis effectus causatur sub ea consideratione, sub qua per illam effectus causatur, efficit talem effectum, concedo maiorem: si efficiat actionem sub alia consideratione, nego maiorem: &

distinguo minorem: Deus efficit intellectionem creatam, quatenus vera actio est, concedo minorem: quatenus fictio est nego minorem, & consequentiam; quia ens rationis non causatur per intellectionem creatam, quatenus vera actio est, sed per illam, quatenus fictio est; ceterum à Deo non causatur talis intellectio quatenus fictio est, sed quatenus est vera, & realis actio.

25 Argues tertio: Summa imperfectio entis rationis non obstat, ut Deus illud efficiat: ergò Deus efficit ens rationis. Antecedens probaturque verum, & aliæ vilissimæ creaturæ sunt maximè imperfectæ, & tamen causantur à Deo: ergò summa imperfectio entis rationis non tollit quod causetur à Deo. Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem, distinguo maiorem, sunt maximè imperfectæ, imperfectione exacta in modo producendi, nego maiorem: alia imperfectione, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Nam ens rationis ita est imperfectum, quod exigit produci per actionem imperfectam, scilicet per fictionem. Creaturæ autem, licet imperfectissimæ, non exigunt actionem imperfectam ut producantur: quia cum sint verum, & reale ens, possunt produci per veram, & realem actionem absque omni fictione.

26 Argues quarto: Intellectus creatus cognoscendo privationes, negationes, & impossibilia facit entia rationis, quia ea cognoscit independenter ab alio intellectu; sed etiam Deus cognoscit privationes, & impossibilia independenter ab alio intellectu: ergo etiam facit entia rationis. Minor, in qua est difficultas, probatur: quia quae dantur independenter ab intellectu creato, cognoscuntur à Deo independenter ab illo; sed privationes, & impossibilia dantur independenter ab intellectu creato: ergo Deus ea cognoscit independenter ab illo. Minor patet: quia tenebrae dantur à parte rei, & similiter hircocervus est impossibilis independenter ab intellectu creato.

27 Respondeo, distinguendo causalem maioris, quia cognoscit ea per assensum independenter ab alio intellectu, concedo maiorem: quia ea cognoscit per dissentum, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Ad probationem minoris, distinguo maiorem: quae dantur independenter ab intellectu creato remotivè, cognoscuntur à Deo per dissentum independenter ab illo, & quae dantur positivè, per assensum, concedo maiorem: e contra, nego maiorem: & distinguo minorem: privationes, & impossibilia dantur à parte rei inde-

pendentèr ab intellectu creato; dantur, inquam, remotivè concedo maiorem: dantur positivè, nego maiorem, & consequentiam, si loquatur de cognitione per assensum. Itaque existere remotivè nihil aliud est, quam illius oppositum non existere à parte rei; vnde existunt remotivè tenebrae, per hoc praecise quod lux non existat; & hircocervus est remotivè impossibilis à parte rei, quatenus à parte rei non potest existere. Quae autem sic existunt à parte rei, cognoscuntur à Deo per dissentum, non per assensum; quia cognoscere per assensum, est cognoscere per iudicium affirmativum; cognoscere autem per dissentum, est cognoscere per iudicium negativum. Deus ergo cognoscit tenebras, & impossibilia per dissentum, quatenus cognoscit lucem non existere, & hircum, v.g. non posse esse cervum, in quo modo cognoscendi nullum formatur ens rationis. quia per illum impossibilia, & privationes, cognoscuntur exercitè ut non entia, & verè à parte rei non sunt entia; ad faciendum autem ens rationis requiritur, quod cognoscatur ut ens, quod non est ens.

28 Sed dices: Quidam quid intellectus cognoscit, cognoscit ad modum entis: ergo si intellectus divinus cognoscit privationes, negationes, & impossibilia, ea cognoscit ad modum entis. Probo antecedens quid

quidquid intellectus cognoscit, cognoscit ad modum sui obiecti extensivi; sed obiectum extensivum est ens: ergo quidquid cognoscit, cognoscit ad modum entis. Respondeo, distinguendo antecedens: quidquid intellectus cognoscit per assensum, cognoscit ad modum entis, concedo antecedens: si illud cognoscat per dissensum, nego antecedens. Et ad eius probationem distinguo eodem modo antecedens, & consequens. Ratio distinctionis patet in voluntate, quæ licet habeat pro obiecto bonum, tamèn quod attingit per odium, non ut bonum, sed ut malum, & ut non bonum attingit, licet id quod attingit per amorem, ut bonum & non ut malum attingere debeat. Similiter intellectus, cuius obiectum est ens verum, licet id, quod attingit per assensum, debeat attingere ut ens, & verum; tamèn quando aliquid attingit per dissensum, illud attingit ut falsum, & ut non ens, unde per dissensum nullum fit ens rationis.

29 Argues quinto: Christo ut homini repugnat fingere: & tamèn plura fecit entia rationis, v.g. quando disputabat, & arguebat per discursus, & ratiocinationes: ergo ad faciendum ens rationis non requiritur fictio, consequenterque Deus ea poterit facere. Respondeo, distinguendo maiorem; Christo ut homini

repugnat fingere assertivè, concedo maiorem: apprehensivè, nego maiorem, & distinguo consequens eodem modo, negoque Deum posse facere ens rationis, quia Deus nec apprehensivè potest fingere; Christus autem, licet per intellectum humanum non possit fingere assertivè, hoc enim est, dicere vel iudicare falsum, potest tamèn fingere apprehensivè, hoc est apprehendere non ens ut ens quod sufficit ad faciendum ens rationis.

30 Argues sexto: Signa ad placitum, iuxta communem sententiam Thomistarum, sunt pro formali aliquid rationis; sed Deus facit signa ad placitum, iuxta illud: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram*: ergo Deus facit entia rationis. Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: Deus facit signa ad placitum fundamentaliter, concedo minorem: formaliter, nego minorem, & consequentiam. Signum ad placitum fundamentaliter consistit in ipsa re significante, & in impositione libera, quæ omnia Deus facit absque ullo figmento; formaliter vero consistit in relatione rationis signi ad signatum, & hanc Deus minimè facit.

31 Argues ultimo difficilem auctoritatem D. Tho: 1. part. quest. 15. art. 2. ad 3. docet; quod respectus illi, quibus

bus multiplicantur idea, non causantur à rebus, sed à divino intellectu comparante essentiam suam ad res; sed respectus illi sunt respectus rationis: ergò respectus rationis causantur ab intellectu divino. Respondeo explicando auctoritatem: non causantur à rebus, sed ab intellectu divino fundamentaliter, concedo maiorem; formaliter, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens eodem modo. Itaque D. Thom. solum vult, quod intellectus divinus fundamentaliter causet illos respectus, sive quod præbeat fundamentum, ut illi respectus causentur ab intellectu creato, quia essentia divina solum est idea factibilium fundans respectus ideales, quatenus cognoscitur ab intellectu divino, ut diversimode imitabilis à creaturis; cum autem intellectus divinus illam sic cognoscit, præbet intellectui creato fundamentum ad respectus ideales formaliter fingendos, unde ab

intellectu divino tantum fundamentaliter causantur.

32 Ex quo colliges, ut tacitis respondeas replicis, quod illi respectus, quando D. Thom. ait loco citato, esse ab æterno in Deo, intelligendus est, quod sunt ab æterno fundamentaliter, non formaliter; & dum ait, quod sunt ab intellectu divino comparante essentiam suam ad res; intelligendus est de comparatione connexiva, non autem de relativa, nisi tantum fundamentaliter. Sic intelligendum esse D. Thom. constat quæst. 7. de potentia, ubi inquit: *Quando pluralitas in aliqua ratione tribuitur Deo, illa est in nostro intellectu tanquam in subiecto, sed in Deo sunt illa pluralitas tanquam in radice verificante has conceptiones*; quod est idem, ac esse in Deo fundamentaliter. Ex quo inferitur, idearum respectus tantum fundamentaliter esse ab æterno in Deo, & ab ipso causari;



TRA

TRACTATUS TERTIVS. ³⁰³

DE VNIVERSALIBVS IN COMMVNI.



PRÆSENS Tractatus celebris factus est inter Logicos, eo quod inter obiecta Logicæ præcipuum locum obtineat universale, sub quo tanquam genere omnia continentur prædicabilia; vel quia principales Metaphisicæ difficultates in eo tractari consueverunt, de distinctione, videlicet, entis, & illius unitate; cui consuetudini morem geram.

QVÆSTIO. I:

*Quotuplex, quid sit, & quas
conditiones requirat uni-
versale?*

Dividitur universale:

VNIVERSALE Igitur, si vocis significationem attendamus, est unum versus plura, sive unum plura respiciens, & in hac latitudine acceptum est multiplex; aliud enim est universale in causando, aliud universale in representando, aliud universale in essendo, & aliud universale in prædicando. Universale in causando est causa continens plures effectus diversæ rationis, & speciei, v. g., Deus, & sol. Universale in representando

est id, quod representat plura, cum in se sit unum, v. g. hæc vox homo, quæ cum sit una, omnes homines representat, similiterque species, & conceptus communis in mente existens. Universale in essendo est res, vel natura una apta ad essendum in multis, v. g. natura humana; quæ licet sit una in specie, apta est ad essendum in multis. Universale in prædicando est res, vel natura una, potens prædicari de pluribus, v. g. eadem natura humana.

2 Vbi advertè, universale in essendo, & prædicando, propriè loquendo, non esse duo, sed unum universale, cuius essentia est aptitudo ad essendum in multis, & cuius proprietas est aptitudo ut prædicetur de multis; unde rectè

à Philosophi. 7. metaph. lect. 13. apud D. Th. definitur universale, quod pluribus inesse natum est; quæ definitio essentialis, & quidditativa est. Itemque ab eodem 1. perhiermenias lect. 10. quod de pluribus natum est predicari; quæ definitio descriptiva est. Ex quibus orta est communis, & celebris universalis definitio utramque comprehendens: *unum in multis, & de multis*, hoc est, *unum aptum esse in multis, & predicari de illis*. In presenti tractatu solum de generali in essendo sermonem agemus; nam universale in cavando, aut interpretando ad logicam non pertinent: de generali verò in predicando, sive de predicabilibus, sequentem instituemus tractatum.

Statuuntur conditiones universalis in essendo.

§ **P**RIMA Condicio nature universalis est, quod sit una perfecte. Ratione cuius conditionis excluduntur à ratione universalis, primo æquivoca, quæ licet in voce convenient, in re tamèn significata omninò differunt. Secundo analoga, quæ in re significata partim conveniunt, & partim differunt. Tertio complexa, v. g. homo albus, quia non sunt una natura, sed plures copulatæ in unum.

4 *Secunda conditio*

est, quod natura universalis sit apta ad essendum in multis eiusdem denominationis, sive, ut a'ij explicant; per multiplicationem in illis. Ratione huius conditionis excluditur primo à ratione universalis natura divina, quia licet sit in tribus personis, non tamèn est in pluribus Dijs, sed remanet semper una, & indivisibilis. Secundo excluditur propter eam rationem, Corpus Christi, & Deus, quia licet sint in pluribus locis, tamèn non in pluribus Dijs, aut Corporibus Christi multiplicantur. Tertio excluditur animarationalis, quæ licet sit in pluribus partibus corporis, non tamèn multiplicata in pluribus animabus, sed una remanens in toto homine.

5 Tertia conditio est: quod natura universalis aliquomodo distinguatur ab inferioribus, in quibus potest esse, & aliquomodo cum illis identificetur. Patet primum; quia unum & multa aliquomodo debent distingui; sed natura universalis, ut iam constat, debet esse una, & inferiora multa: ergò aliquomodo debet ab illis distingui. Secundum etiàm patet; quia natura universalis potest predicari de inferioribus; sed quod predicatur de alio cum illo identificatur: ergò natura universalis debet cum inferioribus aliquomodo identificari.

(o)

QVA

QVÆSTIO II.

Utrum naturæ universales sint separatae à singularibus, aeternaeque, & improductae?

INTER Antiquos Philosophos celeberris existit questio praesens. Etenim, cum Heraclitus, & Cratylus universalia negarent, omnia singularia, & contingencia existimantes, ideoque nullam scientiam admittentes, eo quod scientiae debent esse de universalibus, & necessarijs. Plato, aliàs divinus, incidit in celeberrimam sententiam de idæis separatis à singularibus, aiebat enim, naturas universales esse aeternas, & improductas, à singularibusque separatas, ipsis vero per tempora advenientibus coniungi, & uniri.

Nostra sententia probatur:

DICO Igitur: *Naturæ universales nequaquam esse à singularibus separatas, aeternas, & improductas.* Est communis inter Philosophos sequentes Arist. & Div. Thom. & probatur primo: quia solus Deus est ens necessarium, aeternum, & improductum; sed naturæ universales, v. g. natura humana, & equina, non sunt Deus: ergo non sunt aeternae, & improductae, separataeque à sin-

gularibus. Secundo: sola natura divina una realiter existens, potest identificari realiter cum pluribus, videlicet cum tribus divinis Personis. sed si darentur naturæ universales realiter separatae à singularibus, illae essent realiter unæ, cum essent universales realiter, & aliàs identificarentur realiter cum singularibus: ergo non dantur praedictae naturæ sic universales. Minor quoad secundam partem probatur: nam praedictae naturæ universales praedicarentur de suis singularibus; sed quidquid praedicitur de aliquo identificatur cum illo: ergo praedictae naturæ identificarentur cum singularibus. Ex quo confirmatur nostra sententia: nam repugnat naturam separatam à singularibus cum illis esse identificatam, de illisque praedicari; sed naturæ universales debent praedicari de singularibus, cum illisque identificari: ergo non possunt esse separatae realiter à singularibus.

Solvuntur argumenta Platonis:

ARGVIT Igitur primo Plato: scientiae sunt de universalibus tamquam obiectis: sed obiecta scientiarum sunt aeterna, necessaria, & indefectibilia. ergo naturæ universales sunt aeternae, necessariae, & indefectibiles. Tunc sic: sed quidquid est coniunctum singularibus, & cum ipsis pro-

ductum, & temporale, contingens, & defectibile: ergo naturæ universales non sunt singularibus coniunctæ, & cum ipsis productæ, sed ab ipsis separatae, & improductæ. Confirmatur: hæc propositio: *homo est rationalis est æternæ veritatis*: ergo illius obiectum est æternum. Tunc sic; sed quidquid identificatur cum singularibus est temporale: ergo obiectum prædictæ propositionis non est identificatum, sed separatum à singularibus, & consequenter homo rationalis erit æternus, & separatus à singularibus.

4 Respondeo primo; instando argumentum: nam de motu datur scientia, cum Philosophia de illo principaliter agat; & tamen repugnat motus æternus, necessarius; indefectibilis, & improductus: ergo licet natura universales non sint æternæ, indefectibiles, & improductæ, poterit de illis dari scientia. Confirmatur: hæc propositio: *homo est corruptibilis, & mortalis, est æternæ veritatis*; & tamen homo corruptibilis, & mortalis, qui est illius obiectum, non est æternus, indefectibilis, & improductus: ergo similiter, licet hæc propositio: *homo est rationalis sit æternæ veritatis*, non sequitur hominem rationalem, qui est illius obiectum, esse æternum indefectibilem, & improductum.

5 Igitur ad argumentum respondeo, concessa maiori, di-

stinguendo minorem: obiecta scientiarum sunt æterna, necessaria, & indefectibilia entitative, nego minorem: verificative, concedo minorem; & distinguo consequens eodem modo, eademque distinctione distinguo minorem subsumptam: quidquid est coniunctum singularibus est temporale, contingens, & defectibile entitative, concedo minorem: verificative, nego minorem, & consequentiam. Itaque dupliciter potest aliquod obiectum existere, nimirum entitative, vel verificative. Tunc existit entitative, quando suum esse exercet in rerum natura positum extra omnes suas causas. Tunc autem existit verificative, quando respectu alicuius propositionis se habet sicut per ipsam enuntiatur. Unde respectu huius propositionis: *alter mundus est possibilis*, alter mundus existit verificative, quia se habet sicut per propositionem affirmatur, scilicet possibiliter; non tamen existit entitative, quia in rerum natura non est positum extra causas. Igitur obiecta scientiarum, & universalis sunt defectibilia entitative, quia possunt entitative non existere in rerum natura; an equam enim Deus mundum crearet, homo non existeret entitative, cum nondum esset positus extra causas in rerum natura. Sunt autem indefectibilia, necessaria, & æterna verificative respectu scientiarum: quia non possunt non existere, imò

imò ab æterno existunt verificative iuxta exigentiam illarum, si enim scientia affirmat hominem esse risibilem, admirativum, & mortalem, ab æterno homo ex suo conceptu se habet sicut affirmatur, nam semper est verum, hominem esse risibilem, admirativum, & mortalem sive existat, sive non existat.

6 Ad confirmationem, concessio antecedenti, distinguo consequens: est æternum verificative, concedo consequentiam: enunciativè, nego consequentiam, & eadem distinctione ad cætera respondeo. Etenim, ut illa propositio sit æternæ veritatis, non requiritur, quod homo ab æterno existat, hoc enim illa propositio non affirmat; sufficit enim quod ab æterno se habeat, sicut per illam affirmatur, hoc est, quod ab æterno sit rationalis.

7 Sed dices: si homo ab æterno non existit, non erit ab æterno rationalis; sed requiritur, ut illa propositio sit æternæ veritatis, quod homo sit ab æterno rationalis: ergò requiritur quod homo existat ab æterno. Maior probatur: quia quod non existit, dum non existit, nihil est: ergò si homo non existit ab æterno, non erit ab æterno rationalis. Respondeo, distinguendo maiorem claritatis gratia. non erit ab æterno rationalis exercite, & actualiter, concedo maiorem: signate, & quidditative, nego maiorem, & concessa minori in eodè sen-

su, nego consequentiam. Et ad probationem maioris dico, quod homo, dum non existit, nihil est exercite, & actualiter, est tamen signate, & quidditative rationalis, animal, risibilis, &c. Dū igitur affirmamus hominem esse rationalem, risibilem, &c. non significamus, hominem ita esse existentialiter, & exercite, sed essentialiter, & quidditative. Unde homo respectu dictarum enunciationum æternaliter existit verificative, quia semper se habet ex parte sua sicut per ipsas affirmatur.

8 Obijcies secundo: quidquid identificatur cum singularibus sublunaribus est materiale; sed naturæ universales non sunt materiales: ergò non sunt cum singularibus identificatæ, sed ab illis separatæ. Minor probatur: naturæ universales sunt obiectum nostri intellectus; sed obiectum nostri intellectus, qui spiritualis est, non est materiale: ergò naturæ universales non sunt materiales. Min. prob. obiectum potentie materialis nequit esse spirituale: ergò obiectum nostri intellectus, qui spiritualis est, nequit esse materiale.

9 Respondeo, concessa maiori negando minorem. Ad cuius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: obiectum nostri intellectus non est materiale, materiali modo attractum, concedo minorem; spiritualiter attractum, nego minorem. Ad cuius probationem dico, quod licet

obiectum potentiae materialis non possit esse quid spirituale, quia spirituale excedit ordinem rerum materialium; tamen materiale, cum sit inferioris ordinis ad spirituale, potest esse obiectum, & attingi a potentia spirituali, licet nequeat attingi ab illa modo materiali, & corporeo, sed tantum modo spirituali, & immateriali.

QVÆSTIO III.

Virum gradus superiores, & universales distinguantur a parte rei formaliter, sive actualiter ab inferioribus & particularibus.

Alia prænoscuntur pro quaestione intelligentia.

NOTA Primo, in naturis realibus, v. g. in homine, plures dari gradus, alij superiores, inferiores alij. Superiores dicuntur gradus magis communes, & magis universales. Inferiores vero, qui sunt minus communes, & magis particulares. v. g. ratio substantiae est magis communis, & universalis, quam ratio corporis, & hæc quatuor ratio viventis, & ratio viventis magis quam ratio animalis, & denique ratio animalis magis, quam ratio hominis, vnde ratio hominis est gradus inferior, & particularis respectu animalis, & ratio animalis, respectu viven-

tis, & sic de cæteris. E contra vero ratio substantiae est gradus universalis & superior respectu corporis, ratio corporis respectu viventis, ratio viventis respectu animalis, &c. Quaestio igitur interrogat, an hi gradus prout a parte rei reperiuntur in vno, eodemque individuo, actu & formaliter distinguantur. Pro quo.

2 Nota secundo, distinctionem (idemque dicendum de identitate) prima sui divisione, esse duplicem. Alia est distinctio realis, alia distinctio rationis. Distinctio realis est, qua vnum a parte rei, & ante operationem intellectus, non est aliud. Distinctio rationis est, qua vnum mentaliter, sive intentionaliter non est aliud. Rursus distinctio realis alia est absoluta; alia modalis. Distinctio realis absoluta est, quæ versatur inter rem & rem mutuo separabiles. Modalis est, quæ versatur inter rem & modum, ita ut res sit separabilis a modo, non tamen e contra. Exemplum primæ distinctionis habes inter Petrum, & Paulum; exemplum secundæ inter Petrum, & eius sessionem.

3 Distinctio item rationis est duplex. Alia cum fundamento, sive rationis ratiocinatae; alia sine fundamento, sive rationis ratiocinantis. Prima est, quæ reperitur inter formalitates eiusdem entitatis, quæ æquivalent pluribus rebus realiter distinctis. Vnde, quia homo ea parte,

qua

qua corpus est, æquivaleret lapidibus, & ea parte, qua vivens est, arboribus, & ea parte, qua animal est, brutis, & ea parte, qua intellectivus est, Angelis, ideo intellectus cum fundamento distinguit in homine formalitates corporis, viventis, animalis, & rationalis, distinctioque inter eas vocatur rationis ratiocinatæ. Distinctio rationis ratiocinantis est, quam intellectus absque vilo prorsus fundamento fingit, ut si distinguat hominem à se ipso.

4 Ad his omnibus fere nullus dissentit. Scotus tamen, quandam distinctionem ab omnibus rebus distinctam, invenit, quam mediam esse asserit inter distinctionem realem, & rationis, appellatque eam distinctionem formalem ex natura rei, quia non inter entitates, aut res diversas, sed inter eisdem rei, aut entitatis formalitates versatur; ex natura rei, quia prædicta distinctio, non beneficio intellectus, aut per eius operationem, sed ante omnem intellectus operationem, ipsis rebus ex propria natura earum convenit. Hanc distinctionem, asserit Scotus cum sua Schola, inventi inter formalitates realiter identificatas tam in divinis, quam in creatis, consequenterque inter gradus superiores, & inferiores eisdem entitatis. Quam sententiam sequitur noviter P. Raimundus Lumbier in tractatu Theologico de

essentia, & attributis, à qua non multum distant plures ex eius formilia, quos in publicis disputationibus non semel vidi propugnare quamdam distinctionem actualem, & formalem inter extrema realiter identificata, quam appellant formalem ex natura rei in esse obijcibili, & representabili ante omnem intellectus operationem. Nullam tamen dari actualem, & formalem distinctionem inter gradus superiores, & inferiores ante operationem intellectus est communis sententia Thomistarum, necnon PP. Societatis, pro qua AA. referre esset in immensum abire. Ideoque pro ea sic.

Nonstra conclusio probatur;

DICO Igitur: Nulla datur actualis, si ve formalis distinctio inter gradus superiores, & inferiores ante operationem intellectus. Probatur ratione communi: nulla datur distinctio media inter distinctionem realem, & distinctionem rationis; sed ante operationem intellectus non datur inter gradus superiores, & inferiores eisdem entitatis distinctio rationis, quæ semper fit per actum intellectus, nec datur distinctio realis, cum prædicti gradus realiter inter se non distinguantur: ergo nulla datur actualis, aut formalis distinctio inter gradus superiores, & inferiores ante opera-

cionem intellectus. Maior, quæ sola à contrarijs negatur, probatur sic: distinctio est proprietates entis, ac proinde tot sunt genera distinctionum, quot sunt genera entium; sed inter ens reale, & rationis non datur ens medium: ergò nec inter distinctionem realem, & rationis datur distinctio media.

6 Confirmatur: quia enim id, quod existit, nequit aliter existere, quam obiective tantum in intellectu, vel subiective à parte rei, ideo tantum dantur duo genera entium, realis, videlicet, & rationis; sed quæ distinguuntur actualiter non possunt aliter distinguui, quam obiective tantum in intellectu, vel subiective à parte rei: ergò tantum dantur duo genera distinctionum, realis videlicet, & rationis.

7 Respondent contrarij; quod, si distinctio realis sumatur pro ea, quæ datur à parte rei, verum est non dari medium inter distinctionem realem, & rationis, quia omnis distinctio, vel datur à parte rei, vel obiective tantum in intellectu. Si vero distinctio realis sumatur pro distinctione inter rem, & rem, quæ potest appellari distinctio realis entitativa, datur medium inter illam & distinctionem rationis, scilicet distinctio formalis ex natura rei, quia hæc non est realis entitativa, cum non versetur inter diversas entitates, sed tantum inter diversas formalitates, nec est

distinctio rationis; cum detur à parte rei; unde est distinctio realis formalis media inter realem entitativam, & distinctionem rationis.

8 Sed contra primo: quia distinctio realis formalis est etiam distinctio realis entitativa: ergò non est media inter realem entitativam, & rationis. Antecedens probatur: distinctio realis formalis est, quæ versatur inter duas formalitates, & realis entitativa, quæ versatur inter duas entitates; sed distinctio quæ versatur inter duas formalitates, versatur etiam inter duas entitates: ergò distinctio realis formalis est etiam realis entitativa. Minor probatur: quia, in homine, v.g. quælibet formalitas, sive rationalitas, sive animalitas, formaliter à parte rei est entitas: ergò distinctio, quæ versatur inter duas formalitates, versatur etiam inter duas entitates. Antecedens probatur: quia ea prædicata, per quæ formaliter constituitur id, quod est formaliter ens, debent esse formaliter entitas; alias enim ens formaliter tale per nullam entitatem formaliter constitueretur, quo quid absurdius? Sed homo, qui formaliter est ens, formaliter constituitur per animalitatem, & rationalitatem: ergò tam animalitas, quam rationalitas est formaliter à parte rei entitas.

2 Confirmatur: in ho-

mine à parte rei animalitas & rationalitas non sunt duae entitates actualiter distinctae; sed una & simplicissima entitas: ergo actualiter à parte rei non sunt distinctae formalitates. Probo consequentiam: quae actualiter identificantur cum vno tertio actualiter indivisibili, actualiter non distinguuntur inter se; sed formalitas animalis, & formalitas rationalis actualiter à parte rei identificantur cum vna entitate actualiter indivisibili: ergo non distinguuntur inter se: ergo non sunt distinctae formalitates.

10 Vergetur: implicat quod à parte rei duo, vel tria praedicata sint actualiter vna, & indivisibilis entitas, & simul actualiter triplex formalitas, secluso Trinitatis Mystério; sed quae à parte rei identificantur entitative sunt actualiter vna, & indivisibilis entitas; & quae à parte rei distinguuntur formaliter, sunt actualiter duplex, vel triplex formalitas: ergo implicat quod duo, vel tria praedicata à parte rei distinguantur formaliter, & quod non distinguantur entitative. Maior probatur: quia difficultas in Mystério Trinitatis consistit in eo, quod Personae sint actualiter à parte rei vna essentia indivisibilis, & simul actualiter tres Personae; sed non minor difficultas reperitur in eo, quod tria praedicata sint actualiter à parte

rei vna indivisibilis entitas, & triplex actualiter formalitas: ergo secluso Trinitatis Mystério non possunt dari, sive implicare duo, vel tria praedicata, quae actualiter à parte rei sint vna indivisibilis entitas, & duplex; vel triplex actualiter formalitas. Minor patet quia non minus difficilis videtur Trinitas realis formalitatum in vna entitate, quam Trinitas Personarum in vna essentia.

11 Dices, non dari Trinitatem realem formalitatum in vna entitate, quia formalitates non distinguuntur realiter entitative; sed tantum formaliter. Sed contra est; quia licet tres hominis formalitates, v. g. non distinguantur realiter entitative, distinguuntur tamen iuxta contrarios realiter formaliter: ergo licet non sint tres realiter entitates, sunt tamen tres realiter formalitates, & vna realiter entitas; sed non minus difficile videtur hoc Mystèrium, quam tres realiter Personalitates esse vnam realiter essentiam: ergo sequitur Trinitas realis formalitatum in vna entitate, sicut in divinis datur Trinitas realis Personalitatum in vna essentia. Explicatur: non minus difficile videtur aliquid esse realiter entitative vnum, & realiter formaliter tres, quam esse realiter essentialiter vnum, & realiter personaliter tres: sicut non

minus difficile videtur, idem esse realiter in entitate vnum, & realiter in formalitatibus tres, quam esse realiter in essentia vnum, & realiter in personis tres sed in hoc secundo consistit arcanum Trinitatis Mysterium, & illud primum est doctrina contrariorum: ergo doctrina contrariorum rem adstruit in creatis non minus difficilem, ut putamus, quam Trinitatis Mysterium in divinis.

12 Secundo probatur conclusio: eo modo, quo distinguuntur gradus superiores, & inferiores, distinguitur humanitas Petri ab eius singularitate; sed humanitas Petri non distinguitur à parte rei actualiter ab eius singularitate: ergo nec gradus superiores, & inferiores. Minor probatur: si à parte rei humanitas Petri, & eius singularitas actualiter distinguerentur, actualiter essent duæ formalitates, quarum quælibet seorsim esset hæc, & non illa; sed hoc est absurdum: ergo. Minor probatur: quia aliàs actualiter à parte rei essent duæ singulares formalitates, & consequenter numericè distinctæ; sed hoc nullus admittere potest: ergo est absurdum. Urgetur: si humanitas à parte rei esset formalitas actu distincta à singularitate, seorsim à singularitate esset hæc, & non illa formalitas: ergo seorsim à singularitate esset singularis; atqui hoc est

chimera: ergo & illud ex quo sequitur.

13 Ex dictis colliges, adhuc in esse cognoscibili non distingui formaliter gradus eiusdem entitatis à parte rei; tum quia cognoscibilitas sequitur ad entitatem, & ubi entitas est vnica, & simplex, non potest esse nisi vnica, & simplex formaliter cognoscibilitas. Tum, quia si essent distinctæ cognoscibilitates à parte rei in eadem entitate, essent inter se distinctæ, & identificatæ cum tertio, nimirum cum ipsa entitate; sed non minus implicant cognoscibilitates inter se distinctæ, & in tertio identificatæ, quam formalitates inter se distinctæ, & in tertio identificatæ: ergo si hoc secundum repugnat, ut probatum manet, æquè repugnabit primum.

Solvuntur argumenta

14 **O**BIJECIES Primos: ea, quæ distinctis definitionibus definiuntur, distinguuntur formaliter ex natura rei; sed gradus superiores, & inferiores, v. g. animal, & rationale, definiuntur distinctis definitionibus: ergo distinguuntur formaliter ex natura rei. Minor patet: nam animal definitur *principium sentiendi*, & rationale *principium ratiocinandi*. Maior verò probatur: quæ differunt essentialiter, differunt

formaliter ex natura rei; sed quæ distinguuntur distinctis definitionibus differunt essentialiter: ergo differunt formaliter ex natura rei. Minor probatur: definitio explicat essentiam rei: ergo distinctæ definitiones debent distinctas essentias explicare: ergo quæ definiuntur distinctis definitionibus habent distinctas essentias, & consequenter essentialiter distinguuntur.

1. In primis argumentum æquo iure probat distinctionem in entitate, sive entitativam, nam definitio etiam explicat entitatem definiti, nec video quid sit à parte rei entitas, nisi essentia, & essentia, nisi entitas. Deinde respondeo distinguendo maiorem: ea, quæ definiuntur distinctis definitionibus inadæquatis, distinguuntur formaliter ex natura rei, nego maiorem: quæ definiuntur distinctis definitionibus adæquatis, concedo maiorem: & distincta minori, eodem modo, nego consequentiam. Itaque definitio adæquata est quæ explicat essentiam rei quoad omnia prædicata secum identificata; definitio autem inadæquata est quæ explicat rem quoad aliquam sui rationem, aut prædicatum tantum. Cum igitur definitur animal *principium sentiendi*, non definitur adæquatè, nec rationale quando definitur *principium ratiocinandi*; quia cum animal à parte

rei sit rationale, & rationale sit animal, ut adæquate definirentur vnica definitione debebat per ipsam simul explicari tam rationalitas, quam animalitas, quia à parte rei vtraque identificatur tam cum animali, quam cum rationali. Nec contra hoc obstat maioris probatio; ad illam enim respondeo distinguendo maiorem: quæ differunt essentialiter à parte rei, distinguuntur formaliter ex natura rei, concedo maiorem; quæ differunt essentialiter per rationem, nego maiorem, & distincta minori, eodem modo, nego consequentiam. Itaque animal, & rationale à parte rei non distinguuntur nec essentialiter, nec formaliter, quia à parte rei sunt vna, & indivisibilis essentia hominis; differunt verò per rationem essentialiter, quia intellectus indivisibilem essentiam hominis dividit mentaliter in duas inadæquatas, eas explicando per duas inadæquatas definitiones, vnam animali, alteram rationali correspondentem.

16 Sed replicabis primo: Hæc definitio *principium sentiendi*, licet non sit adæquata definitio hominis, est tamen definitio adæquata animalis; similiter: quæ hæc definitio, *principium ratiocinandi* respectu rationalis, ergo iam animal, & rationale definiuntur distinctis definitionibus adæquatis. Secundo quia per nos animal, & rationale differunt essentialiter; sed distinctio essen-

tialis non potest convenire per intellectum animali, & rationali: ergo illis convenit à parte rei; & consequenter à parte rei distinguuntur essentialiter. Minor patet: quia distinctio essentialis nequit convenire accidentaliter animali, & rationali; sed quod illis convenit per intellectum, convenit illis accidentaliter: ergo distinctio essentialis nequit illis convenire per intellectum.

17 Respondeo, distinguendo antecedens: est tamen adæquata definitio animalis, prout animal est à parte rei, nego antecedens; prout animal est obiectivè in mente, concedo antecedens, & distinguo consequens, eodem modo. Itaque fatemur, animal, & rationale definiri distinctis definitionibus, quæ adæquantur cum illis prout sunt obiectivè in mente, quia animal obiectivè præcisè, & adæquatè consistit in principio sentiendi; similiterque rationale in principio discurrendi; cæterum ad hoc sufficit, quoque obiectivè in intellectu distinguantur formaliter per rationem; negamus autem quod animal, & rationale, definiantur distinctis definitionibus, quarum una adæquet animal prout est in re, & altera rationale prout est in re, quia animal in re non solum est principium sentiendi, sed etiam est principium ratiocinandi, ac pro inde per hanc definitionem;

principium sentiendi, non explicatur adæquatè, nec definitur essentia animalis prout est in re; idemque dicendum de rationali.

18 Ad secundam, concessa maiori, nego minorem: Ad cuius probationem, nego maiorem; quia sicut prædicatio, qua animal prædicatur de homine, est essentialis, & tamen illi convenit accidentaliter, & per intellectum, ita distinctio animalis à rationali est essentialis, quamvis illis conveniat accidentaliter, & per intellectum, quia non dicitur essentialis, eo quod illis conveniat essentialiter, & in omni statu, sed quia est inter prædicata essentialia.

19 Obijcies secundo; inter animal, & rationale datur compositio aliqua realis; ergo, & distinctio aliqua realis, & consequenter realis formalis. Antecedens probatur: compositio metaphysica est compositio realis; sed inter animal, & rationale datur compositio metaphysica: ergo, & compositio realis. Maior probatur: compositio, quæ excluditur per simplicitatem realem, est compositio realis, hæc enim nequit excludere compositionem rationis: sed compositio realis excluditur à Deo per illius simplicitatem realem: ergo compositio metaphysica est compositio realis. Confirmatur primo; contrahibile, & contrahens

Eum relative opponantur, distinguuntur à parte rei; sed animal contrahitur per rationale, & rationale contrahit animal: ergò distinguuntur à parte rei. Confirmatur secundo: animali advenit accidentalitèr rationalitas; sed quod advenit accidentalitèr animali non est idem essentialitèr cum illo, sed ab eo essentialitèr distinctum: ergò rationalitas non est eadem essentialitèr cum animalitate, sed ab illa potius essentialitèr distincta. Maior probatur: id, sine quo potest animalitas existere, advenit accidentalitèr animali; sed animalitas potest existere sine rationalitate: ergò rationalitas advenit accidentalitèr animali. Minor patet in equo & leone, in quibus animalitas existit sine rationalitate. Urgetur: differentiae nunquam sunt de essentia generis, genus enim, ut ait Philosoph. excludit à suo conceptu differentias; sed animal est genus, & rationale differentia: ergò rationale non est de essentia animalis.

20 Respondeo, negando antecedens. Ad eius probationem, nego maiorem. Ad eius probationem, distinguo maiorem: compositio, quae excluditur formalitèr, & directè per simplicitatem realem, est realis compositio, concedo maiorem; quae excluditur illativè, & indirectè per simplicitatem realem, nego maiorem; & distincta min. eodem modo, nego conse-

quentià. Itaque simplicitas realis tantum opponitur formalitèr, & directè cum compositione reali; at verò in Deo eius realis simplicitas ratione infinitatis infert mutuam inclusionem conceptuum obiectivorum, hoc est; quod vnum prædicatum divinum includatur in alio obiectivè conceptu. Cum autem hæc mutua inclusio conceptum formalitèr excludat compositionem metaphysicam, quæ requirit essentialitèr conceptum extra conceptum, & partem extra partem, inde est, quod simplicitas realis Dei illativè & indirectè excludit compositionem metaphysicam, & rationis.

21 Ad confirmationem distinguo maiorem: contrahibile physicè, & contrahens distinguuntur à parte rei, concedo maiorem: contrahibile logicè, & contrahens, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Nam eo modo, distinguitur animal à rationali, quo animal refertur per modum contrahibilis ad rationale; cum autem solum refertur mentalitèr, obiective, sive logicè ut talitèr contrahibile, inde est, quod tantum mentalitèr, & obiective distinguuntur: non autem requiritur quod à parte rei distinguantur formalitèr, quia à parte rei non datur animal seorsim à rationali, & per illud contrahibile, quia aliàs esset contrahibile physicè.

22 Ad secundam confir-

firmacionem; distinguo maiorem: advenit accidentaliter physicè, nego maiorem: accidentaliter Logicè, sive metaphysicè, concedo maiorem: & distinguo minorem: quod advenit accidentaliter animali, accidentaliter physicè, distinguitur ab illo essentialiter à parte rei, & quod advenit illi accidentaliter logicè essentialiter per rationem, concedo minorem: aliter nego minorem, & consequentiam, de distinctione actuali à parte rei. Nec obstat in contrarium probatio maioris; distinguo enim illam sic: id sine quo potest animalitas physicè sumpta existere, advenit illi accidentaliter, concedo maiorem: id sine quo animalitas logice, sive metaphysicè sumpta potest existere, sub distinguo maiorem, advenit illi accidentaliter logicè, sive metaphysicè, concedo maiorem: physicè & realiter, nego maiorem, & eadem distinctione, quam facile applicabis, cetera distinguo. Itaque duplex est accidens, aliud logicum, metaphysicum, sive prædicabile, aliud physicum, reale, & prædicamentale. Accidens physicum est sine quo salvatur res eadem permanens à parte rei, v.g. albedo est accidens physicum parietis, quia paries potest idem à parte rei permanere, sive adsit, sive deficiat ei albedo: & hoc modo rationalitas non est accidens respectu

animalis, quia si animali deficiat à parte rei rationalitas, non permanebit idem animal, sed valdè distinctum, scilicet animal irrationale, quod non est idem, sed valdè distinctum animal à rationale. Accidens logicum, sive metaphysicum, est sine quo potest salvari res eadem permanens obiectivè in intellectu: & hoc modo rationalitas advenit accidentaliter animali, quia animal idem permaneret obiectivè in intellectu adveniente, à deficiente rationalitate, hæc enim non est de conceptu obiectivo animalis; ad hoc autem sufficit distinctio essentialis obiectiva, sive rationis ratiocinatæ, non autem requiritur distinctio actualis à parte rei.

23 Ex hoc patet responsio ad augmentum difficultatis, concessa maiori, distinguendo minorem: animal à parte rei est genus, & rationale differentia nego minorem: obiectivè in intellectu, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque eo modo animal distinguitur essentialiter à rationali, quo animal est genus: cum autem à parte rei non detur genus, sicut nec universale, inde est, quod à parte rei non distinguitur actualiter essentialiter à rationali.

24 Obijcies tertio: Animal ex se, & secundum se, non est à parte rei rationale; sed eo modo, quo vnum non est aliud, distinguitur ab illo; ergo animal

mal ex se, & secundum se distinguitur à parte rei à rationali. Respondeo, omiſſa maiori, distinguendo minorem; eo modo, quo vnum non est aliud, distinguitur ab illo, loquendo de subiecto supponente, concedo minorem: loquendo de subiecto non supponente, nego minorem: & consequentiam. Itaque, vt vnum à parte rei distinguatur ab alio, non sufficit quod à parte rei non sit illud; nam relatio rationis v.g. non est à parte rei ens rationis; & tamen nec à parte rei est distincta ab ente rationis, quia cum non detur à parte rei, nec à parte rei est eadem, nec distincta; requiritur ergo vt vnum distinguatur ab alio, quod illud, quod distinguitur, detur, & supponat iuxta genus distinctionis, scilicet, quod si distinctio est realis, detur realitèr, si verò rationis, detur obiectivè, & quod vnum non sit aliud. Licet igitur animal ex se, & secundum se non sit à parte rei rationale, ex hoc tamen minimè sequitur, quod à parte rei ab illo distinguatur; quia animal ex se, & secundum se est animal præcisivè, & mentalitèr sumptum, abstractumque à differentijs; cum autem hoc modo sumptum non detur à parte rei, indè est, quod à parte rei nec distinguitur, nec identificatur cum rationali, quia non supponit.

25 Ex quo patet ad quandam replicam, quam fa-

cit Lumbier contra Ioannem à S.Th. probando ex eius principijs dari debere à parte rei distinctionem formalem, in hunc modum: à parte rei datur inter animal, & rationale aliqualis non identitas; quia à parte rei animal ex se, & secundum se non est idem cum rationali; sed omnis non identitas est distinctio: ergo à parte rei datur distinctio aliqualis hoc est, formalis inter animal, & rationale. Respondeo concedendo maiorem, quia à parte rei datur inter animal, & rationale non identitas rationis; distinguo tamen minorem; omnis non identitas in subiecto supponente est distinctio; concedo minorem; in subiecto non supponente, nego minorem, & consequentiam. Sicut enim non valet, inter animal, & rationale datur à parte rei non identitas rationis: ergo datur à parte rei distinctio rationis; ita similiter non inferatur dari aliqualem distinctionem à parte rei ex eo quod detur aliqualis non identitas; quia sicut identitas, quæ non datur, est identitas rationis, ita distinctio, quæ dari oportebat, debebat esse rationis, quæ tantum datur obiectivè in intellectu.

26 Obijcies quarto pro discipulis Resoluti D. Animal, & rationale à parte rei habent distinctas cognoscibilitates: ergo saltem in esse cognoscibili

distinctio

distinguuntur formaliter ex natura rei. Antecedens probatur: quia animal à parte rei est cognoscibile sine rationali, & rationale à parte rei est cognoscibile sine animali; sed hæc cognoscibilitates, sunt distinctæ: ergò habent distinctas cognoscibilitates. Respondeo, distinguendo antecedens: habent distinctas cognoscibilitates fundamentaliter, concedo antecedens: actu distinctas formaliter, nego antecedens. Ad cuius probationem, concessa maiori, distinguo minorem ut supra. Nam illæ cognoscibilitates actualiter à parte rei non sunt nisi vnica cognoscibilitas, seu capacitas, quam habet entitas hominis, ut cognoscat in adæquatè cognitione exprimente rationale, & abstrahente ab animali, vel cognitione exprimente animal, & abstrahente à rationali: huiusmodi autem cognoscibilitas, seu capacitas à parte rei est actualiter vna, & fundamentaliter, seu aptitudinaliter distincta, quia importat aptitudinem, ut intellectus in illa distinguat duas formalitates, & cognoscibilitates obiectivas, quæ quidem aptitudo a parte rei est vna, sed est aptitudo ad pluralitatem obiectivam, & rationis faciendam per intellectum: vnde cognoscibilitas pro recto est vnica formaliter à parte rei, sed est duplex formaliter in obliquo, quia est vnica capacitas ad formalitates, & cognoscibilitates

distinguendas actualiter per intellectum. Sed de hoc infra redibit sermo.

27 Denique obijcies: De vna, & eadem formalitate nequit idem prædicatum verè affirmari, & negari; aliàs enim duæ propositiones contradictoriæ essent simul veræ: sed de animali, & rationali verè affirmatur, & negatur idem prædicatum: ergò animalitas, & rationalitas non sunt vna, & eadem formalitas. Minor probatur: nam animal verè est ratio, in qua homo convenit cum equo, rationale non est hæc ratio; similiterque rationale est ratio, in qua homo differt ab equo, lecus autem animal: ergò idem prædicatum affirmatur, & negatur de animali, & rationali.

28 Hoc argumentum est Achilles opinionis adverte, in variasque opiniones dispersit AA. alij enim asserunt ad verificanda prædicata contradictoria, sive, quod idem est, ad verè affirmandum, & negandum idem prædicatum, sufficere, & requiri ex parte subiecti de quo verificantur, distinctionem quandam virtuales intrinsecam, quæ sit capacitas in eadem re ut de illa ante omnem operationem intellectus idem prædicatum affirmetur, & negetur. Alij autem asserunt sufficere distinctionem rationis ratiocinatæ. Alij denique negant posse ylo modo verificari

si de eadem re praedicata contradictoria, seclusa distinctione reali entitativa. Ut autem, quid sentiam, elarius explicare possim, sequentem excito quaestionem.

QVÆSTIO IV;

Utrum detur distinctio virtualis intrinseca?

DISTINCTIO Virtualis, ut supra diximus, est æquivalentia eiusdem rei ad plura realiter distincta. Cæterum huiusmodi æquivalentia, primo potest esse in ordine ad causandos varios effectus, vel diversas operationes, sicut Sol æquivalet pruinae in sicando lutum, igni in calefaciendo, serpenti in generando serpentem. Secundo in ordine ad suscipienda prædicata contradictoria sine contradictione, quæ de diversis rebus verificantur. Et quidem dari distinctionem virtua- lem sumptam pro prima æqui- valentia, certissimum est apud omnes, cum sæpe unica forma- liter entitas sit virtualiter mul- tiplex propter prædictam æqui- valentiam ad plura; sic Sol forma- liter unus, dicitur virtuali- ter multiplex; sic Deus forma- liter simplicissimus, est multiplex virtualiter in quantum sua in- finita virtute æquivalet omni- bus causis creatis in ordine ad producendos illarum effectus;

sic anima rationalis formaliter unica, est virtualiter triplex, in quantum æquivalet animæ ve- getativæ plantarum, sensitivæ brutorum, & rationali homi- num in ordine ad earum ope- rationes exercendas.

2 Difficultas autem est de distinctione virtuali sumpta pro secunda æquivalentia. Pro cuius intelligentia nota primo, non esse idem prædicata ex se contradictoria, ac propositiones contradictoriæ, licet ab aliis quibus utrumque confundatur; prædicata enim ex se contra- dictoria sunt affirmatio, & ne- gatio eiusdem prædicati, præ- cindendo ab eo quod enuntien- tur de eodem, vel de diversis subiectis; propositiones verò con- tradictoriæ sunt affirmatio, & negatio eiusdem prædicati, de eodem subiecto. Noto secundo, nullam dari æquivalentiam, aut capacitatem in rerum natura ad hoc ut verificentur propo- sitiones contradictoriæ nec de unica, nec de diversis entita- tibus aut formalitatibus; quia si enuntiarentur de diversis, non essent contradictoriæ; si autem de unica entitate, aut formalita- te, propositiones contradicto- riæ nunquam omnino verifica- ri possunt, ut docetur in sum- mulis.

3 Noto tertio; prædi- cata ex se contradictoria posse verificari, si enuntientur de en- titatibus à parte rei distinctis, quia respectu diversorum nul- lam

lam dicitur contradictionem. Difficultas ergo restat, an sicut distinctio entitativa inter duo extrema reddit illa capacia ad suscipienda prædicata contradictoria, ita distinctio virtualis æquivalet distinctioni reali, ut ratione illius entitas virtualiter duplex possit recipere prædicata contradictoria. Nota quarto, entitatem virtualiter duplicem à parte rei habere capacitatem mediatam ad suscipienda prædicata contradictoria mediante distinctione actuali rationis; quia videlicet entitas virtualiter duplex est immediate capax, ut dividatur per rationem in duas formalitates, qua distinctione rationis, vel divisione supposita, est proxime capax suscipiendi prædicata contradictoria sine contradictione, ita nimirum, ut vnum enuntietur de vna formalitate, & aliud de alia, ut actu distinctis per rationem.

4 Nota quinto, distinctionem virtuales sumptam pro huiusmodi capacitate mediatam appellari communiter distinctionem fundamentalem rationis, quia nihil aliud est, quam fundamentum eiusdem entitatis, ut intellectus actu distinguat in illa diversas formalitates: ab alijs etiam appellatur distinctio virtualis extrinseca. Tota ergo difficultas restat in explicando, an eadem entitas à parte rei ratione distinctionis virtualis, possit æqui-

valere rebus realiter distinctis in ordine ad suscipienda immediate à parte rei prædicata contradictoria, sive an detur distinctio virtualis, quam appellant intrinsecam, sumpta pro capacitate immediata suscipiendi à parte rei prædicata contradictoria. Hanc enim distinctionem tam intra, quam extra Scholam D. Th. plures admittunt, & plures negant. Sic ergo.

Nostra conclusio.

5 **D**ICO Igitur: Non datur distinctio virtualis intrinseca sumpta pro capacitate immediata eiusdem entitatis, ut de illa à parte rei verificentur prædicata contradictoria. Probatum primo ex D. Th. qui ad verificanda prædicata contradictoria de eadem entitate, nunquam recurrit ad distinctionem virtuales, sed vnicè ad distinctionem rationis: signum ergo est, distinctionem virtuales, ante distinctionem rationis, non sufficere ad verificanda prædicata contradictoria de eadem entitate, aliàs enim D. Th. ad distinctionem virtuales, & non ad distinctionem rationis recursum fecisset.

6 Secundo probatur ratione: Tunc verificantur prædicata contradictoria à parte rei, quando idem prædicatum affirmatur, & negatur realiter cum veritate; sed de nulla en-

titate potest idem prædicatum affirmari, & negari realiter: ergo nulla in re datur capacitas immediata, ut de illa à parte rei seu realiter verificentur prædicata contradictoria: ergo nec datur distinctio virtualis intrinseca in hac capacitate consistens. Minor probatur: prædicatum, quod realiter affirmatur de aliqua entitate, realiter identificatur cum illa, & prædicatum, quod realiter negatur de ea, realiter distinguitur ab illa; sed implicat, quod idem prædicatum realiter identificetur, & realiter distinguitur ab eadem entitate: ergo implicat, quod idem prædicatum realiter affirmetur, & realiter negetur de eadem entitate. Maior probatur: quia tunc prædicatum realiter affirmatur de entitate, quando entitas est realiter tale prædicatum, & tunc negatur realiter de illa, quando illa non est realiter tale prædicatum; sed quando entitas est realiter tale prædicatum, identificatur cum illo, & quando non est realiter tale prædicatum, distinguitur realiter ab illo; siquidem vnum identificari realiter cum alio, est esse realiter illud, & vnum distingui realiter ab alio, est non esse realiter illud: ergo prædicatum, quod realiter affirmatur de aliqua entitate realiter identificatur cum illa, & prædicatum quod realiter negatur de ea, realiter

distinguitur ab illa. Confirmatur: si aliqua prædicata contradictoria verificarentur realiter de eadem entitate, maxime hæc: rationalitas non est realiter ratio conveniendi cum equo; animalitas est realiter ratio conveniendi cum equo; sed primum non verificatur: ergo nunquam possunt verificari prædicata contradictoria de eadem entitate. Minor probatur primo: si rationalitas non esset realiter ratio conveniendi cum equo, realiter distingueretur à ratione conveniendi cum equo, quia vnum non esse realiter aliud, est ab illo realiter distingui; sed non verificatur, rationalitatem realiter distingui à ratione conveniendi cum equo, scilicet ab animalitate: ergo non verificatur, quod rationalitas non sit realiter ratio conveniendi cum equo. Secundo: quia rationalitas est realiter ratio conveniendi cum equo: ergo non verificatur non esse realiter talem rationem. Antecedens probatur: omnis animalitas est realiter ratio conveniendi cum equo; sed rationalitas est realiter animalitas: ergo rationalitas est realiter ratio conveniendi cum equo. Syllogismus est *in darji*. Maior evidens. Minor non minus certa, quia rationalitas realiter identificatur cum animalitate: ergo est realiter animalitas. Tertio: quia animalitas Petri est realiter ratio conveniendi cum equo.

equo; sed animalitas Petri est realiter rationalitas: ergo rationalitas est realiter ratio conveniendi cum equo. Syllogismus est expositivus, & præmissæ evidentes.

7 Sed dices: prædictum syllogismus expositivus non concludere in vi formæ, quia medium non est idem virtualiter cum extremis, quia animalitas, quæ est medium, est distincta virtualiter à rationalitate, quæ est minor extremitas. Unde, sicut propter hanc rationem non concludit hic syllogismus: *Paternitas est essentia divina; essentia divina est Filiatio: ergo Paternitas est Filiatio* ita similiter prædictus syllogismus non concludit.

8 Sed contra: quia ideo hic ultimus syllogismus expositivus non concludit, quia medium non est quale debet esse, scilicet omnino singulare, cum essentia divina, quæ tanquam mediū se habet, sit realiter pluribus communis; sed in primo syllogismo à nobis adducto medium, scilicet animalitas Petri, est omnino singularis, & non realiter communis pluribus, quia nihil extra Mysterium Sanctissimæ Trinitatis est realiter pluribus commune: ergo licet ultimus syllogismus recte non concludat, primus tamen à nobis adductus recte concludit.

9 Imò ex hoc secundo probatur nostra conclusio: si de animalitate verificaretur esse realiter rationem conveniendi cum equo, & de rationalitate Petri

non esse realiter rationem conveniendi cum equo, esset falsum illud principium: *Quæ sunt eadem uni tertio omnino singulari sunt eadem inter se*; sed hoc principium nequit falsificari, utpote fundamentum totius artis syllogisticæ: ergo nequit verificari de animalitate, & rationalitate, esse, & non esse realiter rationem conveniendi cum equo, & consequenter nec prædicata ex se contradictoria. Maior probatur: nam in primis, si animalitas esset realiter ratio conveniendi, cum aliàs sit etiam realiter rationalitas, esset per reale identitatem rationalitas & ratio conveniendi, ac proinde rationalitas, & ratio conveniendi identificarentur cum animalitate. Sed aliunde rationalitas, & ratio conveniendi distinguerentur inter se: siquidem rationalitas non esset realiter ratio conveniendi: ergo iam duo realiter identificata cum tertio omnino singulari, scilicet cum animalitate Petri, distinguerentur realiter inter se: ergo esset falsum illud principium.

10 Tertio probatur conclusio: quia verificari realiter prædicata contradictoria de animali, & rationali, v. g. est quod animal sit realiter aliquid, quod non sit realiter rationale: sed ad hoc nulla sufficit distinctio pure virtualis, sed requiritur distinctio realis actualis: ergo non datur distinctio virtualis sufficiens, ut verificentur realiter prædicata contradictoria de animali

mali, & rationali. Minor probatur; quia eo ipso, quod animal sit realiter aliquid, quod non sit realiter rationale, in illo distinguitur realiter à rationali, siquidem est id ipsum, quod non est realiter rationale: ergo ad hoc verificandum non sufficit distinctio putè virtualis, sed requiritur distinctio realis actualis.

11. Propter hæc, Doctor R. ex nostris concedit non dari distinctionem virtuales intrinsecam sumptam pro capacitate ad suscipienda realiter formaliter prædicata contradictoria, asserit tamen dari, si sumatur pro capacitate ad suscipienda purè virtualiter talia prædicata contradictoria. Sed in primis inepte explicatur distinctio virtualis per huiusmodi capacitem, quia vnum virtualiter non rectè explicatur per ordinem, vel æquivalentiam ad aliud virtualiter: ergo nec distinctio virtualis rectè explicatur per capacitem ad suscipienda virtualiter contradictoria. Secundo: nam quid est suscipere virtualiter contradictoria? Si est habere æquivalentiam, vel aptitudinem ad illa suscipienda: ergo cum ais, distinctionem virtuales esse æquivalentiam, & capacitem ad suscipienda virtualiter contradictoria, idem est, ac si dicerès, est æquivalentia ad æquivalentiam, seu capacitas ad capacitem, quæ est inepta repetitio; & circulus nihil explicans: Rursusque ulterius interro-

rogabo an sit habere æquivalentiam ad suscipienda formaliter vel ad suscipienda virtualiter contradictoria? Si ad illa suscipienda virtualiter, rursus interrogabo, quid sit suscipere virtualiter? Et abibimus in infinitum. Si vero dicas, quod suscipere virtualiter contradictoria est idem, ac esse virtualiter rationem conveniendi cum equo, & non esse virtualiter talem rationem. Præterquam quod reddunt interrogationes tactæ de ly virtualiter, huiusmodi prædicata contradictoria non verificantur; quia nec animal, nec rationale in homine est purè virtualiter ratio conveniendi cum equo, quia tam animal, quam rationale à parte rei sunt formaliter talis ratio conveniendi: ergo nec datur distinctio virtualis sumpta pro capacitate ad suscipienda prædicata contradictoria à parte rei virtualiter.

12. Demum: quia rationale à parte rei est virtualiter quidquid virtualiter est animal: ergo nihil verificatur de animali à parte rei, quod non verificetur de rationali adhuc virtualiter: ergo non suscipiunt adhuc virtualiter prædicata contradictoria: Antecedens probatur: quia rationale prout est à parte rei est vna simplex entitas cum animali, continens virtualiter quidquid continet animal; non enim ibi dantur (ut aliqui existimant) duæ virtualitates, aut duæ contingentiæ virtuales actu distinctæ.

quarum hæc actu à parte rei non sit illa, nec in hoc consistit distinctio virtualis, nam aliàs importaret distinctionem actualem virtualitatum in eadem entitate, quæ non minus implicat, & eidem impeditur argumentis, ac distinctio actualis formalitatum: ergò rationale à parte rei continet virtualitèr quidquid continet animal. Vergetur: continentia virtualis, seu esse virtuale fundatur in esse formalis; sed rationalitas à parte rei, ut supponimus ex quæstione præcedenti, est formalitèr animalitas: ergò multo melius erit virtualitèr, & virtualitèr continebit, quidquid est, & continet virtualitèr animalitas.

13 Dices forsàn: duo distingui realitèr est unum non esse realitèr aliud, duo distingui formalitèr est unum non esse formalitèr aliud: ergò duo distingui virtualitèr est unum non esse virtualitèr aliud; sed à parte rei rationale, & animal distinguuntur virtualitèr: ergò à parte rei rationale non est virtualitèr animal: ergò nec est virtualitèr quidquid est animal. Respondeo negando primam consequentiã, quia distinctio virtualis non est vere & proprie distinctio sicut distinctio realis, & formalis; sed solum est æquivalentia ad distinctionem veram & propriam, unde non explicatur per unum non esse, adhuc virtualitèr, aliud, aliàs enim importaret actualem distinctionem falsam virtualitèr.

tum, sed solum explicatur per æquivalere extremis realitèr distinctis, quorum unum non sit realitèr, nec formalitèr aliud. Vnde tota distinctio propria & actualis se tenet ex parte illorū, quibus æquivaler, non ex parte æquivalentiæ, quæ unica est.

Solvuntur argumenta.

14 **I**GITUR Ad ultimum argumentum præcedentis quæstionis, respondendum existimo sine recurſu ad distinctionem prædictam virtualem, distinguendo maiorem: de una, & eadem formalitate prout est à parte rei nequit idem prædicatum vere affirmari, & negari, concedo maiorem; de illa ut distincta per rationem in duas formalitates, nego maiorem; & distinguo minorem eodem modo. Ad cuius probationem dico, quod cum negatur de rationali esse rationem conveniendi non negatur de illo prout est à parte rei, nec realitèr, cum potius, ut probatū manet, rationale prout est à parte rei sit realitèr ratio conveniendi, sed solum negatur de illo præcisive sumpto, & prout distincto per rationem ab animali; & ratio est, quia dum loquimur de animali, & rationali, non loquimur de illis prout sunt à parte rei, & adæquate, sed prout significatur his vocibus, & exprimuntur his conceptibus *animal*, & *rationalis*; cum autem per hanc vocem, & conceptum

ceptum rationale significetur & exprimatursola & præcisa rationalitas, sive rationalitas ut obiective distincta ab animalitate, inde est, quod de illa sic præcisa & distincta negamus esse rationem convenienti cum equo, non vero de illa prout est à parte rei. Ad hoc autem non requiritur distinctio virtualis intrinseca, quæ sit proxima capacitas suscipiendi prædicata contradictoria, sed sufficit distinctio actualis rationis, vi cuius rationalitas obiective in intellectu distinguatur ab animalitate.

15 Sed contra hanc solutionem, & nostram conclusionem argues primo: animalitas à parte rei est ratio assimilandi hominem equo, & rationalitas à parte rei non est ratio assimilandi hominem equo: ergò de animalitate, & rationalitate à parte rei verificantur prædicata contradictoria. Secunda pars antecedentis, quæ sola difficilis est, probatur primo; nam eadem ratio non potest esse ratio assimilandi, & dissimilandi, aliàs enim extrema in eadem ratione essent similia, & dissimilia; sed rationalitas est à parte rei ratio dissimilandi hominem equo: ergò non est à parte rei ratio assimilandi hominem equo. Secundo: ratio assimilandi unum alteri debet utrique extremo convenire; sed rationalitas à parte rei non convenit

homini, & equo: ergò non est à parte rei ratio assimilandi hominem equo.

16 Respondeo negando antecedens quoad secundam partem. Ad cuius primam probationem, distinguo maiorem; eadem ratio præcise sumpta non potest esse ratio assimilandi, & dissimilandi concedo maiorem: eadem ratio realiter sumpta, subdividuo maiorem: non potest esse ratio assimilandi, & dissimilandi perfecte, & adæquate, concedo maiorem; imperfecte, & inadæquate, nego maiorem, & distincta minori hoc ultimo modo, nego consequentiam. Sicut enim humanitas realiter sumpta est ratio partim assimilandi, & partim dissimilandi, non autem potest esse ratio totaliter, & perfecte assimilandi, & dissimilandi totaliter, & perfecte, ita similiter rationalitas realiter sumpta, quia prout sic nullo prorsus modo est aliud ab humanitate, nec ab animalitate.

17 Ad secundam distinguo maiorem: ratio assimilandi præcise sumpta debet utrique extremo convenire, concedo maiorem; realiter sumpta, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Nam ipsi contrarij fatentur animalitatem hominis esse rationem assimilandi hominem equo, & tamen animalitas hominis realiter sumpta

sumpta non convenit equo. Itaque ratio, quæ est ratio assimilandi præcisive sumpta, debet utrique extremo convenire; ac vero rationalitas non præcisive sumpta, sed realiter est ratio assimilandi, vnde non debet utrique extremo convenire.

18 Argues secundo: in actu contritionis identificantur realiter amor Dei, & odium peccati; & tamen amor terminatur ad Deum, odium non terminatur ad Deum, odium terminatur ad peccatum, & amor non terminatur: ergo de duobus realiter identificatis verificantur prædicata contradictoria. Respondeo, negando minorem in sensu reali, in quo debet loqui contra nos. Nam si amor terminatur ad Deum affective ipsum prosequendo, etiam odium realiter cum illo identificatum terminatur ad Deum affective ipsum prosequendo; & si odium terminatur ad peccatum ipsum fugiendo, etiam amor cum illo realiter identificatus terminatur ad peccatum ipsum fugiendo.

19 Sed replicabis ingeniose: tunc verificantur prædicata contradictoria, quando unum prædicatum affirmatur, & negatur de eodem subiecto; sed amari & odio haberi per actum contritionis sunt idem realiter prædicatum, & tamen amari affirmatur realiter de Deo, & odio haberi per actum contritionis negatur rea-

liter de ipso, Deus enim adhuc in sensu reali non odio habetur per actum contritionis: ergo iam verificantur prædicata contradictoria in sensu reali.

20 Respondeo concessa majori, distinguendo minorem: amari Deum, & odio haberi peccatum sunt idem realiter prædicatum, concedo minorem: amari Deum, & odio haberi Deum per actum contritionis sunt idem realiter prædicatum, nego minorem; imò odio haberi Deum per actum contritionis, est chimera impossibilis; vnde, cum negatur Deum haberi odio per actum contritionis, negatur chimera impossibilis; cum autem affirmatur amari Deum per actum contritionis, affirmatur amor verus, & realis; non igitur affirmatur, & negatur idem realiter prædicatum, sed prædicata plusquam realiter diversa.

21 Argues tertio: animalitas à parte rei distinguitur fundamentaliter à rationalitate; rationalitas à parte rei non distinguitur fundamentaliter à rationalitate; sed distingui, & non distingui fundamentaliter à rationalitate sunt prædicata contradictoria: ergo à parte rei verificantur de animalitate & rationalitate prædicata contradictoria. Distinguo majorem: animalitas à parte rei distinguitur funda-

mentaliter à rationalitate, fundando distinctionem rationis animalitatis à rationalitate, concedo maiorem: fundando distinctionem rationalitatis à rationalitate, nego maiorem; & distinguo è contrario sensu secundam partem, & minorem & consequentiam. Itaque distinguere fundamentaliter est fundare distinctionem rationis: rationalitas vero prout existit à parte rei fundat eandem distinctionem, quam animalitas, quia tota illa entitas fundat distinctionem rationis, non quidem rationalitatis à rationalitate, hæc enim esset distinctio sine fundamento, sed animalitatis à rationalitate; unde non aliam, & aliam distinctionem fundant rationalitas, & animalitas, sed eandem; non igitur suscipiunt à parte rei prædicta contradictoria.

22 Obijcies ultimo: in peccato entitas, & malitia realiter sunt idem: in Deo essentia, & Paternitas similiter identificantur; & tamen entitas peccati realiter producitur à Deo, non autem producitur malitia: entitas ipsius amatur à Deo, minimè vero amatur eius malitia: essentia divina communicatur filio, non autem Paternitas: ergò de eisdem realiter entitatibus verificantur prædicta contradictoria realiter, sive à parte rei.

23 Respondeo pro nunc, negando maiorem quoad

primam partem; quia mihi valde probabilior est sententia, quæ malitiam formalem peccati in privatione constituit; privatio autem non potest identificari realiter cum entitate positiva. Quod si dicas, contrariam sententiam esse etiam probabilem inter Thomistas. Respondeo, quod ad Thomistas illam propugnantes attinet explicare quomodo, si realiter sunt idem entitas & malitia, entitas causatur à Deo, non autem malitia; nobis enim maxime propter hanc difficultatem, talis displicet sententia. Nec est locus hic opportunus pro illius veritate indaganda.

24 Deinde, concessa maiori quoad secundam partem, nimirum, quod essentia divina, & Paternitas identificantur à parte rei, admitto pro nunc quod de illis à parte rei verificentur prædicta contradictoria; nego tamen quod extra Trinitatis Mysteriorum similiter verificari possint; quia si in superno illo Mystero verificantur, ideo est, quia ibi extremitates inter se realiter distinctæ, inveniuntur identificatæ cum tertio, absque implicatione vlla; cum autem hoc sit speciale in illo Mystero, non licet paritatem ex eo facere ad entitates creatas. Hæc pro nunc respondeo; alibi enim ex professo ostendam, nec in divinis de eadem realiter entitate verificari posse prædicta

ta contradictoria ratione distinctionis virtualis præcisè ante distinctionem actualem rationis.

25 Ex dictis colliges primo non dari distinctionem virtualem, eo sensu quo ab aliquibus accipitur, nimirum, pro distinctione actuali virtualitatum à parte rei eiusdem entitatis. Ratio est, quia ideo repugnant à parte rei formalitates eiusdem entitatis actu distinctæ, quia alias extrema identificata cum vna, & simplici entitate distinguerentur actualiter inter se; sed pariter si darentur à parte rei in eadem indivisibili entitate plures virtualitates actu distinctæ, iam extrema inter se distincta actualiter identificarentur cum vno tertio, scilicet cum vnica, & simplici entitate: ergo æque repugnant à parte rei plures virtualitates eiusdem entitatis actu distinctæ inter se. Rursus: Nam si virtualitas animalis à parte rei esset actu distincta à virtualitate singularitatis, vel hæc ceitatis, virtualitas animalis seorsim ab hæc ceitate esset actualiter hæc, & non illa virtualitas, essetque singularis seorsim à singularitate, quod aperte implicat contradictionem.

26 Ac denique, quia si deberent actu distingui virtualitates in eadem re, ut illa æquivaleret ad plura distincta, sequeretur Omnipotentiam

divinam constare ex infinitis virtualitatibus actualiter à parte rei inter se distinctis, quia videlicet æquivaleret infinitis causis creatis; hoc autem quis non videat esse absurdum, cum divina Omnipotentia sit vna, & simplicissima virtus minimè composita, aut integrata ex pluribus virtutibus, seu virtualitatibus: vnde sicut illa dicitur virtualiter multiplex, non quia actu à parte rei habeat multas virtualitates, sed quia est vnica & simplex virtus, vel virtualitas ex parte sua simplicissime æquivalens pluribus, & infinitis causis valde diversis; sic similiter in qualibet re, quando dicitur virtualiter multiplex non est sensus, quod habeat multas virtualitates actualiter à parte rei inter se distinctas, sed solum quod per vnica virtualitatem ex parte sua, & in recto æquivaleret rebus valde diversis ex parte illarum. Vnde tota distinctio actualis, & propria se tenet ex parte rerum, quibus vnica entitas, vel virtualitas æquivaleret, non ex parte ipsius entitatis, vel virtualitatis intrinsece & in recto: & propterea huiusmodi distinctio virtualis forsàn appellatur extrinseca, non intrinseca.

27 Coliges secundo contra M. Froilan. fol. mihi 303: nec distinctionem fundamentalem sufficere se solam, ut in vi & ratione ipsius prædicata con-

Contradictoria verificentur de animali, & rationali, sed ad hoc necessario requiri distinctionem formalem rationis, per quam animal, & rationale proximè, & formalitèr possint suscipere talia prædicata. Ratio est, nam ut præcitatus M. inquit fol. 306. si aliquod prædicatum actualitèr formalitèr dicitur de animali, & actualitèr formalitèr negatur de rationali, necessum omninò est quod animal actualitèr formalitèr sit aliquid, quod non sit rationale; sed eo ipso est actualitèr formalitèr à rationali distinctum; ergo ut aliquid actualitèr formalitèr affirmetur de animali, & negetur de rationali non sufficit sola distinctio fundamentalis, sed debet intercedere distinctio formalis rationis, quæ sit proxima, & formalis capacitas suscipiendi talia prædicata contradictoria.

28 Nec valet, si dicas, distinctionem fundamentalem connotare distinctionem formalem rationis signatam, & possibilem. Non inquam valet, nam ex hoc ad summum probatur quod connotet capacitatem immediatam, & formalem, quæ potest haberi per intellectum ad suscipienda contradictoria, non vero, quod sola ipsa distinctio fundamentalis sufficiat, ut in vi ipsius verificentur prædicata contradictoria: admodum quo substantia materialis ut radicalitèr quanta, connotat quan-

titatem, quæ est proxima & formalis capacitas suscipiendi figuram, & colorem; ex quo non sequitur quod ut radicalitèr quanta sit sufficiens ad suscipiendam figuram, vel colorem, sed tota formalis capacitas ad hoc, provenit ab ipsa quantitate formali. Sic ergo formalis capacitas suscipiendi prædicata contradictoria non est sola distinctio fundamentalis, licet connotet formalem rationis, sed est ipsa distinctio formalis rationis, sive practicè cognita & exercita, sive speculativè cogita, & signata.

29 Ex quo patet solutio ad sequens argumentum: intellectus divinus enuntiat aliquando de formalitatibus eiusdem entitatis prædicata contradictoria, cognoscit enim animalitatem non esse principium: ratiocinandi, rationalitatem vero esse tale principium: item cognoscit suum intellectum esse principium, per quod procedit verbum, & suam voluntatem non esse tale principium, & alia huiusmodi; sed intellectus divinus non affirmat hæc prædicata contradictoria ratione distinctionis formalis rationis, si quidem talem distinctionem non fingit: ergo ea affirmat ratione distinctionis virtualis, vel fundamentalis præcisè: ergo hæc sola sufficit ad suscipienda prædicata contradictoria.

30 Patet inquam, concessa majori, distinguendo minorem: hæc

hæc non affirmat ratione distinctionis formalis rationis à se exercitè factæ, vel practicè cognitæ, concedo minorem: signatæ, vel speculativè cognitæ, nego minorem, & consequentiam, quia intellectus divinus, licet non distinguat per rationem, nec faciat distinctionem formalem rationis inter formalitates identificatas, cognoscit tamen speculativè tales formalitates ut exercitè, vel signatè distinctas distinctione formalis facta, vel factibili ab intellectu creato; & de illis ut sic formaliter distinctis, & ratione talis distinctionis speculativè cognitæ enuntiat prædicata contradictoria; non vero ratione solum distinctionis virtualis, sive fundamentalis.

31 Si verò opponas casum, in quo nullus existeret intellectus creatus, qui distingueret per rationem formalitates identificatas. Respondeam, quod adhuc in eo casu maneret possibilis distinctio formalis rationis per ordinem ad intellectum creatum possibilem, ac proinde Deus cognosceret speculativè distinctionem formalem rationis possibilem inter illas formalitates, & ratione talis distinctionis enuntiaret prædicata contradictoria de illis formalitatibus ut signatè distinctis per rationem.

32 Si verò inquiras, quid foret dicendum casu impossibili, quo nullus maneret, ad-

huc possibilis, intellectus creatus? Respondeo, quod eo casu nec forent possibles plures formalitates eiusdem entitatis significabiles in plurali, nec conceptibiles ut distinctæ, quia nullus foret possibilis intellectus, qui ita illas conciperet; tantum ergò manerent conceptibiles per modum unius simplicis entitatis, & formalitatis, qualiter sunt à parte rei; quo pacto de illis nullatenus possunt verificari prædicata contradictoria.

33 Si denique urgeas, quod in illo casu verificaretur prædicatum contradictorium, affirmativum, v.g. quod animal est principium sentiendi, siquidem hoc convenit animali prout est à parte rei: Cur ergò non verificaretur prædicatum contradictorium negativum de rationali prout est à parte rei? Ergò utrumque contradictorium verificaretur de animali, & rationali prout sunt à parte rei. Respondeo, quod de animali, prout est à parte rei, verificatur esse principium sentiendi, quia ad hoc præcisè requiritur quod sit animal, & à parte rei re ipsa est animal: non autem verificatur prædicatum contradictorium negativum de rationali, scilicet, quod non sit principium sentiendi, quia ad hoc requiritur, quod rationale ut tale non sit animal, hoc autem non convenit rationali prout est à parte rei, quia prout est à parte rei, re ipsa est animal, & principium

pium sentiendi & tantum obiectivè per intellectum non est animal, nec principium sentiendi.

QVÆSTIO V.

An detur praecisio obiectiva inter gradus superiores & inferiores?

1 **P**RÆCISIO, Vt ad præsens attinet, vna est formalis, obiectiva alia. Formalis est actus representans totum obiectum, licet modo inadæquato ex parte actus. Obiectiva est divisio facta per actum intellectus ex parte obiecti, ita vt intellectus per talem actum cognoscat ex parte obiecti vnā formalitatem tantum, non representando ex parte obiecti alteram cum illa realitèr identificatam.

2 Rursus praecisio alia est positiva, alia negativa. Negativa est, quando concipitur vna formalitas identificata cum alia, nulla facta mentione alterius. Positiva est quando concipiuntur duæ formalitates realitèr identificatae, & vna concipitur vt ab alia distincta. His suppositis.

Nostra conclusio.

3 **D**ICO: Inter gradus superiores, & inferiores eiusdem entitatis datur praecisio obiectiva. Ita omnes Thomistæ, & ex PP.

Societatis antiquiores, cum aliquibus eiusdem Scholæ RR: Contra Nominales, & paucos ex modernis, vt sunt Hurtado, Arriaga, Tellez, Oviedo, Quiros, Bonæ spei, Franciscus Alphonsus, & alij. Contra quos.

4 Probatur primo ex D. Th. 1. p. q. 40 art. 3. vbi sic ait: *Duplex est abstractio, vna quidem, secundum quod universale abstrahitur à particulari, vt animal ab homine, & in hac abstractione non remanet id, in quo fit abstractio, remota enim ab homine differentia rationali, non remanet in intellectu homo, sed solum animal.* Tunc sic; sed quando in intellectu remanet tantum animal, remoto rationali, obiectivè præscinditur animal à rationali, siquidem existit obiectivè animal sine rationali, ergò iuxta D. Th. datur praecisio obiectiva inter animal, & rationale, & consequenter inter gradus superiores, & inferiores.

5 Deindè probatur ratione: Dum cognoscitur vna formalitas identificata cum alia, altera non cognita, datur praecisio obiectiva; sed cognoscitur animal identificatum cum rationali, non cognito rationali; ergò inter animal, & rationale datur praecisio obiectiva, & consequenter inter gradus superiores, & inferiores. Discursus est legitimus, præmissæ restant probandæ; & imprimis probo maiorem: eodem modo datur praecisio

cisio vnius formalitatis ab alia, quo vna existit, altera non existente; sed dum cognoscitur vna formalitas identificata cum alia, altera non cognita, existit obiectivè in intellectu vna formalitas, altera non existente obiectivè: ergò in hoc casu datur præcisio obiectiva vnius formalitatis ab alia.

6 Minor verò, quæ sola à contrarijs negatur, probatur, supponendo casum, quo homo à longè ambulans videatur, & propter distantiam, licet cognoscamus eum esse animal, quia movetur, ignoremus tamen eum esse rationalem, vel hominem; in hoc casu cognoscitur animalitas, & non cognoscitur rationalitas: ergò iam cognoscitur animal identificatum cum rationali, non cognito rationali. Antecedens, præterquam quod clarum per se videtur, probatur: solum cognoscitur in obiecto, quod infertur ex signis exterioribus, quæ in illo percipimus; sed in casu relato ex signis exterioribus, quæ videntur, solum infertur animalitas; non autem rationalitas: ergò solum cognoscitur animalitas, non autem rationalitas.

7 Confirmatur: Idem cognoscitur ex parte obiecti in casu relato, ac si esset aliud animal quam rationale; sed si esset aliud animal, non cognosceretur in eo rationalitas: ergò nec in relato casu cognos-

citur rationalitas. Maior probatur, nam etsi esset aliud animal, eandem speciem immitteret sensibus, & per sensu intellectui, sed quoties obiectum emittit intellectui eandem speciem, eodem modo cognoscitur ab intellectu; ergò eodem modo cognoscitur obiectum in relato casu, ac si esset aliud animal, quam rationale. Urgetur si Deus in prædicto casu repente annihilaret hominem, & loco illius produceret aliud animal cum eisdem signis exterioribus, ita ut illa mutatio non perciperetur à sensibus, eadem omnino continuaretur cognitio; sed ille post mutationem repente factam à Deo non cognosceret rationalitatem, quæ ibi non esset: ergò nec ante mutationem illam cognoscebat.

8 Confirmatur secundo: Nam in prædicto casu à nobis relato postea intellectus indicare de illo obiecto non esse rationale, vel ad minus dubitari de rationalitate illius; sed intellectus nequit iudicare de obiecto rationale non esse nec dubitare de rationalitate illius, dum in illo rationalitatem cognoscit: ergò intellectus in illo casu non cognosceret rationalitatem.

9 Communis adversariorum solutio est, quod in relato, & similibus casibus cognoscitur animalitas clarè, & rationalitas confuse, sive obscure, idòque intellectus potest dubit-

subitare de rationalitate, imò, & negare rationalitatem obiecti. Sed contra hanc solutionem, sic infurgo primo: quia in relato casu rationalitas non cognoscitur immediatè, & per se, adhuc obscure; sed animalitas cognoscitur immediatè, & per se: ergò animalitas praescinditur obiectivè à rationalitate. Maior, quæ sola difficilis est, probatur argumentis iam factis; quia implicat eandem cognitionem nunc cognoscere obscure vnum obiectum immediatè, & per se ipsum, & postea cognoscere obscure aliud obiectum valdè distinctum etiam immediatè in se ipso; cognitio enim specificatur ab obiecto immediatè, & per se cognita; sed in casu, quo animal cognitum sit rationale, eadem permanet cognitio, ac in casu quo esset brutum: ergò non cognosceret in vno casu rationalitatem immediatè, & per se ipsam, & in alio brutalitatem immediatè, & per se ipsam, ac per consequens nec in primo cognosceret rationalitatem, nec in secundo brutalitatem, sed praescinderet obiectivè animalitatem ab utrolibet.

10 Confirmatur: Per vnicum actum fidei cognosci non potest vnum mysterium in vno casu, & aliud in alio casu; sed per actum fidei cognoscuntur obscure mysteria: ergò adhuc obscure nequit intellectus per eundem actum

cognoscere vnum obiectum in vno casu, & aliud in alio casu.

11 Secundo sic impugno solutionem: In casu relato propriè, & simpliciter cognoscitur animalitas; sed propriè, & simpliciter non cognoscitur rationalitas: ergò propriè, & simpliciter existit obiectivè in intellectu animalitas sine rationalitate, & consequenter praescinditur obiectivè vna ab alia. Minor, quæ sola à contrariis negatur, probatur: quod latet occultum in obiecto, & non apparet, nec representatur intellectui, propriè, & simpliciter non cognoscitur in obiecto; sed rationalitas latet occulta in obiecto, & non apparet, nec representatur intellectui: ergò propriè, & simpliciter non cognoscitur.

12 Confirmatur: Quando Philosophus cognovit Deum, latebat occulta Trinitas in obiecto eo modo, quo rationalitas manet occulta in casu à nobis relato; & tamen nullus dicit Philosophum propriè, & simpliciter cognovisse Trinitatem: ergò quod latet occultum in obiecto, propriè, & simpliciter non cognoscitur. Urgetur: Non est maior ratio, cur cognoscatur rationalitas, dum animal cognoscitur, quam ut cognoscatur Trinitas dum à naturali Philosopho cognoscitur Deus, siquidem æquè, vel magis, identificatur Trinitas cum Deo quam rationalitas cum anima.

li; sed nullus dicit Philosophum naturalem cognoscere immediate, adhuc obscure, Mysterium Trinitatis: ergo similiter in nostro casu, adhuc obscure, non cognoscitur rationalitas.

Solvuntur obiecta contra hanc variationem, explicatis duabus præcisionibus.

13 **C**ONTRA Præcedentem rationem obijcies primo: eo modo attingit intellectus differentiam animalis, quod à longè videt, ac visus differentiam coloris, quem à longè prospicit; sed visus non præscindit obiectivè colorem à sua differentia specifica: ergo nec intellectus animalitatem à sua differentia. Maior patet: nam sicut visus attingit totum colorem, non tamèn discernit an viridis, an cæruleus sit, ita intellectus attingit totum obiectum, non tamen discernit an rationale, an irrationale sit. Confirmatur: Quando videtur color, non discernendo an viridis, an cæruleus sit, eadem omnino existeret visio, sive esset cæruleus, sive viridis; & tamèn non præscinditur color à differentijs: ergo licet eadem persisteret cognitio, casu quo obiectum cognitum esset rationale, & casu quo esset irrationale, non sequitur præcisio obiectiva animalis à differentijs.

14 Respondeo primo instando argumentum: Visus nequit præscindere formalitèr, nec universale formalitèr patere, ut fatentur ex contrarijs Franciscus Alphonsus, & Quirós: & tamèn intellectus præscindit formalitèr, & facit universale formalitèr: ergo non eodem modo se habet visus, ac intellectus. Quapropter pro omnibus respondeo, negando maiorem. Ad cuius probationem dico, quod visus eodem ipsissimo modo, quo attingit rationem communem coloris, attingit differentiam illius, nulla enim datur visio, quæ attingat colorem in universali ut diximus præcedenti tractatu, 7. n. 7. unde visio semper discernit, licet remisse, & tenuè inter colorem, & colorem, attingendo ex parte obiecti colorem viridem, ut viridem, & cæruleum ut cæruleum. Quod si inquiras, unde provenit quod aliquando, dum videmus colorem à longè, cognoscimus ibi esse colorem, ignoramus tamèn, qualis color sit? Respondeo, hoc provenire ex eo quod visus adeò debiliter attingit colorem, etià quoad differentiam, quod intellectus cognoscit esse colorem, quia omne quod videtur color est, cæterum propter debilitatem visionis non potest acquirere notitiam vel speciem coloris in particulari, unde tantum occasionaliter præscindit visio illa debilis, quatenus tribuit occasio-

sionem intellectui ad præscindendum formalitèr.

15 Ad confirmationem respondeo primo negando suppositum, quod scilicet visio non discerneret vnum colorem ab alio; nam, ut iam dixi, semper attingit colorem ut talem in particulari, non autem in vniuersali. Verumtamèn, quia non discernit occasionalitèr, quatenus intellectui non tribuit occasionem discernendi, & in hoc sensu potest tenere suppositum, ideò secundo respondeo negando maiorem, quia, ut dixi, visio semper specificatur à colore in particulari, quia immediatè attingit rationem, & differentiam coloris, vnde implicat quod eadem visio nunc attingat colorem viridem, & postea ceruleum. Imò ex hoc argumentum desumo pro nostra sententia: quia enim visio immediatè attingit rationem communem, & differentiam coloris, repugnat eandem visionem nunc attingere in obiecto viriditatem, & postea nigredinem; sed iuxta aduersarios intellectus eodem modo attingit immediatè in obiecto rationem communem animalis, & rationem differentialem rationalitatis, siuè aliam: ergò nequit eadem cognitio nunc cognoscere in obiecto vnam differentiam, & postea aliam: ac proinde si eadem cognitio remanet in vno, & in alio casu, in neutro attingit differentiam in

obiecto occultam, sed ab illa obiectivè præscindit.

16 Obijcies secundo: Potest intellectus cognoscere ens, non discernendo, sed potius ignorando àn sit substantia, vel accidens, àn sit reale, vel rationis; ut quando dubitatur, àn intellectus creatus sit substantia, vel accidens, & àn substantia supernaturalis creata sit ens reale possibile, vel chimæra, & ens rationis; & tamèn intellectus nequit præscindere obiectivè ens à substantia, & accidenti, nec à reali, & rationis: ergò licet cognoscat animal ignorando àn sit rationale, vel irrationale, non sequitur quod illud præscindat obiectivè à differentijs. Confirmatur: Licet intellectus ignoret àn substantia supernaturalis sit ens reale, tamen si reuera est ens reale, in illa cognoscit realitatem: ergò similiter licet de animali cognitio ignoret intellectus àn sit rationale, in illo tamèn cognoscat rationalitatem, si reuera illud sit rationale.

17 Pro solutione nota duplicem esse præcisionem, aliam perfectam, & adæquatam, imperfectam, & inadæquatam aliam. Perfecta accidit quando ita cognoscitur vnum prædicatum, quod aliud realitèr cum illo identificatum non cognoscitur adhuc implicite, quia videlicet non includitur in visoribus primi prædicati, sed quasi

quasi ex adiuncto cum illo identificatur; hoc modo præscinditur genus à differentiis; unde iuxta Philosoph. & communiter inter Logicos dicitur, quod genus excludit à suo conceptu differentias, quia videlicet, dum concipitur genus, *animal* v.g. non manent differentie incluse in visceribus animalis, sed potius manent extra illum conceptum obiectivum. Præcisio verò imperfecta accidit, quando concipitur explicitè unum prædicatum, & aliud latet occultum in visceribus obiecti, ibique manet inclusum & implicatum; quapropter dicimus illud implicitè cognosci, non quia immediate, & per se cognoscatur, sed quia cognoscitur aliud in cuius visceribus implicitè manet inclusum.

18 His suppositis concessa maiori argumenti, distinguo minorem: nequit intellectus præscindere obiectivè perfectè, & adæquatè ens à substantia, & accidenti, nec à reali, & rationis, concedo minorem: nequit præscindere obiectivè imperfectè, nego minorem, & consequentiam. Itaque intellectus obiectivè præscindit ens à differentiis, dum concipit aliquod ens ignorando eius differentiam, cæterum hæc præcisio non est perfecta, & adæquata, quia differentia, à qua præscinditur, cum in se ipsa sit formalitèr ens, manet inclusa implicitè in conceptu

obiectivo entis, unde talis præcisio tantum est imperfecta, & inadæquata, sive ut alij explicant, penes implicitum, & explicitum. Cæterum dum concipitur animal sine differentiis, præscinditur ab illis perfectè, & adæquatè, quia differentie non manent implicitè clausæ in visceribus animalitatis, hæc enim, cum sit genus, excludit à suo conceptu differentias. Sed de his latius infra.

19 Ex his ad confirmationem distinguo antecedens: tamèn si revera est ens reale in illa cognoscit realitatem implicitè, concedo antecedens: cognoscit explicitè realitatem, nego antecedens, & consequentiam. Quia si substantia supernaturalis revera sit ens reale, quod quidem ignoratur, realitas manet implicitè inclusa in conceptu substantie supernaturalis, ac proinde cognoscitur implicitè, non autem explicitè, aliàs enim non ignoraretur; at verò cum cognoscitur animal, nec implicitè cognoscitur rationalitas, quia manet exclusa, & extra conceptum animalis, quod cum sit genus excludit à suo conceptu differentias.

Alièr probatur nostra conclusio.

20 **S**ECUNDO Probatut nostra conclusio: Distinctio rationis obiectiva est obiectiva præcisio: sed

sed datur distinctio rationis obiectiva inter animal, & rationale: ergo datur obiectiva præcisio inter animal, & rationale, & consequenter inter gradus superiores, & inferiores. Maior est certa, & à contrarijs conceditur, & minor probatur: distinctio, quæ non reperitur realiter in obiecto, & representatur per actum intellectus in eo, est distinctio rationis obiectiva; sed inter animal, & rationale nulla reperitur realiter distinctio; representatur tamen in eis per actum intellectus: ergo inter animal, & rationale datur distinctio rationis obiectiva. Maior, & minor quoad primam partem conceditur à contrarijs; secunda vero pars minoris, quæ sola difficilis est, probatur: actus, qui representativè distinguit animal à rationali, representat distinctionem animalis à rationali; sed actus intellectus representativè distinguit animal à rationali: ergo representat distinctionem animalis à rationali; & consequenter per actum intellectus representatur distinctio inter animal, & rationale. Maior patet: quia nihil aliud est representativè distinguere, quam representare distinctionem; sicut nihil aliud est esse Cæsarem representativè, quam representare Cæsarem; & conspiciam magnificare litteras representativè, quam representare magnitudinem lit-

teratum: ergo actus, qui distinguit representativè animal à rationali, representat distinctionem animalis à rationali. Minor vero probatur: nam actus intellectus aliquomodo distinguit animal à rationali; non entitative: ergo representativè. Probo minorem: actus intellectus entitative est realis; sed non distinguit realiter animal à rationali; ergo nec entitative. Explicatur hæc ratio: distinctio rationis inter animal, & rationale non est formaliter actus intellectus: ergo representatur ex parte obiecti per actum intellectus. Consequentia à contrarijs conceditur. Antecedens probatur: actus intellectus est realis: sed distinctio rationis non est realis: ergo distinctio rationis non est formaliter actus intellectus.

22 Si dicas primo, quod distinctio rationis non est distinctio ficta, sive rationis obiectiva, sed tantum est distinctio rationis subiectiva, eo modo, quo actus intellectus est ens rationis subiectivum, non autem obiectivum. Contra est primo: quia actus intellectus, licet sit ens rationis subiectivum, tamen propriè, & simpliciter est ens reale; sed distinctio rationis inter animal, & rationale non est propriè, & simpliciter distinctio realis: ergo non est formaliter actus intellectus. Secundo: ens rationis subiectivum propriè, &

simpliciter est ens reale : ergo etiam distinctio rationis subiectiva proprie & simpliciter erit distinctio realis. Tunc sic ; sed distinctio rationis inter animal, & rationale non est proprie, & simpliciter distinctio realis : ergo non est distinctio rationis subiectiva, sed obiectiva. Urgetur : tot genera dantur distinctionum, quod genera entium, ut contra Scotum asserunt communiter omnes, nam distinctio est proprietas entis ; sed datur ens rationis obiectivum : ergo datur etiam distinctio rationis obiectiva.

22 Dices, dari distinctionem rationis obiectivam, quia intellectus potest pro suo libito concipere predicata identificata ut distincta, v. g. si dicat : *Homo non est animal*, seu *est distinctus ab animali* ; ceterum hæc distinctio rationis est chimerica, & sine fundamento ; cum fundamento vero nequit dari distinctio rationis obiectiva. Sed contra reddit argumentum factum : Nam tot dantur distinctionum, quod genera dantur entium ; sed dantur entia rationis obiectiva cum fundamento : ergo datur etiam distinctio rationis obiectiva cum fundamento.

23 Si secundo respondeas ad rationem principalem, quod actus intellectus repræsentative, & intentionaliter distinguit extrema, non quia ex parte obiecti repræsentat ea ut

distincta, sed quia ea repræsentat modo distincto, & discretos. Contra est primo : quia quod convenit cognitioni repræsentative sumptæ, debet repræsentari ex parte obiecti, unde cognitio, quæ repræsentative est animal, ex parte obiecti repræsentat animal, & sic de alijs ; sed ille modus distinctus, & discretus convenit cognitioni repræsentative sumptæ : ergo debet etiam repræsentari ex parte obiecti, & consequenter extrema repræsentabuntur ut distincta ex parte obiecti.

Confirmatur : Eodem modo repræsentatur animal & rationale per hanc cognitionem *animal, & rationale*, ac Petrus & Paulus per hanc cognitionem *Petrus, & Paulus* ; sed per hanc ultimam cognitionem Petrus, & Paulus non solum repræsentantur modo distincto, & modo plurali, sed etiam repræsentantur ut distincti, & ut plures ex parte obiecti : ergo similiter per primam cognitionem animal, & rationale non solum repræsentantur modo distincto, & plurali, sed etiam repræsentantur ut extrema distincta & plura ex parte obiecti, & consequenter datur pluralitas, & distinctio obiectiva.

24 Contra secundo : Ille actus *animal, & rationale* est disconformis obiecto in repræsentando, quia repræsentat ut plura, quæ sunt idem ;
sed

sed si non representaret obiectum ut distinctum ex parte obiecti, non esset disconformis cum illo prout est à parte rei: ergò representat obiectum ut distinctum ex parte obiecti. Minor probatur: Non alia ratione aliquis actus potest disconformari cum obiecto prout est à parte rei, nisi quia representat ex parte obiecti, quod obiectum non habet à parte rei: ergò si non representaret ex parte obiecti ipsum obiectum ut distinctum, non esset disconformis cum illo, quamvis à parte rei obiectum distinctum non esset.

25 Ex quibus colliges, male explicari praecisionem obiectivam ab aliquibus RR. Iesuitis; quid dicet fateantur cognosci animal, quin cognoscatur rationale, ac proinde vnum ab alio obiective praescindi, nihilominus asserunt totam praecisionem, & distinctionem inter utrumque esse solam denominationem extrinsecam, & vnicè consistere formalitèr in actu intellectus praecisivo, à quo animal, & rationale denominantur extrinsecè distincta; negant autem omnem distinctionem obiectivam & intrinsecam ex parte obiecti.

26 Contra enim est primo: quia praecisio obiectiva ex terminis est obiectiva distinctio, quae se tenet ex parte obiecti; sed si consistit formalitèr in actu intellectus tam-

quam denominatio purè extrinseca ab illo desumpta, se tenet ex parte actus, & non ex parte obiecti: ergò non erit praecisio obiectiva, sed ad summum praecisio formalis. Secundo: quia ut constat ex dictis, distinctio rationis representatur ex parte obiecti per actum intellectus, & non est ipsemet actus intellectus formalitèr; sed hoc ipso est intrinseca obiecto, & non denominatio extrinseca ab actu intellectus: ergò.

27 Tertio probatur conclusio: Distinctio quae versatur inter animal, & rationale prout à cognitione distinctis, est obiectiva, sive se tenet ex parte obiecti, & est ipsi obiecto intrinseca; sed distinctio rationis versatur inter animal, & rationale prout à cognitione distinctis: ergò se tenet ex parte obiecti, & est ipsi obiecto intrinseca. Minor probatur: distinctio rationis non versatur inter animal ut cognitum per hanc cognitionem animal, & rationale ut cognitum per hanc cognitionem rationale: ergò versatur inter animal, & rationale prout à cognitione distinctis. Antecedens probatur: quia animal ut extrinsecè cognitum per hanc cognitionem animal realitèr distinguitur à rationali ut extrinsecè cognito per hanc cognitionem rationale, cum cognitiones istae realitèr distinguantur; sed distinctio rationis non

versatur inter extrema realiter distincta ut talia: ergo non versatur inter rationale, & animal ut cognitio cognitione animal, & cognitione rationale.

28. Confirmatur: Distinctio, quae versatur inter subiectum ut extrinsecè visum, & idem subiectum ut extrinsecè amatum, non est distinctio rationis, sed distinctio realis: quia licet subiectum sit idem, formae tamen, à quibus denominatur visum, & amatum, sunt realiter distinctae; sed quamvis animal, & rationale sint idem realiter subiectum, cognitiones tamen, à quibus denominantur extrinsecè cognita, sunt realiter distinctae: ergo in quantum denominantur extrinsecè cognita unumquodque sua cognitione, distinguuntur realiter, & non per rationem: ergo distinctio rationis non versatur inter animal, & rationale ut extrinsecè cognitio.

29. Quarto: Extrema, quae immediatè distinguuntur per rationem, sunt ipsamet, quae realiter identificantur; sed animal, & rationale solum identificantur realiter prout à cognitionibus suis distincta, non vero prout formaliter cognita diversis cognitionibus; ergo distinctio rationis non versatur inter ipsa ut extrinsecè cognita formaliter, sed inter ipsa ut à cognitione distincta.

30. Quarto: Quia repugnat distinctio extrinsecè extremis immediatè distinctis: Sed distinctio rationis, si consideret formaliter in actu intellectus, esset extrinsecè extremis immediatè distinctis per ipsam: ergo repugnat talis distinctio. Maior probata manet tract. 1. quest. 5. num. 23. & ulterius confirmatur: quia distinctio est passio entis, sicut & unitas; sed passio entis implicat quod sit extrinsecè entis: ergo pariter implicat quod distinctio sit extrinsecè enti distincto. Amplius: Vnum obiectum ab alio distingui est formalissimè esse id ipsum quod est, & non aliud; sed ex terminis implicat obiectum parere extrinsecè, seu per aliquid extrinsecum esse id ipsum quod est & non aliud, siquidem unumquodque per se ipsum est, quod est, & per se ipsum non est quod non est: ergo repugnat unum distingui ab alio pure extrinsecè, sive per aliquid extrinsecum.

Instatur, primum contrariae sententiae fundamentum.

31. **P**R I M O Igitur arguunt contrarij: De eadem realiter entitate non possunt verificari praedicata contradictoria; sed animalitas, & rationalitas sunt eadem realiter entitas: ergo
de

de illis non possunt verificari prædicata contradictoria. Tunc scilicet cognosci, & non cognosci sunt prædicata contradictoria: ergo nequit verificari de animali quod cognoscatur, & de rationali quod non cognoscatur, & consequenter nequit animal obiective præscindi à rationali.

32 In primis in isto, si-
ve impugno argumentum, quo
totaliter fidei adversa senten-
tia: Affirmari, & non affir-
mari, negari, & non negari,
esse genus, & non esse genus
sunt prædicata contradictoria;
& tamen potest animal affirma-
ri de obiecto, & non affirmari
rationale, potest negari rationa-
le, & non negari animal, potest
etiam animal esse genus, quia
rationale sit genus: ergo de
animali, & rationali possunt
verificari prædicata contradi-
ctoria, & consequenter ruit
argumentum factum. Minor
patet præcipue in casu à no-
bis relato initio quæstionis.

Confirmatur: non minus
contradictoriè opponuntur cog-
nosci clare, & non cognosci
clare, quam cognosci, & non
cognosci; sed non obstante
prima contradictione verifica-
tur animal cognosci clare, &
rationale clare non cognosci:
ergo non obstante secunda con-
tradictione verificabitur etiam
animal cognosci, & rationale
non cognosci.

33 Valde præmit ad-

versarios hæc instantia, ideo-
que pro illis responderi pa-
test primo ex Francisco Al-
phonso, non esse contradicto-
ria cognosci clare animal, &
non cognosci clare rationale,
quia non verificantur de ea-
dem entitate per ordinem ad
eandem realiter operationem,
sive per ordinem ad idem rea-
liter connotatum, sed potius
per ordinem ad diversa reali-
ter connotata; cognosci enim
clare animal, est totam illam
entitatem cognosci per ordi-
nem ad sensationem, cognos-
ci autem clare rationale, est
cognosci illam entitatem per
ordinem ad ratiocinationem;
cum autem sensatio, & ratio-
cinatio realiter distinguantur,
iam cognosci clare, & clare non
cognosci verificantur de eadem
entitate per ordinem ad diversa
realiter connotata.

34 Sed in primis, cum
mihi non licebit asserere etiam
cognosci animal, & rationa-
le non cognosci verificari per
ordinem ad diversa realiter
connotata, quia videlicet cog-
nosci animal, est cognosci il-
lam entitatem per ordinem ad
sensationem, & non cognos-
ci rationale, est non cognos-
ci per ordinem ad ratiocina-
tionem, & consequenter poterit
quamoptime verificari cognosci
animal, & non cognosci ratio-
nale, non minus quam cognos-
ci clare animal, & non cognosci
clare rationale.

35 Deinde sic primo impugno solutionem, : cognosci clarè, & non cognosci clare, quando verificantur per ordinem ad idem realitèr connotatum, sunt prædicata contradictoria, vt fateri videtur solutio; sed quando, viso à longe leone, verificaretur cognosci clare animal, & non cognosci clare rugibile, verificaretur cognosci clare, & non cognosci clare per ordinem ad eandè realitèr operationem, sive connotatum: ergò de animali, & rugibili, quæ sunt eadem realitèr entitas, possunt verificari prædicata contradictoria. Min. probatur: quia in leone cognosci clarè animal, est cognosci per ordinem ad sensationem, & non cognosci clarè rugibile, est non cognosci per ordinem ad rugitum; sed rugitus, & sensatio realitèr identificantur in leone, cum rugitus sit realitèr sensatio: ergò verificatur cognosci clarè, & non cognosci clarè per ordinem ad idem realitèr connotatum.

36 - Secundo: Nàm viso à longe colore, potest verificari cognosci clarè colorem, & non cognosci clarè differentiam illius; & tamèn non poteris assignare connotata realitèr diversa in colore per ordinem ad quæ cognoscatur clarè, & non cognoscatur clarè: ergò potest verificari de eadem entitate cognosci clarè, & non cognosci clarè, quin verificetur per ordinem ad diversa realitèr connotata.

37 Tercio: nàm in homine realitèr identificantur ordo ad sensationem, & ordo ad ratiocinationem, licet ratiocinatio, & sensatio realitèr distinguantur; sed potest cognosci ordo ad sensationem, quin cognoscatur ordo ad ratiocinationem: ergò de eodem realitèr ordine potest verificari cognosci, & non cognosci. Minor probatur primo: quia potest iuxta solutionem cognosci entitas hominis per ordinem ad sensationem, quin cognoscatur per ordinem ad ratiocinationem; sed quando cognoscitur per ordinem ad sensationem cognoscitur ordo ad sensationem, & quando non cognoscitur per ordinem ad ratiocinationem, non cognoscitur ordo ad ratiocinationem: ergò potest in homine cognosci ordo ad sensationem, quin cognoscatur ordo ad ratiocinationem. Secundo probatur minor: quando cognoscitur ordo ad sensationem non cognoscitur ratiocinatio; sed quando non cognoscitur ratiocinatio non cognoscitur ordo ad illam, implicat enim cognosci ordinem, & habitudinem ad terminum, termino non cognito: ergò quando cognoscitur ordo ad sensationem, non cognoscitur ordo ad ratiocinationem, & consequentèr potest cognosci vnus ordo, altero non cognito.

38 Secundo respondebis ex P. Quirós, quod nedum repugnat cognosci animal, & non cog-

cognosci rationale, sed etiam repugnat cognosci clare animal, & non cognosci eadem claritate rationale, & in univcrsum, quotiescūque aliquomodo cognoscitur unum prædicatum realitèr identificatum cum alio, eodem modo cognoscitur aliud. Ità sentit prædictus A. satis consequenter, sed falso.

39. Nàm contra stat ipsa experientia; quis enim dicat, me videntem hominem à longè moveri, & nescientem ipsum esse hominem, vel aliud animal, eadem claritate, & evidèntia, qua cognosco in eo animalitatem, quia cum video se movere, eadem evidèntia, & claritate cognoscere eum esse rationale? Etenim, ea evidèntia, & claritate cognosco animalitatē, quòd illam evidèntèr infero ex motu, & illam non ignoro, nec de illa dubito, nec illa in obiecto me latet; & tamèn ex motu non infero evidèntèr rationalitatem, sed potius illam ignoro, de illa dubito, & in obiecto me latet: quomodo igitur eadem claritate, & evidèntia cognosco animalitatem, & rationalitatem? Confirmatur: in prædicto casu possum negare de obiecto rationalitatem: pone ergò me illam negare; numquid etiam negavi animalitatem, quam evidèntèr cognosco, & affirmo? Nequaquam; ergò iam cognosco in obiecto negative rationalitatem, & non cognosco eodem modo animalitatem, scilicet negative, sed di-

versissimo, nempe affirmative. 40. Deinde impugno solutionem: Nàm ex illa sequitur, eum, qui cognoscit evidèntèr omne ens reale esse ens reale, qualitèr nemo non cognoscit, evidèntèr cognoscere omnem veritatem realem, & possibilem, ac per consequens habere omnes scientias reales, quo nihil absurdius excogitari potest. Sequela probatur: Quia omnis veritas realis continetur sub hac: *Omne ens reale est ens reale*, cum eaque realitèr identificatur; sed iuxta solutionem eo ipsissimo modo, quo aliquis cognoscit veritatem realitèr identificatam cum alia, eodem ipsissimo modo cognoscit aliam: ergò qui cognoscit evidèntèr hanc veritatem: *Omne ens reale est ens reale*, evidèntèr cognoscit omnem veritatem realem, & possibilem.

41. Denique confirmatur instantia argumenti principalis: Præscindi formalitèr à rationali; & non præscindi formalitèr à rationali sunt prædicata contradictoria; & tamèn iuxta adversarios admitteutes præcisiones formales, animal præscinditur formalitèr à rationali, & rationale non præscinditur formalitèr à se ipso: ergò de animali, & rationali verificantur prædicata contradictoria.

42. Respondet P. Peinado, quod eodem ipsissimo modo, quo animal præscin-

dicur formaliter à rationali, & in eodem sensu præscinditur etiam rationale à se ipso. Sed contra est; quia in aliquo vero sensu animal præscinditur formaliter à rationali, cum hoc sæpe sæpius affirmant contrarij; sed in nullo vero sensu rationale præscinditur formaliter à se ipso: ergo in aliquo vero sensu præscinditur formaliter animal à rationali, in quo ipsum rationale non præscinditur formaliter à se ipso. Minor, præterquamquod ex se patet, probatur: præscindi formaliter à rationali est distingui formaliter per rationem ab illo; sed rationale in nullo vero sensu distinguitur formaliter per rationem à se ipso: ergo in nullo vero sensu præscinditur formaliter à se ipso. Minor probatur: distingui formaliter per rationem à rationali, est non esse formaliter per rationem rationale; sed in nullo vero sensu potest dici, quod rationale non est formaliter per rationem rationale: ergo in nullo vero sensu rationale distinguitur per rationem à se ipso. Minor probatur: rationale in omni vero sensu est formaliter per rationem rationale: ergo in nullo vero sensu potest dici, quod non est formaliter per rationem rationale. Patet consequentia; quia iam in aliquo sensu vero rationale esset, & non esset formaliter per rationem rationale.

43 Sed dices, quod ex

vi huius cognitionis animal, rationale est per rationem formaliter animal; quin ex vi illius sit formaliter rationale, quia rationale tantum est formaliter ex vi illius cognitionis, quod per illam non apparet, per illam autem rationale tantum apparet animal, non vero rationale; ex quo etiam inferitur quod sicut per illam cognitionem animal præscinditur formaliter à rationali, & ab illo formaliter distinguitur, quia non apparet rationale, ita similiter rationale per dictam cognitionem præscinditur, & distinguitur formaliter à rationali, quia per illam non apparet rationale, sed tantum animal.

44 Sed contra hanc satis subtilem solutionem, sic insurgo primo: quia ex vi huius cognitionis animal, animal præscinditur formaliter à rationali, ac per consequens non est formaliter rationale, sed quoties animal præscinditur formaliter à rationali, seu non est formaliter rationale, rationale etiam præscinditur formaliter ab animali, seu non est formaliter animal: ergo ex vi prædictæ cognitionis rationale præscinditur formaliter ab animali, & consequenter ex vi illius non est formaliter animal, cuius contrarium asserit solutio. Minor, quæ sola difficilis est, probatur: nam implicat quod A præscindatur formaliter à B, seu non sit formaliter B, quin etiam

etiam B, præscindatur formaliter ab A, seu non sit formaliter A: ergò.

45 Secundo: Animal ex vi prædictæ cognitionis ab animali non præscinditur, sed potius ex vi illius est formaliter animal; & tamen, ut probatum manet, ex vi prædictæ cognitionis rationale non est formaliter animal: ergò iam ex vi eiusdem cognitionis animal est formaliter animal, & rationale non est formaliter animal: ergò de animali, & rationali verificantur prædicata contradictoria.

46 Tertio: quia iuxta solutionem animal præscinditur formaliter à rationali, & non ab animali: ergò iam rationale est extremum, à quo præscinditur formaliter animal, & animal non est extremum, à quo præscinditur formaliter animal: ergò verificantur de animali, & rationali contradictoria, nimirum, esse, & non esse extremum, à quo præscinditur formaliter animal.

47 Quarto: Ex vi illius cognitionis animal, animal est formaliter animal, & non est formaliter rationale: ergò animal est formaliter affirmabile de animali in vi illius cognitionis, & in vi eiusdem cognitionis, rationale non est formaliter affirmabile de animali: ergò idem quod prius. Quinto: nam in vi prædictæ cognitionis, rationale non est formaliter rationale, ut asse-

rit solutio, est tamen formaliter animal: ergò in vi prædictæ cognitionis rationale est formaliter negabile de rationali, & animal non est formaliter negabile de rationali: ergò idem, quod ante.

48 Sexto: quia falsum est quod per hanc cognitionem animal præscindatur formaliter rationale à rationali: ergò ruit solutio. Assumptum probatur: nam ideò per illam cognitionem animal præscinderetur formaliter rationale à rationali, quia rationale per illam non apparet rationale; sed hoc non sufficit ut rationale præscindatur formaliter à rationali: ergò. Probo minorem: quia si illud sufficeret, quoties per aliquam cognitionem unum extremum non apparet aliud, per hoc præcise præscinderetur formaliter ab alio; ex quo fieret, quod per hanc cognitionem lapis præscinderetur animal à rationali, & pietas divina à divina iustitia, & sic sexcenta alia, quia per cognitionem lapis nullum ex his extremis apparet alterum. Vel adminus sequeretur, quod per hanc cognitionem Omnipotens, præscinderetur divina iustitia à misericordia, quia per illam nec iustitia apparet misericordia, nec e contra, quæ omnia falsissima sunt: ergò non sufficit quod per aliquam cognitionem unum extremum non appareat aliud, ut per illam præscindatur formaliter ab alio.

49 **C**onfirmatur: Ut detur formalis præcisio, siue ut aliqua cognitio præscindat formalitèr inter duo extrema, est necessarium, quod vnum formalitèr appareat tale per eam cognitionem, & alterum non appareat formalitèr tale; nam si vtrumque apparet formalitèr tale, vel si neutrum apparet formalitèr tale, ab idubio nulla dabitur præcisio vnius ab alio. Sicut si à parte rei vtrumque extremum existat, vel vtrumque simul deficiat, minimè separantur, sed ut separentur requiritur quod vnum existat, & alterum non existat: ergò ut hæc cognitio *animal* præscindat formalitèr inter rationale, & rationale, requiritur, quod vnum extremum, scilicet rationale, appareat per illà formalitèr rationale, & aliud extremum, scilicet ipsum rationale, non appareat per illam formalitèr rationale, quo evidenter est impossibile.

Aliquorum explicatio reiicitur.

50 **I**GITUR In omnium sententia admittendum est posse verificari prædicata contradictoria de extremis realitèr identificatis, hoc enim nec à negantibus præcisiones obiectivas negari posse, satis superque demonstratum manet. Difficultas ergò restat in explicando qualitèr verificari possint sinè contradictione. Et imprimis ali-

qui recurrunt ad distinctionem virtualem intrinsecam, ut ratione illius præcisè verificentur sinè contradictione prædicata contradictoria. Sed huiusmodi solutio satis reiecta manet ex dictis quæstione præcedenti per totam ubi probabimus necessariam esse distinctionem actua-lem, seu formalem ad suscipienda prædicata contradictoria sinè contradictione.

51 Alij verò recurrunt ad distinctionem actualem extrinsecam desumptam per extrinsecam denominationem ab actu intellectus; inquit enim prædicata contradictoria non verificari de animali, & rationali obiectivè sumptis; sed de animali ut cognito extrinsecè cognitione *animal*, & de rationali ut extrinsecè cognito cognitione *rationale*; qua ratione sufficientèr distinguuntur, ut de ipsis sinè contradictione verificentur prædicata contradictoria, cum prædictæ cognitiones, à quibus extrinsecè denominantur, distinguantur realitèr.

52 Sed contra est primo: quia, ut iam probatum manet, animal, & rationale per prædictas cognitiones non distinguuntur formalitèr, sed purè repræsentativè. Secundo: quia, ut etiam probatum manet, implicat quod animal immediatè distinguatur à rationali extrinsecè, siue per aliquid extrinsecum; cum distinctio es-

sentialis

sententialitèr sit intrinseca extremis distinctis, non minus quam identitas extremis identificatis. Tertio; quia prædicata contradictoria, de quibus sermo est in præsentibus, sunt cognosci, & non cognosci cognitione directâ, non verò cognitione reflexâ, nam præcisio obiectiva tunc solum fit cum directè cognoscitur animal, non cognito directè rationali; sed ad verificanda huiusmodi prædicata sine contradictione nihil prodest distinctio, quæ versatur inter animal reduplicativè ut extrinsecè cognitum, & rationale ut similiter cognitum; quia cognosci, & non cognosci directè non verificatur de animali, & rationali reduplicativè ut cognitis, sic enim solum cognoscuntur reflexè; sed solum verificatur de animali, & rationali secundum se, & obiectivè sumptis: ergò distinctio inter animal, & rationale reduplicativè ut extrinsecè cognitum non prodest ad verificanda prædicata contradictoria.

53. Quarto: Nam prædicta distinctio extrinseca formalissimè consistit in eo quod animal sit extrinsecè cognitum, non verò rationale; sed ratio, cur possunt verificari cognosci animal, & non cognosci rationale, non potest esse, quia animal est extrinsecè cognitum; non verò rationale; cum de hoc ipso sit quæstio, qualiter hoc verificari possit sine contradic-

tione: ergò nec prædicta distinctio extrinseca est ratio sufficiens ad verificanda prædicata contradictoria sine contradictione.

54. Propter hæc P. Izaquierdo, in sua Pharo scientiarum, aliter prædictam difficultatem solvere nititur. Supponit enim primo, nostrum intellectum pro hoc statu nihil cognoscere immediatè in se ipso, sed quæcumque cognoscit, cognoscere in phantasmatibus substitutis pro rebus cognitis in ordine ad terminandam cognitionem: quod probat ex eo quod intellectus iuxta communem doctrinam Philosophorum pro hoc statu intelligit per conversionem ad phantasmata. Supponit secundo, quod quando intellectus cognoscit animal præcisivè, phantasma substitutum pro animali est distinctum realitèr à phantasmate substituto pro rationali, quando rationale cognoscitur. His suppositis, inquit nullam esse contradictionem in eo quod cognoscatur animal, & non rationale, licet sint eadem entitas à parte rei, quia cognosci animal nihil est aliud, quam cognosci totam illam entitatem in phantasmate substituto pro animali, non cognosci verò rationale est non cognosci totam illam entitatem in phantasmate substituto pro rationali; nulla autem est contradictio in eo, quod tota illa entitas cognoscatur in uno substituto,

tituto, & ipsamet non cognoscatur in alio substituto distincto.

55 Sed hæc evasio, speciosa quidem aliquibus visa, sed vera paucis, imprimis non salvat veram præcisionem obiectivam, quam viginti fundamentis accertimè statuere nititur prædictus A. Nam vera præcisio obiectiva non potest consistere in phantasmatis realiter distinctis, in quibus realiter extrinsecè distinguantur animal, & rationale, sed debet esse intrinseca obiectivè ipsis extremis distinctis, & præcisus, ut probatum manet, alioquin non erit præcisio obiectiva, sed formalis, sive sit ex parte actus sive ex parte phantasmatis, hoc enim de materiali se habet dummodo non se teneat ex parte obiecti.

56 Deindeque impugnatur: Quia, ut forsan dicemus in libris de anima, falsum est, quod intellectus nihil immediate, & in se ipso intelligat, sed solum in phantasmatis substitutis; aliud enim est, quod intellectus omnia intelligat per conversionem ad phantasmata; aliud quod omnia intelligat in ipsis phantasmatis substitutis; primum enim verum est iuxta omnes Philosophos, secundum verò falsissimum, nam aliàs intellectus nihil immediate intelligeret, nisi phantasmata, nec medijs ipsis aliud perciperet, quam accidentia exteriora re-

rum, siquidem aliud in phantasmatis non representatur: ergò prædicta evasio supponit falsum.

57 Ac denique; quia adhuc tali doctrina admittitur quod verificentur prædicata contradictoria de animali, & rationali; nam dum cognoscitur animal in phantasmate substituto pro ipso, verum est dicere, animal cognoscitur in substituto A, rationale non cognoscitur in substituto A; sed cognosci in substituto A, & non cognosci in substituto A, sunt prædicata esse contradictoria: ergò iam verificantur prædicata contradictoria de animali, & rationali, quæ sunt à parte rei eadem entitas. Nec valet si dicas, verificari de animali, & rationali in diversis substitutis; Quia potius verificantur de ipsis in eodem substituto, quandoquidem animal cognoscitur in substituto A, & rationale in eodem substituto non cognoscitur.

58 Si verò dicas, tantum animal quam rationale, totamque utriusque entitatem cognosci in substituto animalis, & ideo verum esse quod cognoscitur animal, non autem cognosci in substituto rationalis, & ideo verum esse, quod non cognoscitur rationale. Contra est: Quia imprimis si tota illa entitas cognoscitur in vno substituto: ergò in illo non prædicatur obiectivè vna formalitas

litas ab alia. Contra secundo: Quia saltem sequitur quod illud substitutum substituat pro animali, & non pro rationali; nam si pro utroque substituit, non erit, cur illud dicatur substitutum animalis, & non rationalis, nec cur in illo dicatur cognosci animal, & non rationale: ergo iam animal est pro quo substituit, & rationale non est, pro quo substituit idem substitutum: sed hoc non verificatur de animali, & rationali in suis substitutis, sed de ipsis in se ipsis, siquidem phantasma illud non substituit pro animali in substituto, sed pro animali in se ipso, nisi velis substitutum substituere pro substituto: ergo tandem sequitur, quod de animali, & rationali in se ipsis verificentur prædicata contradictoria, quod pro-
sus impossibile est, etiam in nostra sententia.

Vera solutio traditur.

59 **I**GITUR Ad principale argumentum respondendum est ex clara, & sæpe repetita doctrina D. Th. distinguendo maiorem: de eadem realiter entitate prout existit à parte rei non possunt verificari prædicata, contradictoria concedo maiorem: de eadem entitate prout divisa per rationem in plures formalitates, nego maiorem: & concessa minori, distingue con-

sequens eodem modo; nam, ut questione præcedenti late probavimus, de eadem entitate prout est à parte rei nunquam possunt verificari prædicata contradictoria. Cæterum, si talis entitas dividatur per rationem in duas formalitates, quam optimè potest de vna verificari, quod negatur de alia; ad hoc enim sufficit distinctio rationis. Tum, quia ut inquit D. Th. quest. 7. de Potent. art. 1. ad 5. *De illo quod est idem secundum rem, sed ratione differens, nihil prohibet prædicari contradictoria, ut dicit Arist. 3. Phisic.* Tum quia omnis distinctio actualis essentialiter facit quod vnum extremum sit aliquid, quod non est aliud, ac per consequens, quod aliquid verè affirmetur de vno extremo distinctionis, quod verè negetur de alio: ergo cum distinctio rationis sit distinctio actualis inter animal, & rationale, sufficiens erit, ut aliquid affirmetur de animali, quod negetur de rationali, & consequenter ut de ipsis verificentur prædicata contradictoria.

60 Sed replicabis primo: Prædicata contradictoria nequeunt verificari de extremis, quæ non supponuntur distincta; sed animal, & rationale non supponuntur distincta ante hæc prædicata contradictoria cognosci, & non cognosci: ergo hæc prædicata contradictoria nequeunt de illis verificari. Maior probatur; nam ante-

quam animal cognoscatur non cognito rationali, non supponuntur distincta distinctione rationis, ut per se patet; aliàs nec distinctione reali: ergò.

61. Respondeo distinguendo maiorem: Prædicata contradictoria nequeunt verificari de extremis, quæ non supponuntur distincta, nec formalitèr, nec fundamentalitèr, concedo maiorem; quæ non supponuntur distincta formalitèr, nego maiorem; & distinguo minorem eodem modo, quia ut verificentur hæc prædicata *cognosci*, & *non cognosci* vnum de animali, & aliud de rationali, sufficit quod antecedentèr ad ipsa, hoc est, antequam vnum cognoscatur, altero non cognito, supponantur fundamentalitèr distincta, & quod in actu exercito per cognosci vnum, non cognito alio, fiant actualitèr distincta.

62. Si dicas: Per nos ad suscipienda prædicata contradictoria non sufficit distinctio fundamentalis, sed requiritur formalis: ergò extrema de quibus verificantur debent supponi distincta, non solum fundamentalitèr, sed etiam formalitèr. Distinguo antecedens: requiritur formalis semper præsupposita, ante ipsa prædicata contradictoria, nego antecedens: vel præsupposita, vel facta per ipsa prædicata contradictoria, concedo antecedens, nego consequentiam: nam

cum prædicata contradictoria sint cognosci animal non cognito rationali, & per hoc fiat distinctio ipsa formalis inter animal, & rationale, huiusmodi contradictoria non cadunt supra ipsum animal, & rationale ut antecedentèr distincta formalitèr, sed supra animal, & rationale ut consequentèr, & ex vi ipsorum formalitèr distincta, ac proinde non requiritur distinctio formalis præsupposita, sed sufficit consequuta.

63. Sed dices: Per nos sola distinctio formalis est proxima, & formalis capacitas suscipiendi prædicata contradictoria; sed proxima, & formalis capacitas debet præsupponi ante ipsa prædicata contradictoria: ergò etiam distinctio formalis. Concessa maiori, distinguo minorem: quando non fit per ipsa prædicata contradictoria, concedo minorem: quando fit per ipsa nego, minorem. Nec est inconveniens quod per hæc prædicata contradictoria, *cognosci animal, non cognito rationali*, fiat formalis capacitas ex parte obiecti ad ea suscipienda, quia talis cognitio prius in executione est practica, & præcisiva, quam cognoscitiva, & ut practica, & præcisiva prius distinguit extrema, & sic reddit illa capacia ut cognoscatur vnum altero non cognito: unde distinctio rationis subsequitur quidem ad cognitionem ut practica, & præcisivam; præcedit

redit verò ex parte obiecti ad cognitionem, ut speculativam, seu cognoscitivam, & sic reddit obiectum capax ut cognoscatur vna formalitas sine alia.

64 Replicabis secundo: Si animal cognosceretur, rationali non cognito, animal esset realiter cognitum, & rationale non esset realiter cognitum, cum non sit alius modus cognoscendi, nisi realiter; sed hoc est verificari prædicata contradictoria realiter, sive à parte rei: ergò verificarentur prædicata contradictoria realiter sive à parte rei: sed ad hoc non sufficit distinctio rationis: ergò Respondeo, distinguendo maiorem: animal esset realiter cognitum, & rationale non esset realiter cognitum, ly *realiter* determinante prædicatum, sive cognitionem, ut accipiatur pro cognitione reali, concedo minorem: ly *realiter* determinante subiectum, ut accipiatur prout est à parte rei; nego maiorem, & distinguo minorem: hoc est verificari realiter prædicata contradictoria, realiter inquam ex parte subiecti, nego minorem; realiter ex parte prædicati, concedo minorem, & nego consequentiam. Fate-mur enim quod ad verificanda prædicata contradictoria realiter ex parte subiecti, hoc est, de subiecto prout est à parte rei, non sufficit nec prodest distinctio rationis, quia hæc non datur ex parte subiecti prout est à par-

te rei; cæterum ut verificentur realiter ex parte prædicati, hoc est, ut idem prædicatum reale affirmetur, & negetur, sufficit, & prodest distinctio rationis ex parte subiecti, quia de subiectis sola ratione distinctis verè potest affirmari, & negari prædicatum reale, ut patet in his propositionibus: *Iustitia divina ut talis punit realiter: misericordia divina ut talis non punit realiter: animal ut tale non discurrit realiter: rationale ut tale discurrit realiter*, in quibus idem prædicatum realiter puniendi, & realiter discurrendi affirmatur, & negatur de subiectis solum ratione distinctis, ratione ipsius distinctionis. Sic ergò cognosci realiter, & realiter non cognosci verificantur de animali, & rationali, ratione solum distinctionis rationis.

65 Replicabis tertio: Si nostra sententia vera est, animal prout est à parte rei est cognoscibile per hanc cognitionem *animal*, & rationale prout est à parte rei non est cognoscibile per hanc cognitionem *animal*: ergò de animali & rationali prout sunt à parte rei verificantur prædicata contradictoria, & non solum de ipsis ut distinctis per rationem. Antecedens probatur: Quia quod cognoscitur per hanc cognitionem *animal*, antequam cognosceretur, erat cognoscibile per illam, & quod non cognoscitur per illam antecedentem, etiam non

non erat cognoscibile per illam; sed iuxta nostram sententiam per eam cognitionem cognoscitur animal, & non rationale: ergo iuxta eam animal antequam cognoscatur, & consequenter prout est à parte rei, est cognoscibile per hanc cognitionem *animal*, & rationale similiter ante cognitionem, si vè prout est à parte rei, non erit cognoscibile per illam. Confirmatur: animal, & rationale ante cognitionem sunt animal & rationale prout sunt à parte rei: sed ante cognitionem animal est cognoscibile sine rationali, & rationale non est cognoscibile sine rationali: ergo de animali, & rationali prout sunt à parte rei, & consequenter in sensu reali verificantur predicata contradictoria.

66 Hæc replica est vnum ex præcipuis contrariorum fundamentis: cæterum adhuc in eorum principijs patitur instantiam: nam animal, & rationale ante omnem cognitionem sunt animal, & rationale prout sunt à parte rei: sed animal ante omnem cognitionem est præcindibile formaliter à rationali: & rationale non est præcindibile formaliter à rationali: animal est cognoscibile clarè per cognitionem *animal*, rationale non est cognoscibile clarè per illam: ergo de animali, & rationali prout sunt à parte rei, & consequenter in sensu reali verificantur in eorum prin-

cipijs predicata contradictoria: Quod ergo ipsi dixerint, nos respondebimus. Pro omnibus ergo.

67 Respondeo, distinguendo maiorem: animal prout est à parte rei est cognoscibile per hanc cognitionem animal, & rationale similiter prout est à parte rei non est cognoscibile per illam, loquendo de eadem cognoscibilitate reali, qualis solum datur à parte rei, nego antecedens; loquendo de diversa cognoscibilitate reali, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad cuius probationem distinguo maiorem, eodem modo, & concessa minori, applica consequenti distinctionem datam Igitur pro solutionis intelligentia nota quod hæc propositio: animal prout existit à parte rei est cognoscibile per hanc cognitionem *animal*, potest intelligi in pluribus sensibus. Primo vt ly *à parte rei* determinet obiectum immediatum cognitionis, ita vt sensus sit animal potest cognosci prout est à parte rei, hoc est, intuitivè, & adæquatè, per hanc cognitionem *animal*, & in hoc sensu propositio est falsa, tam de animali, quam de rationali, quia neutrum illorum potest cognosci adæquatè, & prout est à parte rei per cognitionem *animal*, cum sit præcisiva, & inadæquata. Secundo potest facere hunc sensum: animal prout existit à parte rei est capax vt divi-

divisus per rationem in duas formalitates, cognoscatur quoad unam per hanc cognitionem *animal*, & in hoc sensu vera est propositio; ceterum in eo etiam verificatur de rationali, quia etiam rationale prout existit à parte rei est capax ut divisus per rationem in duas formalitates cognoscatur quoad unam per cognitionem *animal*; unde eadem cognoscibilitas, quæ realiter convenit animali, convenit etiam rationali, ac per consequens non verificantur in sensu reali prædicata contradictoria.

68 Ex quo patet ad confirmationem, distinguendo minorem: ante cognitionem, animal est cognoscibile sine rationali, & rationale non est cognoscibile sine rationali, loquendo de eadem cognoscibilitate reali, nego minorem: loquendo de diversa cognoscibilitate reali concedo minorem, & eodem modo distinguo consequens. Itaque, eatenus animal ante omnem cognitionem, & prout est à parte rei, est cognoscibile sine rationali, quatenus est capax, ut dividatur per rationem in duas formalitates, scilicet in animalitatem, & rationalitatem, & sic divisus, cognoscatur quoad animalitatem sine rationalitate: in hoc autem sensu etiam rationale est cognoscibile sine rationali, quia etiam prout existit à parte rei est capax ut dividatur in animalitatem, & ratio-

nalitatem, & cognoscatur quoad animalitatem sine rationalitate. Vbi observa, pro pluribus vitandis equivocationibus, quod animal prout est à parte rei, rationale prout est à parte rei, & tota entitas realis hominis idem omnino sunt absque ulla distinctione, unde quod veris verificari de totali entitate hominis, hoc idem, & in eodem sensu verificabis de animali prout est à parte rei, & de rationali prout est similiter à parte rei: v.g. quia tota entitas hominis est cognoscibilis sine rationali, in quantum est divisibilis per rationem in duas formalitates, & tunc cognoscibilis quoad animalitatem sine rationalitate, idem, & in eodem sensu verificabis de animali, & de rationali.

69 Quod si inquiras, in quo sensu verificentur propositiones allatæ in argumento? Dico, quod communiter possunt concedi, ut veræ, si non fiat ex parte subiecti illa reduplicatio, prout est à parte rei, quia quando dicimus, quod animal est cognoscibile sine rationali, non autem rationale, regulariter loquimur de animali, & rationali obiective sumptis, & per rationem distinctis: quapropter, regulariter verificantur prædictæ propositiones, dum proferuntur sine dicta reduplicazione.

Quod si dicas: Animal obiective sumptum, & per ra-

tionem distinctum, non est cognoscibile, sed cognitum, nec antecedit cognitionem, sed potius illam sublequitur: sed dum dicimus, quod animal est cognoscibile sine rationali, loquimur de animali, non ut cognito, sed ut cognoscibili, non ut posteriori, sed ut antecedenti cognitionem: ergo non loquimur de animali obiectivè sumpto, & per rationem distincto. Respondeo, negando maiorem quoad primam partem, nam quod animal sit cognitum non tollit quod sit cognoscibile, præcipue si cognitum sit exercitè per unam cognitionem, & dicatur cognoscibile signate per aliam. Sicut accidit, cum dicis: *Animal est cognoscibile*, quia tunc animal ex parte subiecti supponitur cognitum præcisivè, & tamen verè affirmatur quod sit cognoscibile, non quidem per eandem cognitionem, per quam exercitè cognoscitur, alias enim reflecteret supra semetipsam, sed per aliam similem. Si autem fiat reduplicatio illa, prout est a parte rei, ex parte subiecti, verificari non potest quod animal prout est à parte rei est cognoscibile per cognitionem *animal*, nisi modo explicato, quatenus, scilicet, est divisibile per rationem, & mediante tali divisione, cognoscibile quoad formalitatem præcisam animalis. Sed hoc pacto etiam rationale, prout est à parte rei, ut explica-

tum manet, est cognoscibile per talem cognitionem.

70 Quod si urgeas: idem cognoscitur, quod erat antea cognoscibile; sed per cognitionem *animal* antecederet, sive à parte rei, ut fatemur, erat cognoscibile rationale, non minus quam animal: ergo per cognitionem animal cognoscitur rationale, non minus quam animal. Respondeo, distinguendo maiorem: idem cognoscitur per cognitionem intuitivam quod erat antea cognoscibile, concedo maiorem: per cognitionem præcisivam, sub distinguo; idem adæquate, nego maiorem: idem in adæquate, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam, quia sola cognitio intuitiva cognoscit ex parte obiecti idem adæquate, quod erat à parte rei cognoscibile, quia tota entitas indivisibiliter erat à parte rei cognoscibilis, & sola cognitio intuitiva attingit totam entitatem prout erat à parte rei. Ad vero cognitio præcisiva, qualis est cognitio *animal*, non attingit idem omnino, & adæquate quod erat à parte rei cognoscibile; quia non attingit totam entitatem prout erat à parte rei, sed partitur entitatem in duas formalitates, & attingit unam, altera non attingit, unde cum hæc in adæquate tantum identificetur cum entitate prout erat à parte rei, inde est quod per cognitionem *animal* attingitur idem tantum in adæ-

adæquate quod erat à parte rei cognoscibile per illam.

71 Sed dices: qui indivisibile attingit, vel totum attingit, vel nihil attingit: sed entitas hominis est indivisibilis: ergò per hanc cognitionem *animal*, vel tota, vel nihil eius attingitur. Respondeo, distinguendo maiorem: si sit indivisibile tam realitèr, quam per rationem, concedo maiorem: si sit indivisibile tantum realitèr, subdistinguo: quando attingitur prout existit à parte rei, concedo maiorem: quando attingitur prout obiectivè distinctum per rationem, nego maiorem: & distinguo minorem: entitas hominis est indivisibilis realitèr, concedo: per rationem, nego minorem, & consequentiam; quia illa cognitio *animal*, non attingit entitatem hominis prout existit à parte rei, sed præcisivè, scilicet, quoad unam formalitatem, ut distinctam ab alia.

72 Replicabis ultimo contra principalis argumenti solutionem. Non est maior ratio de unis, quam de alijs contradictorijs: sed hæc prædicata contradictoria *Produci, & non produci: existere, & non existere*, non possunt verificari de eadem entitate, licet sit multiplex per rationem: ergò nec possunt verificari hæc, *cognosci, & non cognosci* de animali, & rationali, licet distinguantur per rationem.

73 Respondeo, negando maiorem, quia prædicata cog-

tradiçtoria tunc solum possunt verificari de extremis realitèr identificatis, quando unum prædicatum convenit uni extremo sub ratione, in qua distinguitur ab altero: non autem quando unum convenit uni extremo sub ratione, in qua convenit cum altero. Ex quo inferitur, quod hæc prædicata cõtradiçtoria, existere, & non existere, nunquam possunt verificari de extremis realitèr identificatis; quia existere non potest convenire uni extremo sub ratione, in qua distinguitur ab altero, quia semper existere cõvenit cuilibet extremo sub ratione entis possibilis, in qua solum à chimera differt, non autem ab extremo secum identificato.

Verumtamen, quotiescumque unum prædicatum contradictorium convenit uni extremo sub ea ratione, in qua distinguitur ab altero, potest alterum contradictoriũ alteri convenire sub ea ratione, in qua distinguitur ab isto. Vnde quia cognosci per hanc cognitionem *animal*, verificatur de animali prout distincto, sive sub ea ratione, in qua distinguitur ab animali, ideo potest verificari de rationali, quod non cognoscatur ea cognitione.

Reliqua solvuntur argumenta.

74 **A**Rguunt contrarij secundo, probando, quod, dum cognoscitur animalitas hominis, cognoscitur etiam rationalitas, in

hunc modum: omnis animalitas hominis est rationalitas: sed animalitas hominis cognoscitur: ergo rationalitas cognoscitur. Qui syllogismus est in *datis*. Quod quidem confirmatur hoc syllogismo expositorio: hæc animalitas est rationalitas: sed cognoscitur hæc animalitas: ergo cognoscitur rationalitas: sed quando cognoscitur animalitas Petri, v. g. præmissæ sunt veræ: ergo & consequens erit verum, & consequenter cognoscitur rationalitas.

75 Respondeo primo, instando primum, & secundum syllogismum; primum quidem, nam hic est eiusdem formæ; *Omnia animalitas reperta in homine est rationalitas, sed cognoscitur clare, & evidenter animalitas reperta in homine: ergo cognoscitur clare, & evidenter rationalitas.* Qui quidem syllogismus, casu quo in obiecto cognoscatur evidenter animalitas, ignorata rationalitate, ex præmissis veris falsum concludit. Insto etiam secundum expositivum, nam hic syllogismus est similis formæ: *Unitas Dei est Trinitas Personarum; sed Aristoteles evidenter cognovit unitatem Dei: ergo evidenter cognovit Trinitatem Personarum:* & tamen præmissæ verissimæ sunt, & consequens falsissimum: Item igitur accidit in syllogismis positus in argumento. Et ratio omnium est, quia in omnibus illis va-

riatur appellatio; nam *cognosci* in minori appellat supra animalitatem, ut distinctam à rationalitate, & in consequenti supra rationalitatem, ut distinctam ab animalitate.

76 Ex quibus inferes falso sibi blandiri, & nobis imponere adversarios, quod evertimus artem syllogisticam, nam si prædicti syllogismi non tenent, nec concludunt, idem est, quia non sunt syllogismi, sed paralogismi. Unde ad eos facile respondeo, distinguendo maiorem: omnis animalitas hominis est realiter rationalitas, concedo maiorem: est formaliter rationalitas, nego maiorem: & distinguo minorem: cognoscitur animalitas hominis prout est à parte rei, nego minorem: præcisive, & in adæquate, concedo minorem, & nego consequentiam, eodemque modo respondere poteris ad confirmationem.

77 Ex his patet solutio ad alia, quæ solent obijcere in hunc modum, primo: dum cognoscitur animalitas, rationalitas est res cognita: sed res cognita est cognita: ergo rationalitas est cognita: ergo cognoscitur. Secundo: dum cognoscitur animalitas, cognoscitur id quod est animalitas: sed animalitas est rationalitas: ergo cognoscitur rationalitas. Tercio: quando aliquis præ-

prædicatur de subiecto, quid-
quid prædicatur de prædicato,
prædicatur etiam de subiecto;
sed de rationalitate prædicatur
animalitas, & de animalitate
prædicatur *cognosci*: ergò etiam
de rationalitate prædicatur *cog-
nosci*, & consequentè rationali-
tas cognoscitur.

78 Respondeo enim ad pri-
mum, negando consequentiam,
quìa variatur appellatio, nam
in maiori ly *cognita*, applicat
suum significatum formale, scili-
cet cognitionem, rei identifi-
catæ cum rationalitate, in con-
sequenti autem applicatur cog-
nitio rationalitati immediate.
Ad secundum similiter nego
consequentiam; nam arguitur
ab identica ad formalem; utra-
que enim præmissa est identica,
& consequens facit sensum for-
malem, quìa cognitio applicatur
immediate rationalitati. Vel di-
stinguo mai. cognoscitur omne
id quod est animalitas, nego
maiolem: Aliquid quod est ani-
malitas, concedo maiolem: &
distinguo minorem: animalitas
est rationalitas præcisè, nego mi-
nolem: est rationalitas & anima-
litas concedo maiolem, & nego
consequentiam, quìa arguitur
à non distributo ad distributum.
Et insto utrumque syllogismum.
*Res generans est generans: essentia:
divina est res generans: ergò essen-
tia divina est generans*; hic syllo-
gismus est eiusdem formæ ac primū
argumenti: & tamèn præmissæ
veræ sunt, & consequens hæret-

ticum. Deindè: *Id, quod est Pa-
ternitas, generat filium. sed essen-
tia divina est Paternitas: ergò
generat filium*. Quiquidem syllo-
gismus est eiusdem formæ ac se-
cundum argumentum, & tamèn
ex præmissis veris inferitur con-
sequens contra fide.

79 Ad tertium respon-
deo, distinguendo: maiolem quid-
quid prædicatur de prædicato,
prædicatur etiam de subiecto,
quando prædicatur de prædica-
to in sensu reali, sive prout exi-
stic à parte rei, concedo maio-
lem: quando prædicatur de præ-
dicato prout distincto per ratio-
nem à subiecto, nego maiolem:
& distingo minorem de ani-
malitate prædicatur *cognosci*, ut
distincta à rationalitate, conce-
do minorem: *cognosci* prout est
à parte rei, nego minorem, &
consequentiam: nam sicut de
animali prædicatur quod sit ge-
nus, & de homine prædicatur
quod sit animal, & tamèn de
homine non prædicatur quod
sit genus; quìa videlicet esse ge-
nus non prædicatur de animali
pro ut existit in re, sed de ani-
mali prout obiectivè distincto
ab homine; ità similiter in præ-
dicatis, licet *cognosci* prædicetur
de animalitate, & animalitas
prædicetur de rationalitate, non
sequitur quod *cognosci* verifi-
cetur de rationalitate quìa quā-
do prædicatur de animalitate,
prædicatur de illa præcisive
sumpta, & ut distincta per ratio-
nem à rationalitate.

80 Obijcies quarto: dum cognoscitur animal, rationale est realiter cognitum. Sed omne, quod est realiter cognitum, realiter cognoscitur: ergo, dum cognoscitur animal, rationale realiter cognoscitur. Maior probatur: dum cognoscitur animal, rationale realiter identificatur cum cognito; sed vnum realiter identificari cum aliquo est esse realiter illud: ergo, dum cognoscitur animal, rationale est realiter cognitum.

81 Respondeo, distinguendo maiorem, rationale est realiter cognitum: *ly. cognitum* sumpto per modum nominis adiectivi, nego maiorem: est realiter cognitum, *ly. cognitum* sumpto substantive, concedo maiorem. Et distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Ad probationem maioris distinguo minorem: vnum identificari cum aliquo est esse realiter illud, adiectivè, nego minorem: est esse realiter illud substantive, concedo minorem, & distinguo consequens, vt supra.

Pro cuius intelligentia nota ex dicendis tractatu sequenti, quod propositio de prædicato adiectivo non significat subiectum identificari cum prædicato: sed prædicatum aliquo modo afficere, vel adiacere, seu applicari subiecto. Vnde ipsa propositio non identificat extrema, sed ipsum præ-

dicatum quoad eius significatum formale applicat immediate subiecto. Ex quo inferitur quod si *ly. cognitum* sumatur adiectivè, non est idem quod rationale identificetur realiter cum cognito, & quod sit realiter cognitum, quia: vnum significat identitatem extremorum, locus autem alius: quod fieri tenentur omnes; nam Patrem æternum identificari realiter cum communi, sive cum communicato, sive cum identificato tribus divinis personis, non est Patrem æternum esse realiter communem, realiter communicatum, aut realiter identificatum tribus divinis personis. Si vero *ly. cognitum* sumatur substantive, propositio hæc: *rationale est realiter cognitum*, est vera, quia idem significat, ac rationale identificari realiter cum extremo cognito, quod verum est.

82 Ex dictis inferes non esse bonam consequentiam: vnum non esse realiter aliud est distinguere realiter ab illo; sed rationale non est realiter cognitum: ergo realiter distinguitur à cognito. Instatur enim: nam essentia divina non est realiter generans filium, quin ex hoc inferatur distinguere realiter à generante filium: & ratio utriusque est, quia: in his propositionibus: rationale non est realiter cognitum; essentia divina

na non est realiter generans, ly cognitum, & ly generans sumuntur adiective, ac per consequens in illis non negatur identitas, nec representatur distinctio extremorum; sed tantum negantur significationa formalia ex parte praedicatorum, scilicet, generationem, & cognitionem, immediate adiacere subiectis, seu afficere illa immediate.

83 Obijcies quinto: de eadem entitate, adhuc distincta per rationem in diversas formalitates, non possunt verificari praedicata contraria, ut quod sit assensus, & dissensus, amor, & odium respectu eiusdem obiecti; nec praedicata privative opposita, ut esse caecum, & videntem, clarum, & obscurum: sed oppositio contradictoria est maior quam contraria, aut privativa: ergo nec praedicata contradictoria poterunt verificari de eadem entitate, licet divisa per rationem, & consequenter, nec cognosci, & non cognosci. Respondeo ex D. Thom. in 1. distinct. 5. quaest. 1. art. 1. ad 1. quod Plura requiruntur ad alias oppositiones, quam ad oppositionem contradictoriam, quia se habent ex additione ad ipsam. Vnde non oportet quod si contrarietas non inveniatur nisi in diversis realiter, quod affirmatio, & negatio inveniatur in diversis realiter: igitur ad oppositionem con-

tradictoriam sufficit, quod res secundum unam formalitatem sit aliquid, & non sit illud secundum alteram: ac verò ad oppositionem contrariam plura requiruntur, quod, scilicet, res sit aliquid, & etiam sit aliud oppositum, & exclusivum primi, quod non potest inveniri in formalitatibus, quae simul compatiuntur in eadem entitate.

84 Obijcies sexto: distinctio rationis inter animal, & rationale consistit formaliter in actu intellectus: ergo non est obiectiva, nec se tenet ex parte obiecti. Antecedens probatur: in illo formaliter consistit distinctio rationis inter animal, & rationale, per quod animal constituitur formaliter distinctum à rationali; sed animal constituitur formaliter distinctum à rationali per actum intellectus: ergo distinctio rationis inter animal, & rationale consistit formaliter in actu intellectus. Minor probatur: per id constituitur formaliter distinctum animal à rationali, per quod intellectus constituitur formaliter distinguens, animal à rationali: sed intellectus constituitur formaliter distinguens animal à rationali per suum actum: ergo animal constituitur formaliter distinctum à rationali per actum intellectus. Maior patet, quia idem est intellectum distinguere animal à rationali, &

animal à rationali distingui, sicut oculus videre colorem, & colorem esse visum.

85 Respondeo, negando antecedens. Ad eius probationem, nego minorem. Ad cuius probationem, nego maiorem. Ad cuius probationem dico quod idem est formaliter intellectum distinguere animal, & animal distingui infieri, sive effectivè, non tamen est idem intellectum distinguere animal, & animal distingui formaliter, & infacto esse; quod quidem accidit in omnibus actionibus practicis (qualis est actio intellectus distinguentis) nam licet sit idem ignem calefacere passum, & passum esse calefactum infieri, sive effectivè, non tamen est idem ignem calefacere passum, & passum esse calefactum formaliter, & infacto esse, quia licet ignis constituatur formaliter calefaciens per suam actionem, passum tamen constituitur formaliter calefactum, non per illam; sed per calorem ex illa resultantem. Hoc idem accidit in actione intellectus distinguentis; licet enim intellectus constituatur formaliter per illam distinguens, tamen obiectum non constituitur formaliter per illam distinctum, sed per distinctionem obiectivam ex illa resultantem in obiecto, secus vero accidit in visione oculorum; hæc enim, nedum denominat oculum formaliter videntem, sed etiam constituit obiectum

formaliter visum, quia cum sit pure speculativa, nihil efficit in obiecto ratione cuius denominetur formaliter visum, sed per se ipsam illum formaliter denominat. Vide supra t. I. q. 5. n. 25.

86 Sed replicabis: actus intellectus nullam efficit formam in obiecto ratione cuius distinguatur: ergo non est practicus, sed pure speculativus, ac per consequens per se, & formaliter constituit obiectum distinctum. Antecedens probatur, quia non efficit formam: quæ sit ens reale, alias neque quæ sit ens rationis, videtur enim in explicabile, in quo hæc forma consistat: ergo. Respondeo negando antecedens. Ad cuius probationem dico, quod supposita pro nunc sententia communi asserente distinctionem consistere formaliter in carentia identitatis, sive in illius negatione, forma distinguens animal, v.g. à rationali, non est forma aliqua positiva, sed negativa, sive negatio identitatis cum rationali, quæ quidem resultat ex actu intellectus præscindente vel distinguente; nam ille facit quod animal obiectivè in intellectu sit animal, & non rationale, ac per consequens facit quod animal obiectivè in intellectu non habeat identitatem, sed potius negationem identitatis cum rationali, per quam quidem negationem animal obiectivè distinguitur à rationali.

87 Explicatur hoc: nam si aliquis redderet animal existens à parte rei sine rationali, ille faceret animal realiter distinctum à rationali, quia eo ipso poneret in eo negationem realem identitatis cum rationali; sic igitur, dum intellectus per suam actum facit animal obiective existere in mente sine rationali, illum obiective distinguit à rationali; quia facit in eo negationem obiectivam identitatis cum rationali, per quam negationem formaliter distinguitur ab illo, sive, quod idem est, formaliter non est illud. Quo supposito, primo dicendum est, illam formam non esse positivam, sed negativam. Secundo non esse formaliter ens rationis, sed solum remotionem, sive negationem rationis; sicut enim à parte rei, & dantur entia realia, & negationes reales; sive remotiones, ita censeo obiective tantum in intellectu dari entia rationis, & negationes rationis; quia sicut sic ens rationis, cum in obiecto representatur aliquid, quod illi repugnat à parte rei habere, ita fit negatio rationis, cum obiectum representatur sine aliquo, quo illi repugnat carere à parte rei.

88 Nota tamen, quod talis negatio rationis, quae resultat ex actu concipiente animal sine rationali, licet ex vi illius tantum sit negatio, sive remotio, tamen fundamentaliter est ens rationis, quia si concipiatur reflexe per

alium actum, concipietur admodum entis, sive admodum formae positivae inherens animali, ab illoque removens positive rationalitatem.

89 Sed dices primo: negatio, utpote nihil, nullatenus potest effici: ergo intellectus, dum distinguit animal à rationali, non efficit negationem in ipso. Respondeo; distinguendo antecedens; nullatenus potest effici proprie & positive, concedo: in proprie & negative, nego antecedens, & consequentiam in eodem sensu; nam sicut, qui produceret hominem sine vitu, diceretur efficere in eo caecitatem, praecise quia in eo non causavit vitum, ita similiter, qui reddit animal obiective existens sine rationali, efficit in eo remotive & improprie negationem identitatis obiectivae cum rationali, sive distinctionem ab ipso; quia facit animal obiective existere sine rationali.

90 Dices secundo: intellectus tantum efficit suo modo in obiecto quod representat in illo; sed; dum cognoscit animal, non representat in eo negationem identitatis cum rationali: ergo non efficit illam, adhuc suo modo. Minor patet, quia praecise representat animal. Respondeo distinguendo minorem, non representat negationem identitatis, signate, speculative, & in abstracto, concedo min. exercite, practice, & in concreto nego minorem & consequentiam.

Ad probationem minoris dico, quod per illam cognitionem signatè solum repræsentatur animal; ceterum ex hoc colligitur repræsentari in concreto, exercitè, & practicè, negationem identitatis cum rationali, licet non repræsentetur signatè speculativè, & in abstracto: nam tunc repræsentatur signatè, speculativè, & in abstracto negatio identitatis, quando repræsentatur per conceptum illam expresè concipientem per modum cuiusdam rei, v. g. per hunc, *negatio identitatis*; repræsentatur vero exercitè, practicè & in concreto, quando aliquod obiectum repræsentatur sub modo distincto ab alio, sive sub negatione identitatis cum alio, vel ut non idem cum alio.

91 Hoc explicatur aptissimè in imagine repræsentante hominem sine oculis, quæ quidem repræsentabit cæcitatem in concreto, sive, quod idem est, hominem cæcum. Non signatè & per modum cuiusdam rei, sed exercitè, quatenus repræsentat hominem sub privatione visus, & negatione oculorum. Voi advertè, repræsentate cæcitatem in homine, non esse propriè, & positivè aliquid repræsentate, sed potius esse non repræsentate in homine aliquid, scilicet visum, quod illi debitum erat; quapropter cæcitas tantum remotivè repræsentari dicitur. Sic igitur actus intellectus solum animal repræ-

sentans, est imago intentionalis animalis, quæ quia in eo non repræsentat rationalitatem, quæ illi debita erat, utpotè identificata cum illo à parte rei, dicitur repræsentare in animali, saltem remotivè, negationem rationalitatis, non quidem signatè, & in abstracto, sed exercitè, & in concreto, quatenus repræsentat animal, non ut rationale, sive sub negatione identitatis cum illo.

92 Si tertio dicas: Talis negatio rationalitatis est obiectum huius cognitionis *animal*, cum se teneat per nos ex parte obiecti: sed obiectum cognitionis nequit fieri per illam; omnis enim cognitio supponit suum obiectum: ergò prædicta negatio non fit per cognitionem in obiecto. Respondeo, distinguendo maiorem: talis negatio est obiectum exercitè attractum, concedo maiorem: signatè, aut speculativè attractum, nego maiorem, & distinguo minorem: obiectum cognitionis practicè, & exercitè attractum, nego minorem; attractum signatè, & speculativè concedo minorem, & nego consequentiam, quia obiectum practicè attractum per cognitionem non supponitur ad illam, sed fit per illam.

93 Si ultimo dicas: animal prout distinctum à tali negatione, distinguitur à rationali; ergò non distinguitur formaliter per illam. Antecedens probatur, nam si concipiatur animal

mal sine tali negatione, absque dubio distinguetur à rationali: ergò prout distinctum ab illa distinguitur à rationali. Confirmatur: animal, præscindendo à tali negatione, non est idem cum rationali ergò præscindendo ab illa distinguitur per rationem à rationali: ergò non distinguitur formalitèr per illam. Respondeo, distinguendo antecedens: animal prout distinctum à tali negatione in abstracto, distinguitur à rationali, omittendo antecedens: prout distinctum ab illa in concreto nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem antecedentis dico, quod negatio rationalis in concreto est non rationale; animal autem prout distinctum à non rationali, non est non rationale, ac per consequens nec distinctum ab illo: si ergò conciperetur sine tali negatione in concreto, non conciperetur inadæquatè, & ut non rationale, sed adæquatè, & quoad rationalitatem; ac per consequens ex vi illius cognitionis non præscinderetur, nec distingueretur à rationali. Ad confirmationem dico, quod animal, præscindendo à tali negatione sumpta in concreto, præscindit à non rationali: ut sic autem nec est distinctum, nec identificatum cum rationali; sed ab utroque præscindit ex parte rei significatæ, non tamèn in exercitio, quia in exercitio non præscindit à tali negatione, con-

cipitur enim sine rationalitate.

QVÆSTIO VI.

Verum natura universalis habeat à parte rei unitatem formalem mindrem numericam?

CUM Univerfale fit unum commune pluribus, ut apertè cognoscamus an detur univèrfale à parte rei, prius inquirimus, an natura, quæ denominari potest univèrfalis, habeat unitatem à parte rei? Pro quo primo notandum est, unitatem esse carentiam divisionis, esse verò duplicem, nam alia est unitas formalis, materialis alia. Unitas materialis est carentia divisionis per principia materialia, quæ quidem sunt differentie numericæ. Unitas vero formalis est carentia divisionis per principia formalia, quæ quidem sunt prædicata essentialia rei generica, vel specifica. Cum autem res caret divisione per prædicata aut principia specifica, dicitur una specificè; cum autem caret divisione per prædicata generica, dicitur una genericè. His suppositis.

Statuitur prima conclusio.

DICO Igitur: *Natura univèrfalis non habet à parte rei unitatem formalem positivam mindrem*

rem numerica. Probat^{ur} primo: quia eatenus natura est vna formaliter, quatenus est distincta à differentijs illam multiplicantibus; sed natura vniversalis non est à parte rei formaliter distincta a differentijs illam multiplicantibus, vt vidimus quæst. 3. ergò non est à parte rei vna formaliter, & positivè.

3. Secundo probatur: Esse naturam formaliter vnã est carere divisione per principia formalia; sed natura vniversalis à parte rei non caret divisione per principia formalia: ergò à parte rei non est vna formaliter. Minor probatur; quælibet natura vniversalis est à parte rei diuisa per prædicata formalia: ergò nulla caret divisione per prædicata formalia. Antecedens probatur: prædicata formalia cuiuscumque naturæ vniversalis sunt à parte rei distincta, & diuisa: ergò quælibet natura vniversalis à parte rei est distincta, & diuisa per principia formalia. Probo antecedens: prædicata formalia cuiuscumque naturæ vniversalis, v.g. hominis, identificantur cum pluribus individujs; sed quæ à parte rei identificantur cum pluribus individujs, necessario distinguuntur à parte rei: ergò prædicata formalia cuiuscumque naturæ vniversalis à parte rei sunt distincta, & diuisa.

4. Confirmatur primo: homo à parte rei non solum dividitur, & multiplicatur per

Petrecitatem, Paulitatem &c. quæ sunt differentiæ individuales, & prædicata materialia; sed etiam per animalitatem, & rationalitatem, quæ sunt prædicata formalia; ergò homo à parte rei non caret divisione per principia formalia. Antecedens probatur: quia homo à parte rei non solum est multiplex individuum, sed etiam est multiplex homo, multiplex animal, multiplex rationale: ergò homo à parte rei non solum est diuisus per differentias individuales, sed etiam per animalitatem, & rationalitatem, quæ sunt prædicata formalia.

5. Confirmatur secundo: Tres homines à parte rei non solum distinguuntur in differentijs individualibus, sed etiam distinguuntur in essentia ergò non solum distinguuntur per principia materialia. Probo antecedens: si à parte rei tres homines non distinguerentur in essentia, essent vnus in essentia, & tres personæ; sed hoc implicat in creatis, solumque reperitur in arcano Trinitatis Mysterio: ergò. Explicantur: ideo tres personæ diuinæ non sunt tres Dij, sed vnus Deus, quia Deitas in illis est vna, & indivisibilis; sed in tribus personis humanis, iuxta aduersarios, humanitas est vna, & indivisibilis à parte rei: ergò tres personæ humanæ non essent tres homines, sed vnus homo.

6. Respondent contra

rij, quod licet à parte rei humanitas in tribus personis sit vna formalitèr, non tamèn est vna, sed multiplex individualitèr; at verò divinitas in tribus divinis personis est vna tam formalitèr, quam individualitèr. Sed contra primo: Nam esse multiplicem individualitèr in adversariorum sententia, non est naturam in se esse verè multiplicem, sed eius individuaciones esse multas; sed licet individuaciones sint plures, si tamen natura, v. g. humanitas; est à parte rei vna, non possunt resultare plures homines realitèr: ergò erunt vnus realitèr homo. Minor probatur: Nam substantivum non multiplicatur, nisi significatum formale illius sit multiplex; sed hoc nomen substantivum *homo* significat de formali humanitatem, sivè naturam, & de materiali individuaciones: ergò licet individuaciones sint plures, si tamen natura est à parte rei vna, & eadem, non erunt plures homines sed vnus homo.

7 Contra secundo: Quia si semel natura in se est formalitèr à parte rei vna, debet esse vna individualitèr: ergò in tribus personis humanis dabitur vna numero, & individua natura. Probo antecedens: quia si natura à parte rei in se ipsa est formalitèr vna, in se ipsa nullam admittit divisionem: sed tantum in differentijs individualibus; ergò in se ipsa erit

individua, & consequentèr numericè, & individualitèr vna.

8 Secundo probatur nostra conclusio: Si natura humana esset actualitèr formalitèr vna, esset realitèr formalitèr æterna, & in producta; sed hoc implicat contradictionem, aliàs enim esset realitèr formalitèr Deus: ergò natura humana non est realitèr formalitèr vna, nec à parte rei habet unitatem formalem. Maior, quæ sola difficilis est, probatur: quod realitèr formalitèr differt ab omni producto, & temporali, realitèr formalitèr est improductum, & æternum; sed, si natura humana esset realitèr formalitèr vna, realitèr formalitèr distingueretur ab omni producto, & temporali: ergò. Maior est certa: quia quod realitèr formalitèr distinguitur ab omni producto, & temporali, realitèr formalitèr non est productum; & temporale; quod autem realitèr formalitèr non est productum, & temporale, est æternum, & improductum realitèr formalitèr. Minor verò probatur: Sola singularia formalitèr producuntur, non autem universalia formalitèr vt talia; sed si natura humana esset realitèr formalitèr vna, realitèr formalitèr distingueretur ab omnibus singularibus, vt fatentur Scotistæ, contra quos præcipuè disputamus; ergò realitèr formalitèr distingueretur ab omni producto, & temporali.

9 Confirmatur primo: Si sententia contraria vera est, entitas, & substantia hominis est realiter formaliter æterna, & improducta: ergo & ipse homo erit realiter formaliter æternus, & improductus. Antecedens probatur: Si contraria sententia vera est, entitas, & substantia hominis est realiter formaliter eadem cum entitate, & substantia Dei; sed entitas, & substantia Dei est realiter formaliter æterna, & improducta: ergo etiam entitas, & substantia hominis. Maior, in qua est difficultas, probatur: iuxta contrarios ratio formalis universalis, & univoca est in omnibus suis inferioribus una, & eadem realiter formaliter; sed ratio entis, & substantiæ respectu Dei & hominis, iuxta Scotum, est universalis, & univoca: ergo substantia, & entitas in Deo, & in homine est eadem realiter formaliter.

10 Confirmatur secundo: Si Scoti sententia vera est, natura humana Antichristi nunc existit realiter formaliter: ergo existit realiter formaliter ab æterno, cum non sit maior ratio unius, quam alterius. Antecedens probatur: natura humana Antichristi est eadem realiter formaliter cum mea natura humana iuxta adversarios; sed mea natura nunc existit realiter formaliter: ergo natura humana Antichristi nunc existit realiter formaliter: ergo & ip-

se Antichristus. Quod si negas hanc consequentiam; sic argumentor: Quæ realiter formaliter separantur in existendo, realiter entitative distinguuntur; sed natura humana Antichristi realiter formaliter separatur ab ipso in existendo, cum eo non existente, ipsa existat realiter formaliter: ergo natura humana Antichristi distinguitur ab ipso realiter entitative: quod nec ipse Scotus admittit.

11 Tertio probatur conclusio: Natura, quæ à parte rei est una realiter formaliter, est una realiter entitative; sed natura humana non est una realiter entitative in omnibus suis individuis: ergo nec est una realiter formaliter. Maior probatur: unitas formalis est unitas in essentia, & unitas entitativa est unitas in entitate; sed natura, quæ est una realiter in essentia, est realiter una in entitate: ergo natura, quæ est una realiter formaliter, est una realiter entitative in omnibus suis individuis. Confirmatur: Iuxta adversarios, Petrus, & Paulus non possunt distingui realiter in entitate: ergo non distinguuntur realiter entitative: quod quid absurdius? Probatur antecedens primo: quia entitas est prædicatum essentiale, & formale hominis; sed Petrus, & Paulus, iuxta adversarios, non distinguuntur realiter in prædicatis formalibus, seu essentialibus: ergo non distinguuntur in

in entitate. Secundo: Petrus & Paulus solum differunt realiter in eo, quod dicunt præter prædicata communia; sed iuxta adversarios præter prædicata communia nullam dicunt entitatem: ergò non differunt realiter in entitate. Minor patet: quia Petrus, & Paulus, præter prædicata communia, solum dicunt differentias individuales, quæ iuxta adversarios non sunt formaliter ens, quia iuxta ipsos, ens non transcendit formaliter differentias.

Solvuntur argumenta.

12 **O**BIJCIENS Primo: Vnitas est carentia divisionis: sed natura humana à parte rei in Petro, & Paulo caret divisione formali: ergò à parte rei in Petro, & Paulo est vna formaliter. Minor probatur: natura humana à parte rei non est formaliter multiplex, & divisa in Petro, & Paulo: ergò caret divisione formali. Antecedens probatur: distinctio, & multiplicitas formalis, est distinctio, & multiplicitas specifica; sed natura humana à parte rei non est multiplex, & distincta specificè in Petro, & Paulo: ergò non est multiplex & divisa formaliter. Confirmatur: eo modo, quo duo non distinguuntur, sunt vnum, & idem; sed Petrus, & Paulus à parte rei non distinguuntur in specie: ergò sunt vnum in specie,

& consequenter vnitatem formalem.
13 Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem, nego antecedens. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: distinctio, & multiplicitas formalis in prædicatis formalibus prout abstractis, & præcisus ab individualibus, est distinctio, & multiplicitas specifica, concedo maiorem: in prædicatis formalibus, prout existentibus à parte rei, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: eodem modo. Itaque distinctio formalis est distinctio in prædicatis formalibus; cum autem à parte rei in quibuslibet individuis datur distinctio, tam in prædicatis formalibus, quam individualibus; quia à parte rei nullatenus distinguuntur prædicata formalia, & individualia, inde est, quod in illis datur distinctio, tam numerica, quam formalis, non quidem formalis à numerica distincta, sed omnino eadem cum numerica, quia sicut à parte rei non distinguuntur, sed sunt omnino idem prædicata numerica, & formalia, ita à parte rei non distinguuntur, sed sunt omnino idem distinctio numerica, & formalis; & sicut à parte rei omnia prædicata numerica, sunt prædicata formalia, ita à parte rei omnis distinctio numerica est distinctio formalis.

14 Alia enim est distinctio formalis, quæ non est numerica, sed pure formalis, & hæc qui-

quidem vocatur specifica, vel generica, est autem quæ versatur inter prædicata formalia abstracta, & præcisa à prædicatis materialibus, hæc autem distinctio purè formalis non datur à parte rei, quia à parte rei non dantur prædicata formalia præcisa, & separata ab individualibus, datur tamèn obiectivè in intellectu, ubi prædicata formalia separantur à numericis.

15. Ad confirmationem distinguè maiorem: eo modo, quo duo non distinguuntur, in ratione, quæ ab utroque participatur, sunt vnum, & idem, concedo maiorem: eo modo, quo duo non distinguuntur in ratione, quæ à neutro individuo participatur, nego maiorem; & distinguo minorem: Petrus, & Paulus à parte rei non distinguuntur in specie à parte rei, & aliàs ratio speciei ab utroque participatur à parte rei, nego minorem; & aliàs ratio speciei à neutro participatur à parte rei, concedo minorem, & nego consequentiam. In quoque argumentum: Deus, & creatura non distinguuntur in specie: ergò sunt eiusdem speciei? Deus finitè non differt à creatura: ergò finitè identificatur cum illa, Petrus, & Paulus, antequam existant, non distinguuntur exercitè: ergò antequam existant identificantur exercitè? Falsissimæ consequentiæ: non alia ratione, nisi quia ratio, seu modus expressus in distinctione, non participatur

ab extremis: v. g. in prima ratio speciei non convenit Deo, nec in secunda ratio finiti, nec in tertia exercitium existendi Petro, & Paulo antè existentiam. Ità ergò dicimus, quod licet Petrus, & Paulus à parte rei non differant specie, malè inferitur esse eiusdem speciei, quia à parte rei neuter habet rationem speciei, cum species non detur à parte rei.

16. Sed replicabis primo contra solutionem argumenti: Omnis distinctio formalis est distinctio specifica; sed natura humana à parte rei in Petro, & Paulo nullam obtinet distinctionem specificam: ergò nec distinctionem vllam formalem. Probo maiorem: Omnis distinctio materialis est distinctio numerica: ergò omnis distinctio formalis est specifica. Confirmatur: Omnis distinctio formalis à numerica distincta, est specifica; sed omnis distinctio formalis est à numerica distincta: ergò omnis distinctio formalis est specifica. Probo minorem: nulla distinctio formalis est distinctio materialis, & numerica: ergò omnis distinctio formalis est à numerica distincta.

17. Replicabis secundo contra solutionem confirmationis: Magis differunt à parte rei Petrus, & equus, quam Petrus, & Paulus; sed Petrus, & Paulus differunt à parte rei distinctione numerica: ergò Petrus, & equus differunt à parte rei distinctione

ne formali maiori, quam numerica, & consequenter datur à parte rei distinctio formalis à numerica distincta, seu mai. illa. Confirmatur: Petrus, & Paulus à parte rei sunt magis vnum, quàm Petrus, & equus; non vnitare numerica, quæ inter Petrum, & Paulum non datur: ergò vnitare formali specifica.

18 His fident præcipuè aduersa sententiæ. Ad primam ergò respondeo distinguendo mai. Omnis distinctio formalis mai. numerica, & ab illa distincta, est distinctio specifica; conc. mai. Equalis, siue eadem cum numerica, nego maiorem, & concessa min. nego consequ. in sensu iam dicto. Ad probationem maioris, concessa antecedenti, nego consequ. in sensu maioris. Disparitas consistit in eo, quod omnis distinctio materialis est distinctio in prædicatis numericis, & individualibus, & in omni statu, in quo dantur prædicata numerica, habent rationem numeri, & individui, ac per consequens in omni statu sunt extrema distinctionis numericæ, & individualis; ac vero prædicata formalia non obtinent in omni statu rationem speciei, sed tantum obiective in intellectu, dum abstrahuntur à prædicatis numericis, unde si considerentur à parte rei solum sunt formaliter distincta, si vero obiective in intellectu, formalis distinctio inter ea sit distinctio specifica.

19 Ad secundam distinguo mai. Magis differunt à parte rei

Petrus, & equus, quam Petrus, & Paulus, differentia sumpta pro dissimilitudine, conc. mai. differentia sumpta pro distinctione, nego mai. & concessa min. distinguo consequens eodem modo, & nego ultimam consequentiam; quia distinctio est vnum non esse aliud, in quo non datur magis & minus, quando distinctio est adæquata, unde nequit dici, quod magis equus non est Petrus, quàm Petrus non est Paulus. Dissimilitudo autem consistit in disproportione, & disconformitate, quæ admittit magis, & minus, unde magis dissimulantur equus, & Petrus à parte rei, quam Petrus, & Paulus, non tamen magis distinguuntur; quia sicut homo à parte rei totaliter, & adæquate distinguitur ab equo, ita Petrus à parte rei totaliter, & adæquate distinguitur à Paulo.

20 Ad confirmationem respondeo distinguendo mai. Petrus, & Paulus à parte rei sunt magis vnum vnitare conformitatis, & similitudinis, quam Petrus & equus, conc. mai. Vnitare identitatis, quæ sola est simpliciter talis, nego mai. siue illius suppositum; nam inter Petrum, & Paulum non datur à parte rei vnitare propriè dicta, scilicet identitatis, sed solum vnitare impropria sumpta pro similitudine, & proportionem, in qua quidem sunt magis vnum, quam Petrus, & equus, quia maior similitudo, & conformitas datur inter Petrum, & Paulum, quam inter Petrum, & equum.

21 Sed replicabis ultimo: Per nos Petrus, & Paulus sunt similes à parte rei; sed similitudo iuxta Philosop. fundatur in unitate: ergo inter Petrum & Paulum datur unitas à parte rei. Distinguo minorem: similitudo fundatur in unitate conformitatis, & impropria, concedo minorem: in unitate identitatis propriè tali, nego min. & conseq. in sensu iam dicto. Ex quo nihil contra nos, nam huiusmodi unitas proportionis, & conformitatis, in qua fundatur relatio similitudinis, non est propriè unitas formalis sumpta pro carentia distinctionis penes principia formalia, cum potius relatio realis similitudinis in natura humana, v. g. petat realem distinctionem in ipsa natura humana; sed solùm est unitas proportionis, & conformitatis, consistens in eo, quod sicut Petrus à parte rei est homo, ita Paulus à parte rei est homo, licet sint multiplex homo, seu duo homines: & hanc ultro concedimus à parte rei.

22 Ex dictis colliges primo, quam vera sit nostra sententia, in qua supra negavimus, gradus superiores distinguuntur realitèr formalitèr ab inferioribus. Nam si natura humana, v. g. in Petro, & Paulo distingueretur formalitèr à differentiis individualibus, ut vult Scotus, realitèr formalitèr esset indivisa in Petro, & Paulo, careret enim realitèr formalitèr differentiis individualibus, per quas unice dividitur; sed, ut nunc

probatum manet, non potest esse formalitèr indivisa, sicuti nec una formalitèr à parte rei: ergo nec realitèr formalitèr distincta à differentiis individualibus.

23 Colliges secundo, quàm unitatem habeat à parte rei natura; habet enim primò in quolibet individuo determinato unitatèr numericam, & formalem eandem cum numerica, quia in individuo nullam admittit divisionem, neque in predicatis individualibus, nec essentialibus. Secundo: natura prout existens in omnibus individuis habet unitatem conformitatis & similitudinis, quæ impropriè dicitur unitas; hæc autem conformitas, aut similitudo unitas est fundamentalitèr specifica, aut generica, quia est fundamentum ut intellectus abstractat ab individuis quandam rationem formalitèr unam & communem, quæ sit genus, vel species. Unitatem vero formalem specificam, sive minorem numericam non habet natura à parte rei, sed solum in intellectu, dum præscinditur ab inferioribus.

24 Colliges tertio, naturam à parte rei non habere unitatem formalem adhuc negativam in omnibus individuis. Est contra Scotistas, & probatur: implicat quod natura à parte rei nec sit positive una, nec sit positive plures; sed esse unam negative dicit, quod nec sit positive una, nec sit positive plures: ergo à parte rei nequit esse negative una. Probo maiorem: naturam esse positive plu-

plures, est esse positive divisam; esse autem positive unam est non esse positive divisam; sed implicat quod à parte rei neque sit positive divisa, nec non sit positive divisa: ergo. Minor patet; quia quodlibet est, vel non est. Maior quoad primam partem est certa. Quoad secundam autem probatur: quia unitas positiva est carentia divisionis positivæ; sed naturam carere divisione positiva nihil aliud est, quam non esse positive divisam: ergo esse positive unam est non esse positive divisam.

25 Dices: naturam à parte rei ex se non habere divisionem positivam, ac proinde illa carere, non quidem repugnantèr, sed præcisive; ad unitatem autem negativam sufficit quod careat præcisive divisione, non autem requiritur, quod habeat repugnantiam ad illam. Sed contra est: quia vel loquimur de natura humana unius individui, vel de natura humana multorum. Si primum; illa non solum præcisive, sed repugnantèr caret divisione, quia repugnat naturam unius individui esse positive divisam; ceterum de hac non procedit quaestio, nam vltro fatemur, naturam, prout in unico individuo; esse positive unam; sed solum procedit de natura in pluribus individuis. Si autem de hac loquamur, sic arguimur: natura multorum repugnat quod non sit divisa à parte rei; ergo falsum est, quod ex se non sit positive divisa. Antecedens probatur; quia natura mul-

torum à parte rei repugnat quod non sit multiplex natura à parte rei; ergo repugnat quod non sit divisa. Antecedens probatur: natura multorum repugnat quod à parte rei sit una, & in distincta in multis, sicut repugnat Mysterium Trinitatis à parte rei; sed à parte rei non datur medium inter esse unam seu in distinctam, & esse multiplicem: ergo natura multorum repugnat quod non sit multiplex à parte rei.

26 Ex quo manifeste sequitur esse falsum, quod natura multorum à parte rei caret præcisive divisione. Nam carere præcisive divisione est, quod ex se præscindat ab esse divisam, vel indivisam; sed natura multorum, prout est à parte rei, non præscindit ab esse divisam, vel indivisam, sed determinate, & necessitate est multiplex in multis, & divisa in pluribus individuis, repugnatque esse indivisam: ergo falsum est, quod caret præcisive divisione.

27 Dices forsàn: Te non loqui de natura humana multorum determinate, nec de natura unius determinate, sed de natura humana prout abstrahit, & præscindit ab esse unius, vel plurium, secundum se, & ex se considerata. Sed contra est; quia natura humana hoc pacto non datur à parte rei, sed solum obiective in intellectu: ergo nunquam salvatur, quod pro ut est à parte rei præscindat à divisione, seu sit negative una. Antec. patet; quia à parte

parte rei non datur natura abstracta ab individuis.

28 Si obijcias: Natura humana ex se non est positive multiplex, cum Petrus illam habeat sine multiplicitate; nec positive est una, cum in Petro, & Paulo non habeat unitatem sed dualitatem. ergo natura humana a parte rei ex se est negative una. Respondeo distinguendo antec. Natura multorum ex se a parte rei non est positive multiplex, nego antec. Natura unius, concedo antecedens; & distinguo secundam partem eodem modo; quia natura multorum, v. g. Petri, & Pauli, est positive multiplex a parte rei; & natura unius, v. g. solius Petri, est positive una, & indivisa, nos autem loquimur de natura multorum, sive in multis, unde de hac nunquam probatur quod sit una adhuc negative, imo, nec natura unius est negative una, sed positive. Si autem dicas, loqui de natura humana ex se, & secundum se, prescindendo ab eo, quod sit unius, vel plurium, negabo suppositum, quod, scilicet, hoc pacto datur a parte rei,

QUESTIO. VII.

Utrum natura a parte rei sit communis pluribus infertoribus?

Cum ad universale, ultra unitatem naturae, requiratur, quod illa sit communis pluribus, postquam vidimus, naturam a parte rei in pluribus individuis existentem non habere nec unitatem positivam,

nec negativam, inquirimus, utrum a parte rei sit communis pluribus positive, aut negative? Pro cuius intelligentia nota, quod tunc natura est communis pluribus positive, cum habet positivam capacitatem, & potentiam, ut identificetur cum pluribus. Tunc autem natura est communis pluribus negative, quando ex se illi non repugnat identificari cum pluribus. Hoc ergo supposito.

2. Dico: *Nulla natura datur a parte rei communis pluribus positive, aut negative.* Quoad utrumque partem patet ex quaestione praecedenti; nam communitas est naturae communis unitas; sed ex quaestione praecedenti constat, nullam naturam a parte rei habere unitatem formalem positivam, aut negativam pluribus communem: ergo constat ex illa, nullam naturam dari, quae a parte rei sit communis positive, aut negative pluribus.

3. Deinde probatur quoad primam partem Naturam esse positive communem, est illam in se unam posse identificari cum pluribus; sed nulla datur natura a parte rei, quae in se, una, possit identificari cum pluribus: ergo nulla datur natura a parte rei communis pluribus positive: Minor, in qua stat difficultas, probatur: *Mysterium Santissimae Trinitatis* consistit in eo, quod natura una existens a parte rei identificetur cum pluribus; sed *Mysterium* tam excelsum nefas est deijcere ad naturas creatas; ergo

ergò nulla natura creata potest vna existens à parte rei, identificari cum pluribus.

4 Secundo probatur conclusio: Nulla natura à parte rei identificata cum vno individuo, potest à parte rei identificari cum alio; sed omnis natura à parte rei existens, identificatur cum aliquo individuo, aliàs enim esset idèa Platonis: ergò nulla natura à parte rei existens potest identificari cum vno, & alio, siuè cum pluribus individuis: ergò nulla natura à parte rei est communis pluribus. Maior, in qua est difficultas, probatur: natura à parte rei identificata cum vno individuo, nequit identificari cum secundo, manente identitate cum primo; alias neque relicta identitate cum primo: ergò nullo modo. Antecedens quoad primam partem patet; quia nulla natura, nisi sit diuina, potest simul identificari cum pluribus. Quoad secundam partem probatur: quia natura existens in vnico individuo, nequit relinquere identitatem cum illo, quæ enim semel identificantur, nunquam possunt realiter non identificari, vt in Metaph. demonstrabo: ergò natura identificata realitèr cum vno individuo, non potest identificari cum altero, relicta identitate cū primo.

5 Secunda pars conclusionis ex dictis probata manet; quia naturam esse communem negativè, est illi ex se non repugnare identificari cum pluribus.

sed nulla datur natura à parte rei cui ex se non repugnet identificari cum pluribus, vt iam probauimus: ergò.

6 Sed argues primo: Naturam esse comunè pluribus, est habere aptitudinem, & potentiam ad essendum in pluribus; sed natura humana, v. g. à parte rei habet aptitudinem, & potentiam ad essendum in pluribus: ergò à parte rei est communis pluribus. Minor, quæ sola difficilis est, probatur primo: nã vbi datur actus, datur potentia, ab actu enim ad potentiam, valet consequentia; sed à parte rei natura actu existit in pluribus: ergò à parte rei habet aptitudinem ad essendum in pluribus. Secundo: quando actus est realis, potentia est realis, actus enim, & potentia debent esse in eodem genere; sed actus existendi in pluribus individuis est realis: ergò potentia ad essendum in illis est realis, & consequenter datur à parte rei. Tertio: nullus actus est impossibilis cum sua potentia: ergò actus essendi in pluribus non est impossibilis cum potentia ad essendum in illis; sed à parte rei datur actus essendi in pluribus: ergò etiam à parte rei datur aptitudo ad essendum in illis.

7 Respondeo, quod datur duplex potentia, scilicet, potentia subiectiva, & potentia obiectiva. Potentia subiectiva est capacitas alicuius subiecti ad essendū aliquid à se distinctum, sibi que superadditum, v. g. potentia, quæ

reperitur in homine ad esse albū. Potentia obiectiva est nō repugnātia cuiuslibet obiecti ad essendum in exercitio id, quod ex se essentialitèr est: v. g. potentia, quam habet homo ad esse hominem in exercitio. Vbi nota hanc differentiam inter primā, & secundam potentiam, quod potentia subiectiva est distincta à suo actu, dicitque respectum ad illum per modum actuabilis, & perfectibilis per ipsum; potentia vero obiectiva non dicit respectum, aut ordinem ad actum, neque ab illo est distincta, sed est ipsemet actus signatè, & possibiliter sumptus. Hoc supposito respondeo, distinguendo maiorem: naturam esse communem pluribus, est habere, dū in se est vna, aptitudinem, & potentiam ad essendum in pluribus, concedo maiorem; dum in se est multiplex nego maiorem; & distinguo minorem: natura humana à parte rei vna existens habet aptitudinem ad essendum in multis, nego minorem: natura humana à parte rei divisa, & multiplex, subdistinguo: habet aptitudinem subiectivam, nego minorem: obiectivam, concedo minorem, & nego consequentiam. Igitur naturam humanam esse pluribus communem in eo consistit, quod vna in se existens sit capax subiective, vt contrahatur ad inferiora, & cum illis identificetur; à parte rei autem non datur natura humana hoc modo se habens, quia vel est natura alicuius indi-

vidui, vel est natura omnium individuorū. Si est natura vnus, illa est vna à parte rei, sed non est capax vt identificetur cum pluribus. Si vero est natura omnium, illa à parte rei non est vna, sed multiplex, nec est apta, sive potens potentia subiectiva ad essendum in multis, quia à parte rei non distinguitur ab illis, sed potius est ipsa plura, sive multa individua; solum igitur datur à parte rei natura humana multiplex, potens obiective esse in multis, sive quod idem est, potens in exercitio esse multiplex, vnde non datur à parte rei natura communis.

8 Ex his clara patet solutio ad probationes minoris. Ad primam enim, distinguo maiorem: vbi datur actus, datur potentia obiectiva, concedo maiorem: potentia subiectiva semper, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens eodem modo. Nam sicut homo à parte rei est homo, quin à parte rei habeat potentiam subiectivā ad esse hominem, sed tantū obiectivam, sive non repugnantiam; ita natura humana multiplex à parte rei est in multis, & tamen non habet potentiam subiectivam, sed tantum obiectivam, sive non repugnantiam vt sit multiplex, aut in multis. Ad secundam similiter distinguo maiorem; quando actus est realis, potentia obiectiva est realis, concedo maiorem: potentia subiectiva semper, nego maiorem,

sem, & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris, quæ solutio constat ex dictis. Ad tertiū concedo omnia, loquendo de potentia obiectiva, quam non negamus dari à parte rei, quia licet à parte rei non detur vna natura distincta à pluribus singularitatibus, & perfectibilis, aut contrahibilis per illas, in quo consistit potentia subiectiva, & communitas naturæ, datur tamen à parte rei multiplex natura, cui non repugnat esse in multis, sive multiplicem, imò de facto ita se habet, in quo quidem consistit potentia obiectiva.

9 Argues secundo: sicut natura humana determinatur per singularitatem, ita materia prima per formam; sed materia prima, dum est sub vna forma, habet potentiam, vt determinetur per aliam: ergo natura humana, dum est sub vna singularitate, conseruat potentiam vt determinetur per alias. Respondeo, distinguendo mai. sicut & eodem modo, nego maiorem: sicut, & diuerso modo, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Disparitas stat in eo, quod materia realiter distinguitur à forma, ac proinde, eadem realiter permanens, potest suscipere successive plures formas, relinquendõ vnã, & assumendo aliam; ceterum natura realiter identificatur cum singularitate, ac proinde eadem permanens à parte rei, nequit amitte-

re vnã singularitatem; & determinari per aliam.

10 Replicabis: Actus humanus identificatur realiter cum sua malitia; aut cum sua rectitudine; & tamen ratio actus humani reperta in odio Dei potest amittere malitiam, & assumere rectitudinem: ergo licet natura identificetur realiter cum singularitate, poterit relinquere vnã & assumere aliam. Probat minor: privatio rectitudinis non datur, nisi in subiecto capaci rectitudinis; sed in actu odij Dei datur, iuxta plerosque Theologos, privatio rectitudinis: ergo ratio actus humani in illo reperta est capax rectitudinis; & consequenter potest amittere rectitudinem, & relinquere malitiam. Respondeo, distinguendo minorem: ratio actus humani reperta in odio Dei, præcisa, & abstracta ab odio Dei, potest amittere malitiam, & assumere rectitudinem, concedo: Ratio actus humani prout existit à parte rei, nego minorem. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: privatio physica rectitudinis, concedo maiorem; privatio moralis, subdistinguo non datur, nisi in subiecto capaci, prout existit à parte rei, nego maiorem: nisi in subiecto capaci, prout abstracto & præciso per intellectum, concedo maiorem, & minorem, & distinguo consequens vt supra. Itaque privatio physica requirit in subiecto, prout realiter existenti à parte

rei, capacitatem realem ad formam; at vero privatio moralis, qualis solum datur in actu odij Dei, id non requirit, sed sufficit, quod subiectum privatum, consideratum præcisive, & secundum se, sit capax formæ, qua privat, quod quidem reperitur in ratione actus humani reperta in odio Dei, nam talis ratio præcisive considerata, sive abstracta ab odio Dei, capax est rectitudinis moralis, non autem prout existens à parte rei.

11 Ex dictis colliges: Naturam à parte rei non esse formaliter universalem. Patet; nam universale formaliter est natura una positive, & communis pluribus; sed ex dictis constat, naturam à parte rei non esse unam, & communem pluribus: ergo ex dictis colligitur naturam à parte rei non esse formaliter universalem.

QUESTIO VIII.

Utrum natura secundum se sit una, aut communis pluribus positive, aut negative?

1 **N**Ota primo; naturam posse considerari in triplici statu, primo in statu contractionis, secundo in statu solitudinis, seu secundum se, tertio in statu intellectus. Natura in statu contractionis, est natura prout existens à parte rei identificata cum singularibus. Natura in statu solitudinis, est natura secundum sua prædicata essentialia.

lia præcisè considerata: Natura in statu intellectus est natura prout reflexe, vel quasi reflexe consideratur ut obiective iam existens in intellectu ex vi prioris actus. Naturam ergo non esse unam formaliter, nec communem pluribus positive, aut negative in statu contractionis, sive à parte rei, vidimus quæstione præcedenti; nunc autem solum inquirimus, utrum in statu solitudinis, seu secundum se, sit una, vel communis pluribus?

2 Nota secundo, quod quidquid convenit positive naturæ secundum se, convenit illi in omni statu, plura tamen conveniunt naturæ in alijs statibus, quæ non conveniunt naturæ secundum se. Et ratio est; quia natura secundum se tantum dicit sua prædicata essentialia, cum autem hæc semper & pro semper illi conveniant, inde est, quod quidquid convenit naturæ secundum se, convenit illi in omni statu. Deinde cum in alijs statibus conveniant naturæ plura prædicata non essentialia, sed accidentalia; & hæc illi non conveniant secundum se, clare patet, quod plura prædicata, quæ conveniunt naturæ in alijs statibus, non conveniunt illi secundum se. His suppositis.

3 Dico primo: *Natura non est secundum se una positive unitate formali.* Probatum breviter: naturæ secundum se solum conveniunt prædicata essentialia, quæ illam comitantur in omni statu; sed unitas positiva non est præ-

Dicatum essentiale naturæ illam comitans in omni statu, cum illi non conveniat in statu contractionis, sive à parte rei: ergò vnitas positiva non convenit naturæ secundum se, & consequenter natura secundum se non est vna positivè. Confirmatur: quia homo secundum se est rationalis, in quocumque statu reperitur, est rationalis; sed natura non est positivè vna in quocumque statu, cum à parte rei non sit vna positivè: ergò nec secundum se erit vna positivè.

4 Secundo probatur conclusio: Natura secundum se non est vna vnitate rationis, alias nec vnitate reali: ergò secundum se non est vna. Antecedens quoad primam partem probatur: nam quod convenit naturæ secundum se, convenit illi à parte rei; sed natura à parte rei non est vna vnitate rationis: ergò nec secundum se. Quoad secundam partem etiam probatur: nam vnitas realis datur à parte rei; sed ex dictis constat non dari à parte rei in natura vnitatem formalem: ergò non datur in natura secundum se vnitas realis formalis, & consequenter natura secundum se non est vna vnitate reali.

5 Obijcies primo! Naturam esse non divisam, est esse vnã; sed natura secundum se est non divisa: ergò secundum se est vna. Maior patet; quia naturam esse non divisam, est esse indivisam, esse autem indivi-

sam est formaliter esse vnã. Minor vero probatur primo: quia natura secundum se non est divisa: ergò secundum se est non divisa. Patet consequentia; quia arguitur ab affirmativa ad negativam variato prædicato penes finitum, & infinitum. Secundo: quia naturam esse non divisam, est carere divisione; sed natura secundum se caret divisione: ergò natura secundum se est non divisa. Tertio: nulli rei potest vtrumque contradictorium deficere; sed esse divisum, & non divisum sunt contradictoria: ergò natura secundum se, vel est divisa, vel est non-divisa, alias enim vtrumque contradictorium illi deficeret. Quarto: quod non est secundum se divisum, necessario non est divisum; sed quod necessario non est divisum, necessario est non divisum, & quod necessario est non divisum, secundum se est non divisum: ergò si natura secundum se non est divisa, secundum se est non divisa.

6 Respondeo concessa maiori, negando minorem. Ad cuius primam probationem, nego consequentiam; quia licet in illa arguatur ab affirmativa ad negativam, variato prædicato penes finitum, & infinitum, arguitur tamen cum illa reduplicatione *secundum se*: & quando arguitur cum reduplicatione, non tenet consequentia; ut si dicas: aer secundum se, & essentialiter non est lucidus, ergò

gò aer secundum se, & essentialiter est non lucidus; quæ consequentia mala est, nam aer secundum se, & essentialiter nec est lucidus, nec non lucidus, sed ab utroque præscindit. Ad secundam probationem; distinguo maiorem; naturam esse non divisam, est carere præcisivè, & quantum est ex se divisione, nego maiorem: est carere repugnantè, concedo maiorem, & distinguo minorem: natura secundum se carere divisione præcisivè, & quantum est ex se, concedo minorem, repugnantè, nego minorem, & consequentiam; carere enim divisione præcisivè est idem, ac præscindere à divisione, & natura secundum se præscindit à divisione; hoc autem non sufficit, ut natura sit non divisa, quia ad hoc requiritur, quod in se habeat carentiam divisionis, ratione cuius repugnet cum divisione. Totum patet in exemplo aeris, qui licet, ut tenebrosus, careat licet repugnantè, tamen secundum se caret illa tantum præcisivè, idèoque non dicitur positivè tenebrosus secundum se.

7. Ad tertium, distinguo maiorem: utrumque contradictorium nequit rei deficere sub aliqua reduplicatione, nego maiorem: absolute, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam; quia licet naturæ prout est à parte rei nequeat, utrumque contradi-

ctorium deficere, tamen natura secundum se, & essentialiter potest neutrum habere; sicut aer nequit absolute non esse neque lucidus, neque tenebrosus, & tamen nec est essentialiter lucidus, nec essentialiter est tenebrosus, sed ab utroque præscindit.

8. Ad quartum, respondeo distinguendo maiorem: quod non est secundum se divisum, necessario non est divisum, si ly *necessario* negetur per particulam *non*, concedo maiorem: si ly *necessario* determinet particulam *non*, nego maiorem, & distincta minori eodem modo; nego consequentiam, quia cum dicis; *natura necessario non est divisa*, si particula *non* virtualiter præcedat ad ly *necessario*, negando videlicet ipsum, facit hunc sensum; *non est necessarium, quod natura sit divisa*, quod quidem rectè inferitur ex eo quod natura secundum se non sit divisa. Si autem ly *necessario* præcedat omni modo negationem, ita ut illam afficiat, & determinet, facit hunc sensum: *necessarium est, naturam non esse divisam*, quod quidem minime inferitur ex eo quod secundum se non sit divisa; nec item ex illo inferitur, naturam secundum se esse non divisam.

9. Obijcies secundo: Aliquid potest naturæ convenire secundum se, quod illi non conveniat in omni statu: etgò licet natura in statu contractionis

nis non sit una positivè, poterit tamen id habere secundum se. Antecedens probatur primo: licet habitus secundum se sit difficile mobilis à subiecto, potest tamen per accidens, & in aliquo statu esse facile mobilis à subiecto: ergò aliquid potest nature convenire secundum se, quod illi non conveniat in omni statu. Secundo: quantitas secundum se est divisibilis; & tamen in minimo naturali non est divisibilis: ergò idem quod prius.

x Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem distinguo antecedens: potest tamen per accidens, & in aliquo statu esse facile mobilis à subiecto intrinsecè, & ex se, nego antecedens: ab extrinseco, concedo antecedens, & nego consequentiam; quia habitus secundum se solum est difficile mobilis à subiecto ab intrinseco, & ex sua natura, hoc autem semper, & in omni statu illi convenit, quia semper ab intrinseco, & ex sua natura petit permanentiam in subiecto, & difficile movetur ab ipso, licet à causis extrinsecis, & ratione status facile moveatur, sive expellatur ab illo; hoc enim habitui non repugnat secundum se. Ad secundam, distinguo maiorem: quantitas secundum se est divisibilis mathematicè, concedo maiorem: est divisibilis physicè, & naturaliter nego maiorem: & distincta minori eodem modo, nego con-

sequentiam; quia divisibilitas mathematica consistit in eo, quod intellectus possit in quantitate designare distinctas partes. Divisibilitas autem physica & naturalis consistit in eo, quod agens naturale possit separare unam partem ab alia, utramque conservando in suo esse; licet ergò minimum naturale non sit divisibile hoc secundo modo, est tamen divisibile primo modo: & solum esse primo modo divisibile convenit quantitati secundum se.

xi Obijcies tertio: Nature secundum se non solum conveniunt prædicata essentialia, sed etiam prædicata propria, seu propriæ passionis; sed unitas positiva est proprietas nature: ergò illi convenit secundum se. Minor patet: quia unitas est passio entis; sed natura est ens: ergò unitas est passio, seu proprietas nature. Respondeo, distinguendo maiorem; sed etiam proprietates, quæ illam consequuntur prout completam à parte rei, nego maiorem: quæ illam consequuntur præscindendo à tali complemento, sive inadæquatè sumptam, concedo maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Itaque unitas est passio entis singularis, sive completi ad existendum per ipsam singularitatem; cum autem natura secundum se à singularitate præscindat, inde est quod etiam præscindit ab unitate,

tate, hæc enim ſolum convenit enti reali prout realiter, completo ad exiſtendum realiter, quod non habet natura ſine ſingularitate.

12 Dico ſecundo: *Natura ſecundum ſe eſt negativè una.*

Probat: naturam eſſe negativè unam, eſt illam non eſſe plures; ſed natura ſecundum ſe non eſt plures: ergò ſecundum ſe eſt negativè una. Secundo: quia naturam non exigere pluralitatem; eſt illam eſſe negativè unam; ſicut aerem non exigere lucem, eſt eſſe negativè tenebroſum; ſed natura ſecundum ſe non exigit pluralitatem: ergò ſecundum ſe eſt negativè una.

13 ſed argues: Quod convenit naturæ ſecundum ſe, convenit illi in omni ſtatu; ſed eſſe negativè unam non convenit naturæ à parte rei, ut conſtat ex præcedentibus: ergò natura ſecundum ſe non eſt negativè una. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: quod convenit naturæ ſecundum ſe poſitivè, convenit illi in omni ſtatu, concedo maiorem: quod convenit negativè, nego maiorem, & concedo minori, nego conſequentiam; quia aliquid convenire naturæ ſecundum ſe negativè, non eſt aliquid illi convenire, ſed potiùs eius oppoſitum illi non convenire, v. g. convenire negativè naturæ unitatem, non eſt propriè loquendo unitatem illi convenire

re, ſed potiùs eſt pluralitatem illi non convenire; cum autem poſſit aliquid non convenire ſecundum ſe, ſcilicet pluralitas, quod tamen illi conveniat in alio ſtatu; inde eſt, quod poſt eſt naturæ ſecundum ſe convenire aliquid negative, ſcilicet unitas, quæ tamen illi non conveniat in omni ſtatu.

14 Dico tertio: *Natura ſecundum ſe non eſt communis pluribus poſitivè, ſed tantum negativè.* Probat: quoad primam partem: quia natura, quæ non eſt poſitive una, non eſt poſitive communis; ſed natura ſecundum ſe non eſt poſitive una: ergò non eſt poſitive communis. Secundo: Quod poſitive convenit naturæ ſecundum ſe, convenit illi in omni ſtatu; ſed eſſe communem poſitive non convenit naturæ in omni ſtatu, cum illi non conveniat à parte rei: ergo nec illi convenit ſecundum ſe. Quoad ſecundam partem etiam probatur: quia naturam eſſe communem negativè, eſt illam nulli individuo eſſe appropriatam, & illi non repugnare eſſe in multis, ſive non eſſe ſingularem; ſed natura ſecundum ſe non eſt ſingularis, ſed à ſingularitate præſcindit, nec illi ſecundum ſe repugnat eſſe in multis, nec ſecundum ſe eſt alicui individuo appropriata: ergò natura ſecundum ſe eſt communis negativè.

15 Sed dices primo:

Na-

Natura materialis secundum se & essentialiter est apta ad essendum in multis: ergo secundum se, & essentialiter est communis pluribus. Probaturs antecedens primo: Natura materialis per se, & essentialiter est multiplicabilis, sicut natura spiritalis est immultiplicabilis; sed naturam esse multiplicabilem, est esse aptam ad essendum in multis: ergo natura secundum se est apta ad essendum in multis. Secundo: Natura materialis secundum se petit sui conservationem, sicut quælibet alia natura; sed nequit conservari in vnico individuo, cum quodlibet sit corruptibile: ergo petit esse in multis individuis: ergo secundum se, & essentialiter est apta ad essendum in pluribus individuis.

16 Respondeo, negando antecedens. Ad cuius primam probationem, distinguo maiorem: natura materialis per se, & essentialiter est multiplicabilis illative, concedo maiorem: est multiplicabilis formaliter, nego maiorem, & distincta minori, eodem modo, nego consequentiam. Itaque naturam esse multiplicabilem illative, est illam inferre ex se possibilitatem plurium individuum eiusdem speciei, & hoc modo natura essentialiter est multiplicabilis, quia essentialiter infert, dum est materialis, prædictam possibilitatem. Esse

autem naturam multiplicabilem formaliter, est ipsammet posse dividi, & communicari pluribus individuis. Igitur hoc secundum non convenit naturæ secundum se, & essentialiter, licet sit materialis, quia natura Petri v.g. est materialis; & tamen nequit dividi, & communicari pluribus individuis, licet inferat essentialiter possibilitatem illorum. Ex quo ad secundam probationem, concessa maiori, & minori, distinguo consequens: ergo petit esse vna, & eadem in multis individuis nego consequentiam: multiplex similis in multis individuis, concedo consequentiam, & nego ultimam; quia natura materialis vna, & eadem non petit esse in multis individuis, sed quælibet natura materialis petit, quod in pluribus individuis succedant sine sine plures naturæ similes, ut saltem virtualiter, & æquivalenter quodlibet individuum conservetur in alijs similibus sibi in natura specifica.

17 Pro complemento noto, quod hæc propositio: *Natura secundum se est vna*, potest facere duplicem sensum, nam si *ly secundum se* determinet subiectum significat, quod natura sumpta secundum se, solitariè sive præcisive, sive abstracta, & præcisa ab inferioribus, est vna, & quidem in hoc sensu verum est, naturam secundum se esse vnam. Vnde cum in quæstione præcedenti diximus, natu-

ram secundum se non esse unam, intelligendum est iuxta aliam significationem magis communem, scilicet, ita ut ly *secundum se* non determinet subiectum propositionis, sed copulam, sive compositionem, qua ratione reddit hunc sensum, natura essentialiter, & secundum se est una, quod quidem falsissimum est, ut constat dictis ibidem.

18 Ex dictis colliges, naturam secundum se non esse universalem positivè, sed tantum negativè, quia eo modo natura est universalis, quo est una, & communis pluribus; sed ex dictis constat, naturam secundum se esse unam, non positivè, sed negativè, & eodem modo communem pluribus: ergo non positivè, sed tantum negativè est universalis secundum se.

QUESTIO. IX.

Verum dentur universalia in essendo ab universalibus in representando distincta?

2 **C**ONSTAT Ex dictis, non dari à parte rei naturas formalitèr universales contra Scotum, & Platonem. Inquirimus in presenti, utrum saltem in intellectu dentur universalia in essendo, ab universalibus in representando distincta. Fuit enim sententia Nominalium solum

dari universalia in representando, scilicet voces, & conceptus universales, res tamen, sive naturas universales in essendo negabant. Contra quos sit.

Prima conclusio.

2 **D**ICO Primo: *Præter voces, & conceptus universales in representando, dantur res, & naturæ universales in essendo.* Probatum primo auctoritate expressa Philosophi. qui primo Perihermeneias cap. 5. ait: *Quasdam res esse universales, & quasdam particulares*: ergo iuxta Philosophi. non solum dantur voces, & conceptus, sed etiam res, & naturæ universales. Secundo: quia ipse Philosophus. definiit universale: *est unum in multis, & de multis*; sed hæc definitio non convenit universalibus in representando, sed tantum universalibus in essendo: ergo iuxta Philosophi. datur universale in essendo. Minor patet: quia universale in representando, v. g. hæc vox *homo*, non est una in multis, & de multis, sed tantum representat multa: ergo prædicta definitio non convenit universali in representando.

3 Tertio probatur conclusio: Obiectum huius vocis universalis *homo* est universale; non universale in representando: ergo universale in essendo: ergo præter universalibus in representando, dantur

universalia in essendo. Cætera patent. Maior probatur: quod prædicatur de pluribus, & identificatur cum illis est universale; sed obiectum huius vocis *homo*, prædicatur de pluribus, & identificatur cum illis: ergò est universale. Minor probatur: cum dicimus: Petrus est homo; Paulus est homo, non prædicamus de Petro, & Paulo hanc vocem *homo*, sed obiectum per illam repræsentatum: ergò obiectum repræsentatum per hanc vocem *homo* prædicatur de pluribus, & consequenter identificatur cum illis.

4 Quarto probatur conclusio: Scientiæ sunt de universalibus; sed plures scientiæ sunt de rebus, non autem de vocibus, & conceptibus: ergò non solum voces, & conceptus, sed res ipsæ sunt universales. Minor probatur: quando datur scientia de homine, & cælo, &c. obiectum, de quo tractat illa scientia, non est hæc vox *homo*, aut hæc vox *cælum*, nec conceptus hominis, nec conceptus cæli; sed ipsemet homo, & cælum: ergò scientiæ sunt de rebus, & non solum de vocibus, aut conceptibus.

5 Sed obijcies primo: Repugnat universale prædicabile de singularibus; sed universale in essendo esset huiusmodi: ergò repugnat universale in essendo. Maior probatur; ut universale prædicaretur de singularibus erat necessarium, quod

singulare esset universale; sed repugnat quod singulare sit universale: ergò repugnat universale prædicabile de singularibus. Cõfirmatur universale est unum potens identificari cum multis realiter distinctis; sed unum nequit identificari cum multis realiter distinctis: ergò repugnat universale. Minor probatur: quia plura realiter distincta non possunt identificari cum uno, nam quæ identificantur realiter cum uno tertio, identificantur inter se: ergò unum non potest identificari cum multis. Urgetur: totum nequit prædicari de parte; sed universale comparatur ad singulare, tanquam totum ad partem: ergò nequit prædicari de singulari.

6 Respondeo, negando maiorem. Ad cuius probationem, nego maiorem; quia universale prædicatur de singularibus quoad naturam, quæ denominatur universalis, non vero quoad ipsam universalitatem; unde hæc prædicatio est vera: *Petrus est homo*, licet Petrus sit singularis, & homo universalis; falsum tamen est, quod singulare sit universale; sicut prædicatum prædicatur de subiecto, dum dicimus: *Petrus est homo*, & tamen falsum est dicere, quod subiectum illius propositionis est illius prædicatum. Ad confirmationem, distinguo maiorem universale est unum, realiter potens identificari cum mul-

multis realiter distinctis, nego maiorem: est vnum per rationem potens identificari cum multis realiter distinctis, concedo maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Ad probationem minoris dico, quod plura realiter distincta non possunt identificari cum tertio realiter vno, & indivisibili, bene vero cum tertio vno tantum per rationem, & realiter multiplici. Hoc autem habet universale cum multis identificatum, v. g. homo, qui est vnus per rationem, realiter tamen multiplex; unde cum illo bene possunt realiter identificari plura realiter distincta.

7 Ad augmentum respondeo, distinguendo maiorem: totum actuale nequit predicari de parte, concedo maiorem: totum potentiale, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Itaque totum actuale est, quod actu includit suas partes, v. g. totum physicum, & totum integrale, quæ quidem non possunt predicari de suis partibus, nam falsum est dicere: *anima est homo: brachium est homo*. Totum vero potentiale est, quod non includit actu suas partes, sed tantum in potentia, v. g. animal, quod quidem dividitur in hominem, & equum tanquam in partes potentiales, & obiectivas, quin illas actu includat, sed tantum in potentia; & huiusmodi totum bene po-

test predicari de qualibet parte; quia predicatur secundum id, quod actu includit, in quo nihil dicit, quod cuilibet parti non conveniat, nullamque partem excedit, sed cum qualibet adæquatur.

8 Obijcies secundo: Ideo darentur res universales, quia scientiæ non sunt de singularibus; sed hoc est falsum: ergo. Minor probatur: nam de obiectis, de quibus possunt formari propositiones æternæ, & necessariæ veritatis, possunt dari scientiæ; sed de singularibus possunt formari propositiones necessariæ, & æternæ veritatis: ergo. Minor patet, quia hæc propositio: *Petrus est visibilis, admirativus, mortalis, &c.* est æternæ veritatis.

9 Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: de singularibus sub ratione individuali, & singulari, nego minorem: de singularibus sub ratione communi, concedo minorem, & nego consequentiam. Ad probationem dico, quod de singularibus sub ratione singulari non possumus formare propositiones demonstrabiles, quia ad hoc erat necessarium cognoscere differentiam individualem cuiuslibet individui, quod quidem nobis impossibile est, quia quantumcumque illud penetremus, nunquam in illo cognoscere possumus, quod

quod non possit esse commune cum altero. Aliquando enim accidit, duos fratres adeo simillimos in omnibus accidentibus nasci, ut inter illos, nec Parentes discernere possent, unde Poeta de duobus fratribus sic 10. Aeneidos cecinit.

Daucia Laridis, Timberque simillima proles.

Indiscreta suis, gratusque Parentibus error.

Igitur de nullo individuo ut tali, & prout ab omnibus alijs distincto, nihil certum demonstrare possumus. Ad propositiones allatas in argumento, dico, quod esse risibilem non praedicatur de Petro sub ratione singulari, sed sub ratione hominis sibi, & alijs communi, & universali.

10 Quod si dicas: Hae propositio *Petrus est individuum*, verificatur de Petro sub ratione individuali; & tamen est necessaria: ergo. Respondeo distinguendo maiorem: verificatur de Petro sub ratione individuali, ut convenit cum alijs differentijs individualibus, concedo maiorem: ut distincta ab illis, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia etiam Paulus, & alij sunt individui, unde hoc non est speciale, sive singulare in Petro, sed commune cum alijs.

Sed dices, quid dicendum est de hac propositione: *Petrus est hoc individuum*, Res-

pondeo, quod etiam de Paulo verificatur quod sit hoc individuum. Deinde dico, quod licet illa propositio sit necessaria, & de singulari ut talia tamen nec ipsa demonstrari potest, quia in ea non praedicatur aliqua passio, sed sola essentia individui, nec ex illa aliquid peculiare potest demonstrari de Petro, quod de alijs etiam demonstrari non possit, cum quodlibet sit etiam hoc singulare individuum.

Probatur conclusio contra Recentiores Societatis.

II **P**LVRES Recentiores Societatis, de quorum

numero sunt Hurtado, Arriaga, Tellez, Oviedo, Quiros, Bonae spei, Franciscus Alphonsus, & Peinado, quia negant praecisiones obiectivas, ut consequenter procedant, asserunt in praesenti, non dari ex parte obiecti universale in essendo prout a cognitione distinctum, sed illud formaliter consistere praecise in cognitione confusa omnium singularium, & ipsis singularibus, ita ut universale importet de materiali omnia singularia, & de formali cognitionem confusam illorum. Contra hanc ergo sententiam, sequens probatur conclusio.

12

Dico secundo. *Dan*
Ea

tur universale in essendo ex parte obiecti ab actu intellectus adæquate distinctum. Probatum primo: datur universale in essendo, ab universali in representando adæquate distinctum; sed actus intellectus, de quo loquimur in presenti, scilicet cognitio confusa singularium, est universalis in representando: ergo datur universale in essendo ab eo adæquate distinctum. Cetera patent. Maior probatur: nam iuxta dicta conclusionem præcedenti, & iuxta communem philosophorum sententiam, præter universale in representando, datur universale in essendo; sed quod datur præter universale in representando, adæquate distinguitur ab universali in representando: ergo datur universale in essendo adæquate distinctum ab universali in representando.

13 Confirmatur primo: Aliquod datur universale formaliter præter illud, quod Nominales fatebantur dari; sed Nominales fatebantur dari cognitionem confusam singularium, & ipsa singularia: ergo aliquod datur universale, quod præcise non consistat in cognitione confusa, & singularibus; & consequenter dabitur universale distinctum ab illa. Confirmatur secundo: ultra cognitionem confusam præcise dantur singularia in adversarium sententia; sed cognitio con-

fusa est universalis in representando: ergo præter universale in representando iuxta adversarios, præcise dantur singularia: non ergo dabitur universale in essendo. Urgetur: universale in essendo, quod admittunt contrarij, constituitur formaliter per universale in representando, scilicet per cognitionem confusam; sed nihil distinguitur formaliter ab eo, per quod formaliter constituitur: ergo universale in essendo, quod admittunt contrarij, non distinguitur formaliter ab universali in representando: ergo non admittunt aliud universale formaliter ab universali in representando. Quod si ita est, cum Nominalibus sunt recensendi.

14 Secundo probatur conclusio: Per hanc cognitionem homo representatur aliquid universale; sed quod representatur per cognitionem se tenet ex parte obiecti, & adæquate distinguitur ab illa: ergo datur universale se tenens ex parte obiecti, & adæquate distinctum à cognitione. Maior probatur: per hanc cognitionem homo non representantur immediate singularia omnia: ergo representatur immediate aliquid universale. Antecedens probatur per hanc cognitionem homo representatur immediate aliquid affirmabile de Petro; hæc enim est vera propositio: Petrus est

est homo; sed singularia omnia non possunt affirmari de Petro: ergo per hanc cognitionem homo, non representantur immediate singularia.

Mihi sic arguenti respondebat quis, distinguendo maiorem: per hanc cognitionem homo representatur aliquid affirmabile de Petro intensive, concedebat maiorem: de Petro extensive, negabat maiorem, & distincta minori eodem modo, consequentiam. Licet enim, aiebat ille, omnia singularia extensive, & quoad numerum non prædicentur de Petro, tamen, omnia intensive, & quoad essentiam de illo possunt prædicari, quia omnia intensive, & quoad essentiam non sunt plura, sed vnum tantum.

15 Sed contra est: quia hic conceptus homo representat immediate aliquid prædicabile de Petro; sed omnia singularia intensive, & quoad numerum non possunt prædicari de Petro: ergo non representat immediate omnia singularia extensive, & quoad numerum: ergo solum illa representat intensive, & quoad essentiam; sed iuxta solutionem intensive, & quoad essentiam non sunt plura, sed vnum: ergo non representat immediate plura, sed vnum affirmabile de pluribus: ergo ex parte obiecti representat vnum affirmabile de pluribus, & conse-

quenter datur universale ex parte obiecti à cognitione distincta.

16 Secundo alij respondent, quod per hanc cognitionem homo, representatur aliquid prædicabile, non secundum se totum, sed secundum aliquam sui partem, de Petro, & hoc esse omnia singularia, quæ secundum aliquam sui partem possunt de Petro prædicari. Sed contra primam hæc prædicatio: *Petrus est homo* est vera; sed si illa vox homo significat aliquid quod tantum est affirmabile de Petro secundum aliquam sui partem, & non secundum se totum; erit falsa: ergo illa vox homo significat aliquid secundum se totum affirmabile de Petro, & consequenter non significat immediate singularia. Minor probatur: ideo enim hæc propositio: *anima est homo*, vera non est; quia prædicatum tantum est affirmabile de subiecto secundum aliquam sui partem, non vero secundum se totum: ergo si hæc vox homo significat omnia singularia, quæ tantum secundum aliquam sui partem sunt affirmabilia de Petro, erit etiam similiter falsa.

17 Urgetur: ut aliqua propositio vera sit, est necessarium, quod totum significatum ex parte prædicati conveniat subiecto, unde hæc est falsa: *anima est homo*; & similiter

hac? Petrus est omnis homo; sed si illa vox homo significat omnia singularia in hac propositione: Petrus est homo, non convenit subiecto totum significatum ex parte prædicati, sed tantum aliqua pars illius: ergo erit propositio falsa.

18 Contra secundo: Juxta solutionem, ut aliquid sit universale, sufficit, quod possit prædicari de quolibet inferiori secundum aliquam sui partem; sed totum integrale, v. g. tota aqua maris, potest prædicari de qualibet parte quoad aliquam sui partem: ergo totum integrale erit universale respectu cuiuslibet partis, v. g. tota aqua maris respectu cuiuslibet guttæ, quod quidem est confundere totum integrale, cum toto universali, & potenti, & partes obiectivas cum partibus subiectivis.

Solvuntur argumenta.

19 **A**RGVES Primo: Per hanc vocem homo immediate significantur singularia: ergo ex parte obiecti non correspondet aliquid universale: ergo non datur universale ex parte obiecti à cognitione distinctum. Probatur antecedens: per hanc vocem homo significatur aliquid potens existere à parte rei, sed sola singularia existunt à parte rei: ergo per hanc vocem homo sola singularia representantur.

Confirmatur: universale non potest dari à parte rei, sed per hanc vocem homo significatur aliquid potens existere à parte rei: ergo per illam non significatur ex parte obiecti aliquid universale.

20 Respondeo; negando antecedens. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: per hanc vocem homo significatur aliquid potens existere à parte rei, quoad modum sub quo significatur, nego maiorem: potens existere à parte rei quoad rem significatam, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam; quia per hanc vocem homo significatur homo solus, & præcisus à differentiis, qui quidem, licet non possit existere à parte rei quoad modum præcisionis, & solitudinis, potest tamen existere à parte rei quoad rem significatam, quæ est natura hominis, quia potest identificari cum singularibus, & tunc cum ipsis existere realiter.

21 Ex quo patet ad confirmationem, distinguendo maiorem: universale non potest existere à parte rei quoad universalitatem, concedo maiorem: quoad rem, quæ universalis denominatur, nego maiorem, & distinguo minorem, ut supra, & nego consequentiam; quia universale duo importat, scilicet, ipsam rem, seu naturam, quæ universalis denominatur.

itemque ipsam universalitatem; res, sive, natura repræsentatur signatè, & per modum rei, potestque realitèr existere, universalitas vero significatur exercite tanquam modus ipsius naturæ, nequitque existere à parte rei.

22 Argues secundo: hæc vox *homo* est terminus communis; sed terminus communis est, qui significat plura divisim: ergò hæc vox *homo* immediate significat plura, & non unum. Respondeo, negando consequentiam; quia significare plura divisim, non est immediate significare plura, sed significare unum seorsim affirmabile de pluribus, ut diximus in minori Dialectica.

23 Obijcies tertio: hæc vox *animal* immediatè significat animal; sed animal formalitèr dicit omnes species, v. g. hominem, & leonem, &c. ergò illa vox *animal* immediatè significat omnes species: ergò similiter hæc vox *homo* immediatè significabit omnia individua. Minor probatur: animal est totum divisibile in suas species tanquam partes; sed totum nihil aliud formalitèr dicit, quam partes: ergò animal formalitèr dicit omnes species. Respondeo, negando minorem. Ad cuius probationem distinguo maiorem: animal est totum divisibile, &c. totum (inquam) potentiale, concedo maiorem; totum actuale,

nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia totum potentiale non dicit, nec includit actualitèr suas partes (hæc enim est proprium totius actualis) sed tantum est in potentia ad illas. Animal vero non est totum actuale divisibile in suas species tanquam in partes subiectivas, sed totum potentiale divisibile in suas species tanquam in partes obiectivas; unde illas actualitèr non includit, sed ab illis obiective distinguitur.

24 Denique obijcies: Non datur unum ex parte obiecti affirmabile de pluribus: ergò non datur universale in essendo ex parte obiecti. Antecedens probatur; quia illud unum esset identificatum cum quolibet singulari, & consequentèr cum Petro; sed quod identificatur cum Petro nequit de pluribus affirmari; ergò non datur unum affirmabile de pluribus.

Confirmatur: hæc vox *homo* significant aliquid affirmabile de Petro: ergò significat aliquid identificatum cum Petro, quia solum potest affirmari de Petro, quod cum illo realitèr identificatur; sed quod identificatur cum Petro non est affirmabile de Paulo: ergò illa vox *homo* non significat aliquid affirmabile de Petro, & Paulo, & consequentèr nec de pluribus.

25 Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: esset identificatum actu cum quolibet singulari, nego maiorem in potentia, concedo maiorem, & distincta minori, nego consequentiam, quia homo, v. g. ex se, & obiective præcisus à singularibus non est actu identificatus cum Petro, nec cum Paulo, sed actu ab illis distinctus, est tamen in potentia ut identificetur cum illis, in quo nullum est inconueniens, quia licet idem realiter non possit identificari cum pluribus realiter distinctis, idem tamen, siue vnum per rationem, & obiective, bene potest esse in potentia ut identificetur cum pluribus.

26 Ex quo patet ad confirmationem, concesso antecedenti, distinguendo primum consequens: significat aliquid identificatum actu, & obiective, nego consequentiam; in potentia, & realiter, concedo consequentiam; & ad minorem subsumptam, distinguo similiter: quod identificatur in actu, & obiective cum Petro, nequit affirmari de Paulo, concedo minorem: quod identificatur realiter tantum, subdistinguo: illud idem realiter, concedo: illud idem obiective, nego minorem, & consequentiam; quia homo, v. g. ex suo conceptu obiectivo actu non est idem cum Petro, sed ab illo præscindit, vnde est indifferens ut affirmetur de Pau-

lo quod si realiter identificatur cum Petro, ex hoc solum sequitur, quod idem realiter homo non possit affirmari de Paulo, non autem quod idem obiective homo non possit affirmari de Petro, & Paulo; quia idem obiective, & per rationem potest esse multiplex, & diversum realiter.

QUESTIO X.

In quo consistat & per quem actum intellectus fiat universale metaphysicum.

VUNIVERSALE In essendo dividitur in metaphysicum, & logicum. Universale metaphysicum est natura secundum se vna, abstractaque à singularibus. Universale logicum est natura sic abstracta, & ulterius respiciens inferiora, ut apta ad essendum in illis. In presenti igitur de universali metaphysico inquiremus in quo consistat, & per quem actum fiat? Id ipsum postea de universali logico discursuri. Sit ergo:

Prima conclusio.

2 **D**ICO Primo: *Universale metaphysicum nec fit, nec constituitur formaliter per cognitionem confusam singularium omnium. Est communis Thomistarum, contra R.R. relatos questione præceden-*

cedenti in secunda conclusione; & probatur breviter: Nam universale in essendo, quale est metaphysicum, se tenet ex parte obiecti, & adaequatè distinguitur à cognitione confusa, ut vidimus quaestione iam citata; sed per cognitionem confusam non fit, nec constituitur universale ex parte obiecti, adaequatè distinctum ab illa: ergò universale metaphysicum non fit, nec constituitur formaliter per cognitionem confusam omnium singularium. Minor, quae sola difficilis est, patet: quia cognitio confusa tantum attingit ex parte obiecti singularia: ergò per illam non fit universale ex parte obiecti, nec item potest per illam constitui, cum sit adaequatè distinctum ab illa.

3. Secundo probatur: quia universale metaphysicum est natura una positive, & à singularibus abstracta; sed per cognitionem confusam natura non fit una positive, nec à singularibus abstrahitur: ergò per illam nec fit, nec constituitur formaliter universale metaphysicum. Maior apud omnes est certa. Minor vero probatur: Quia per cognitionem representantem pluralitatem, & divisionem naturae non fit natura una positive, nec abstrahitur à singularibus, dum singularia cognoscuntur; sed per cognitionem confusam representatur pluralitas, & divisio naturae, cum represententur singularia, per quae for-

maliter dividitur, & plurificatur: ergò per illam natura non fit una positive, nec à singularibus abstrahitur.

4. Nec sufficit si dicas, quod licet cognoscantur singularia ex parte obiecti, cognoscuntur tamen confuse, & per modum unius, quod sufficit ut fiant unum per ipsam cognitionem, non quidem unitate intrinseca, sed extrinseca ab ipsa cognitione desumpta. Nò inquam valet: Nam per hanc cognitionem *civitas*, vel *exercitus*, cognoscuntur plures cives, & plures milites per modum unius; & tamen per illam *exercitus*, aut *civitas* non fiunt natura universalis respectu civium, aut militum: ergò idem dicendum est de cognitione confusa singularium.

5. Deinde: Quia vel ex cognitione confusa resultat in obiecto aliqua unitas rationis, & hoc negant adversarij: vel ipsa cognitio est formaliter ipsa unitas, per quam natura constituitur una, & hoc est falsum, quia cognitio est realis, & naturae unitas non est realis, alias enim daretur à parte rei: ergò praedicta cognitio confusa nullo modo reddit naturam unam. Vigetur: talis cognitio sumpta entitative non reddit naturam unam, ut fatentur contrarij; alias nec sumpta representative: ergò nullo modo. Minor probatur: quia cognitionem sumptam representative reddere naturam

vnam; est representare in illa unitatem; sed iuxta adversarios, talis cognitio non representat in natura unitatem: ergo.

Secunda conclusio.

DICO Secundo: *Natura non fit universalis metaphysice per abstractionem intellectus agentis.* Pro intelligentia nota, duplicem dari in nobis intellectum, scilicet, intellectum agentem, & intellectum possibilem, sive, ut alij aiunt, intellectum passibilem. Intellectus agens est ille, qui educit ex phantasia species impressas obiectorum, & illas immitit intellectui possibili. Intellectus autem possibilis est ille, qui accipit predictas species, & medijs illis intelligit obiecta per eas representata; unde intellectus agens nihil intelligit, aut cognoscit, sed solum producit species necessarias ad intelligendum; intellectus vero possibilis non producit tales species, sed illis presuppositis intelligit obiecta.

7 Ex quo colliges, duplicem dari abstractionem naturæ ab inferioribus: & abstractionem intellectus agentis, quæ consistit in productione speciei representantis naturam absque individuo, & abstractionem intellectus possibilis, quæ consistit in cognitione naturæ, non cognitis individuis. Quo supposito.

8 *Probatum postea conclusio:*

primo ex D. Th. sæpe sæpius asserente, universale esse unum unitate cognitionis; sed per abstractionem intellectus agentis non accipit natura unitatem cognitionis, cum ille non sit cognoscitivus: ergo. Secundo: universale metaphysicum non existit ante cognitionem intellectus; sed si fieret per actionem intellectus agentis, existeret ante cognitionem intellectus: ergo universale metaphysicum non fit per actionem intellectus agentis. Maior patet: quia universale metaphysicum non existit à parte rei; quod autem existit ante cognitionem existit à parte rei. Minor vero probatur: quia actio intellectus agentis præcedit cognitionem: ergo si per actionem intellectus agentis fieret universale metaphysicum, existeret ante cognitionem; hoc est impossibile: ergo.

9 Tercio: *Universale metaphysicum est natura una unitate rationis; sed per abstractionem intellectus agentis non fit natura una unitate rationis: ergo per illam non fit universale metaphysicum.* Maior patet ex dictis, & constabit ex dicendis. Minor vero probatur: per abstractionem intellectus agentis non existit unitas rationis: ergo per illam non fit natura una unitate rationis. Probo antecedens; Unitas rationis non potest existere, nisi obiective in intellectu, sicut ens rationis; sed

sed per actionem intellectus agentis non existit obiective in intellectu: ergo per actionem intellectus agentis non existit unitas rationis. Minor, quæ sola difficilis est, probatur: existere obiective in intellectu est cognoscere; sed per actionem intellectus agentis nihil cognoscitur, cum talis intellectus cognoscitivus non sit: ergo per actionem intellectus agentis non existit obiective in intellectu unitas rationis.

10 Dices, universale metaphysicum non constitui per unitatem rationis, aut fictam in natura, sed per unitatem realem extrinsecam desumptam per denominationem extrinsecam ab actione intellectus agentis, seu ab specie per illam producta; quia sicut per illam denominatur extrinsece abstracta à differentijs individualibus, ita per illam denominatur extrinsece una. Sed hæc doctrina, licet conformis valde Iesuitis constituentibus universalitatem, distinctionem, & unitatem rationis per denominationem extrinsecam ab actu intellectus, sive distinguente, sive abstrahente desumptam; in consequens valde est placitis Thomistarum contraria via gradientium: ideoque impugnanda venit eisdem principijs, quibus supra impugnata relinquimus distinctionem rationis extrinsecam, sive realem intentionalem desumptam per denominationem extrinsecam ab actu intellectus,

cum tract. 1. quest. 5. num. 23. tum in præsentis quest. 5. n. 25: ideo enim contra Iesuitas ibi probamus, quod natura non constituitur formaliter, & in facto esse distincta ab inferioribus per actum intellectus, quia actus intellectus solum repræsentative, & non entitative distinguit naturam, & quia repræsentat illam ut distinctam ex parte obiecti; sed etiam species producta ab intellectu agente solum repræsentative, & non entitative unificat naturam; quatenus repræsentat illa sine divisione, & pluralitate ex parte obiecti: ergo natura non constituitur formaliter, & in facto esse una per talem actionem.

11 Secundo: quia unitas universalis metaphysici, sive sit negativa, sive positiva, iuxta omnes Philosophos negantes universale à parte rei, appellatur unitas rationis; sed dicere, quod unitas rationis est unitas realis extrinseca, est confundere unitatem rationis cum unitate reali; sicut dicere quod distinctio rationis est realis extrinseca, est confundere distinctionem rationis cum distinctione reali: ergo. Tertio: quia si sufficeret unitas realis extrinseca ad universale metaph. cur etiam non sufficeret respectus realis extrinsecus ad universale logicum? cur etiam omnia instrumenta logica non constituerentur per denominationem realem extrinsecam ab actibus intellectus de-

sump-

sumptam? Sane non minus requiritur ad universale metaphysicum unitas naturæ, siue positiva, siue negativa, quam ad universale Logicum respectus naturæ ad inferiora: ergo si ad illud sufficit unitas realis extrinseca, pariter ad hoc sufficit respectus realis extrinsecus: Sed hoc est contra omnes Thomistas, qui tales respectus, utpote obiectum formale Logicæ, asserunt esse ens rationis obiectivum: ergo.

12. Quarto: Quia si sufficeret unitas realis extrinseca ad universale metaphysicum, sequeretur, naturam humanam, ut contentam in Omnipotentia, esse à parte rei universale metaphysicum, siquidem in Omnipotentia habet unitatem extrinsecam: sic similiter omnia sublunaria, ut contenta in virtute solis, essent universale metaphysicum, siquidem in illo tanquam in sua causa habent unitatem extrinsecam; sed hoc est inauditum: ergo.

13. Dices, universale metaphysicum esse universale in essendo; hoc autem non posse constitui per unitatem realem extrinsecam in causa, quia per hanc solum constituitur universale in causando. Sed contra: quia universale in essendo non minus distinguitur ab universali in representando, quam ab universali in causando; sed quia distinguitur ab universali in causando

nequit constitui per unitatem realem extrinsecam à causa universali desumptam: ergo quia distinguitur ab universali in representando nequit constitui per unitatem realem extrinsecam ab specie universali in representando; desumptam. Vide infra conc. 5.

14. Sed obijcies primo ex D. Thom. qui opusculo 55. asserit, quod *Natura fit universalis per actionem intellectus eam depurantis à conditionibus singularibus, vel individualibus*: sed intellectus agens est qui sic depurat naturam à conditionibus individualibus: ergo per actionem intellectus agentis fit universale metaphysicum. Respondeo explicando D. Thom. natura fit universalis per actum intellectus eam depurantis à conditionibus individualibus, fit (in quam) formaliter, & in actu secundo, nego maiorem: initiativè tantum, & in actu primo, concedo maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia licet intellectus agens producat speciem impressam spiritualem, & depurata à materia, per hoc præcise non resultat in actu secundo, & formaliter universale, sed postea intellectus possibilis determinatus per illam speciem cognoscit naturam absque individuis, & sic illam facit formaliter, & in actu secundo universale metaphysicum; unde per actionem intellectus agentis solum initiati-

ve, & in actu primo fit prædictum universale.

15 Obijcies secundo: Per actionem intellectus agentis producitur species repræsentans naturam sine individuis; sed per talem speciem fit natura universalis metaphysicè: ergò per actionem intellectus agentis fit universale metaphysicum. Minor, in qua stat difficultas, probatur primo: quia non alia ratione per cognitionem intellectus possibilis natura fit universalis metaphysicè, nisi quia per talem cognitionem repræsentatur natura sine individuis; sed per speciem productam ab intellectu agente repræsentatur natura absque individuis: ergò per illam fit universale metaphysicum. Secundo probatur minor: per talem speciem impressam fit natura una: ergò, & universalis metaphysicè. Probo antecedens: naturam existere sine individuis, est fieri unam; sed per talem speciem natura existit sine individuis: ergò per talem speciem fit natura una. Probo minorem: per talem speciem natura est præsens sine individuis: ergò existit sine illis. Probatur antecedens: per talem speciem natura repræsentatur sine individuis; sed repræsentari est fieri præsens: ergò per talem speciem natura fit præsens sine individuis.

16 Respondco, concessa majori, negando minorem.

Ad cuius probationem, distinguo causalem: quia repræsentatur exercite, & in actu secundo sine individuis, concedo causalem: quia repræsentatur utcumque, nego causalem, & consequentiam; quia per speciem impressam productam ab intellectu agente solum repræsentatur natura sine individuis in actu primo, ac vero per notitiam expressam intellectus possibilis, sive per cognitionem repræsentatur exercite, & in actu secundo natura sine individuis.

17 Ad secundam probationem minoris, nego antecedens. Ad cuius probationem, concessa majori, nego minorem. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: per talem speciem natura repræsentatur sine individuis in actu secundo, nego maiorem: in actu primo, concedo maiorem, & minorem, & distinguo consequens distinctione maioris; quia licet per talem speciem natura repræsentetur sine differentiis individualibus, ex hoc solum sequitur, quod sit universalis, & una eo modo, quo repræsentatur; cum autem solum in actu primo repræsentetur natura per speciem productam ab intellectu agente; inde est, quod ex vi illius solum, est universalis possibiliter; ut autem fiat universale, est necessarium, quod existat exercite per actionem, qua fit. Et in isto argumentum: per hanc scripturam homo posita

tam in libro clauso, repræsentatur homo sine differentijs: ergò per illam fit universale? Mala consequentia, quia per talem scripturam solum repræsentatur homo sine differentijs aptitudinaliter, & in actu primo, non autem actu, & exercitio; sic similiter nos dicimus de specie producta ab intellectu agente.

Tertia conclusio.

18 **D**ICO Tertio: *Natura fit universale metaphysicum per abstractionem intellectus possibilis, tam positivam, quam negativam: Abstrahitur natura ab individuis, negative, quando cognoscitur sola natura, nulla facta mentione de individuis. Tunc autem abstrahitur natura positive ab inferioribus, quando cognoscitur natura, & cognoscuntur inferiora; verumtamen natura cognoscitur, ut præcisa, distincta, & separata ab inferioribus. Quo supposito, certum est apud omnes, naturam fieri universale per abstractionem positivam, quia per illam natura positive separatur ab individuis, sive differentijs, ac per consequens remanet una positivè, aptaque ut comparatur ad plura; in quo consistit universale metaphysicum.*

19 Quoad secundam vero partem probatur: Universale metaphysicum est natura una positivè; sed per abstra-

tionem negativam fit natura una positiva: ergò per illam fit universale metaphysicè. Probatur minor: per actionem, per quam existit natura sine individujs, fit una positivè; sed per abstractionem negativam existit obiectivè natura sine individujs: ergò per illam fit una positivè. Maior est certa, & minor patet: quia existere naturam obiectivè sine individujs, est cognosci naturam, non cognitis individujs; sed per abstractionem negativam cognoscitur natura, non cognitis individujs: ergò per illam existit obiectivè sine individujs. Confirmatur: si natura existeret à parte rei sine differentijs, esset universale; sed per abstractionem negativam existit obiectivè in intellectu sine differentijs: ergò per illam fit obiectivè in intellectu universale.

20 Sed obijcies primo contra secundam partem conclusionis: Natura abstracta negative non est universale metaphysicum: ergò per abstractionem negativam non fit universale metaphysicum. Antecedens probatur: natura abstracta negative, non est una positivè; sed universale metaphysicum est natura una positivè: ergò natura abstracta negative non est universale metaphysicum. Maior probatur natura abstracta negative, est natura secundum se; sed natura secundum se non est una positivè; ergò natura

abstracta negativè, non est vna positivè. Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem nego maiorem. Ad cuius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: natura secundum se non est vna positivè; ly *secundum se* determinante compositionem, concedo minorem: ly *secundum se* determinante subiectum, nego minorem, & consequentiam. Itaque naturam secundum se esse vnam positivè potest dupliciter intelligi, videlicet, vel ita ut ly *secundum se* determinet compositionem, vel ita ut determinet subiectum. Primo modo facit hunc sensum: *natura est essentialiter, & secundum se vna positivè*, in quo sensu fatemur quod est falsa, & eius contradictoria vera. Secundo autem modo facit hunc sensum: *natura secundum se sumpta, & solitarie accepta, est vna positivè*, & in hoc sensu verissima est, & eius contradictoria falsa, quia natura secundum se, & solitarie accepta, est natura separata, & divisa à differentiis, ac per consequens positivè vna.

21 Sed replicabis: Eo modo natura est vna, quo est distincta, & divisa à differentiis; sed per abstractionem negativam non redditur natura distincta, & divisa à differentiis positivè, sed tantum negativè: ergo non redditur vna positivè, sed tantum negativè.

Minor patet, quia eo tantummodo natura distinguitur, & dividitur à differentiis, quo ab illis abstrahitur. Respondeo, distinguendo maiorem: eo modo est vna, quo est distincta, & divisa ex parte sua à differentiis; concedo maiorem: quo est distincta, & divisa à differentiis ex parte differentiarum, nego maiorem: & distincta minori, eodem modo, nego consequens. Ad probationem minoris, dico, quoque abstractio negativa non dicitur talis, quia natura ex parte sua non reddatur positivè abstracta, & separata à differentiis, sed dicitur negativa ex parte differentiarum, quæ obiective non existunt, idemque dicimus de distinctione, & divisione ex ipsa abstractione resultante, est enim distinctio, seu divisio ex parte naturæ positivæ, ex parte differentiarum negativa; sufficit autem quod sit positivè ex parte naturæ, ut natura sit positivè vna. Quod quidem probari potest: nam si natura existeret à parte rei non-existentibus differentiis, tunc natura ex parte sua positivè distingueretur, & esset divisa à differentiis, licet ex parte illarum negativè, quod quidem sufficeret ut esset vna positivè, idem igitur accidit obiective per abstractionem negativam, quia per illam existit obiective natura, non-existentibus obiective differentiis.

22 Obijcies secundo: **U**niversale metaphysicum est fundamentum proximum universalis logici; sed per abstractionem negativam non ponitur fundamentum proximum universalis logici: ergo per illam non fit universale metaphysicum. Minor probatur: Non datur fundamentum proximum universalis logici, nisi cognoscantur inferiora; sed per abstractionem negativam non cognoscuntur inferiora: ergo per illam non ponitur fundamentum proximum universalis logici. Maior probatur: Tunc natura fit universalis logicè, quando comparatur ad plura inferiora; sed nisi cognoscantur inferiora non datur fundamentum proximum, ut natura comparatur ad inferiora: ergo nisi cognoscantur inferiora, non datur fundamentum proximum ad universale logicum. Minor probatur primo: quia intellectus non potest comparare naturam ad ea, quæ non cognoscit. Secundo: quia non cognitis inferioribus, ignoratur eorum possibilitas; sed ignorata eorum possibilitate, non datur fundamentum, ut natura comparatur ad illa, ut videbimus sequenti tract. ergo nisi cognoscantur inferiora, non datur fundamentum, ut natura comparatur ad illa. Tertio, quia non cognitis inferioribus, natura manet indifferens, ut comparatur ad hæc inferiora, vel

ad alia: v.g. album abstractum manet indifferens, ut comparatur ad inferiora subiecti per modum accidentis, vel ad inferiora formæ per modum speciei: similiterque animal negativè abstractum manet indifferens, ut referatur ad hoc, & illud animal per modum speciei, vel ad hanc, & illam speciem per modum generis; sed natura sic indifferens non potest esse fundamentum proximum, ut comparatur ad inferiora, quia non est determinata potius ad hæc inferiora, quam ad alia: ergo.

23 Respondeo notando, quod duplex potest excogitari natura, una ex se, & ab intrinseco multiplicabilis; quæ scilicet, ex suis prædicatis essentialibus exigat plura inferiora possible, qualis est natura quælibet materialis ex conceptu talis. Altera, quæ ex se, & ab intrinseco non sit multiplicabilis, nec ex suis prædicatis essentialibus exigat plura inferiora possible. Ad hoc ut natura primi generis fiat logicè universalis, sufficit pro fundamento, quod cognoscatur sola natura, licet non cognoscantur inferiora; quia cum ipsa natura ex se inferat possible inferiora, ex se præbet intellectui fundamentum sufficiens, ut ad illa comparatur ut apta ad essendum in illis. Natura vero secundi generis præcisè cognita, & non cognitis inferioribus, non præbet intellectui sufficiens funda-

damentum vt comparetur ad illa, sed vterius requiritur, quod intellectus inquirat an reuera sint possibilia, vel impossibilia: & si ea inuenit possibilia, tunc datur sufficiens fundamentum vt comparetur ad illa; si autem ea inuenit esse impossibilia, remanet natura incapax, vt referatur ad illa, vt apta ad essendum in illis. Quo supposito.

24 Distinguo maiorem: Vniuersale metaphysicum, in natura ab intrinseco multiplicabili, est fundamentum proximum vniuersalis logici, concedo maiorem: in natura quæ, ab intrinseco non sit multiplicabilis, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Ad probationem minoris eadem distinctione respondeo, quod, scilicet, in natura ab intrinseco multiplicabili, licet non cognoscantur inferiora, datur sufficiens fundamentum vt fiat logicè vniuersalis, & vt comparetur ad illa, quia ipsa ex se infert possibilitatem inferiorum, secus autem si ab intrinseco non sit multiplicabilis. Ad primam autem probationem vltimæ minoris, quatenus doctrinæ traditæ contradicit, respondeo, quod intellectus nequit comparare naturam ad ea, quæ non cognoscit nec ante comparisonem, nec per ipsam comparisonem, potest tamen comparare naturam ad ea, quæ non cognoscit ante comparisonem, dummodo ea

cognoscat per comparisonem, vt patet quando ex essentia cognita infert aliquam proprietatem antea occultam, tunc enim in actu exercito comparatur essentia ad proprietatem per ipsam illationem, quin præcesserit cognitio proprietatis: ita ergo potest intellectus cognoscendo naturam materiale, ex eo præcisè, quod est materialis, cognoscere illam vt aptam ad essendum in multis, quin præcesserit cognitio illorum multorum, quia cognoscuntur ex vi ipsius comparationis.

25 Ad secundam probationem, distinguo maiorem: non cognitis inferioribus, ignoratur eorum possibilitas, si natura ab intrinseco non sit multiplicabilis, concedo maiorem si sit ab intrinseco multiplicabilis, subdistinguo: ignoratur in se ipsa, concedo maiorem: in medio cum illa concesso nego maiorem. Et distinguo minorem: ignorata eorum possibilitate in se, & in medio cum illa connexo, concedo minorem: in se, non tamen in medio, nego minorem, & consequentiam in sensu iam dicto, scilicet de natura ex se multiplicabili. Itaque quando natura ex se est multiplicabilis, infert possibilitatem inferiorum, vnde ipsa cognita, quamvis ignoraretur possibilitas inferiorum, in se ipsis, non tamen ignoratur in medio eum illa connexo, & hoc sufficit vt possit natura comparari ad in-

se.

teriora; sicut antequam intellectus inferat proprietatem ex essentia; illam ignorabat in se ipsa, non tamen in medio cum illa connexo, & hoc sufficit, ut postea per illationem comparet essentiam ad proprietatem; sic similiter in nostro casu.

26 Ex quo obiter inferatur solutio cuiusdam questionis, in qua moderni solent interrogare, an natura ab unico individuo abstracta, sit, vel possit esse universalis? Respondeo enim, quod quando natura ab intrinseco exigit plura inferiora possible, sufficit, quod ab uno abstrahatur, ut fiat universalis; quia huiusmodi natura ex se infert inferiora possible, ac per consequens ex se præbet intellectui fundamentum sufficiens, ut illam comparet ad plura, ut aptam ad essendam in illis. Si vero natura ab intrinseco non petat plura inferiora possible, tunc casus non sufficit quod ab uno abstrahatur, ut fiat universalis, quia est necessarium ut prius cognoscantur inferiora possible, ut natura ut ab illis abstracta comparetur ad illa, & fiat universalis, unde requiritur quod abstrahatur à multis

27 Ad tertiam denique probationem, concessa maiori, nego minorem; quia ut natura sit fundamentum proximum universalis logici non requiritur, quod sit alligata, & determinata ad hæc inferiora, præ illa, nec ad hanc comparatio-

nem, præ illa, sed sufficit quod sit proxime capax, ut referatur ad inferiora, sive ad hæc, sive ad illa, sive per hanc, sive per illam comparisonem; quia eo ipso est proxime capax, ut fiat universale logicum; ad hoc autem non obstat indifferentia, imò si est proximè indifferens, est proximè capax, & proxime potens fieri universale logicum.

28 Sed dices: Natura sic indifferens non est capax intentionis, aut relationis determinatæ, sed solum relationis vagæ; sed ut sit fundamentum proximum, requiritur, quod sit proxime capax intentionis determinatæ: ergo. Secundo, & urgentius: nam fundamentum proximum speciei logicæ, v. g. debet distinguî à fundamento proximo generis logici; sed non cognitis inferioribus, non distinguitur in animali; v. g. fundamentum speciei, & fundamentum generis logici; siquidem hæc distinctio nequit intelligi, nisi per connotationem ad diversa inferiora: ergo non cognitis inferioribus, non intelligitur, quod animal, v. g. sit fundamentum generis logici, potius quam speciei.

29 Respondeo negando maiorem; quia aliud est, quod natura non sit determinata ad unam intentionem præ alia, aliud quod non sit proximè capax intentionis determinatæ. Primum est verum, secundum falsum; quia proxima indiffe-

Quest. X. In quo consistat, & per quem actum, &c. 40

rentia est proxima capacitas; & sicut potest esse proxime indifferens ad hanc intentionem determinatam, ita proxime capax, licet cum indifferentia ad talem intentionem: sicut hæc papyrus est proxime capax huius scripturæ determinatæ, licet cum indifferentia proxima ad se ad istam determinatam, vel ad aliam.

²⁰ Ad secundam poterat negari maior; quia sæpe idem est fundamentum duplicis relationis specie diversæ, eadem enim albedo est proximum fundamentum relationis similitudinis ad aliam albedinem, & dissimilitudinis ad nigredinem. Et ratio est, quia relatio non specificatur à fundamento præcisè, sed à fundamento, & termino. Vel etiam respondeo distinguendo maiorem: debet distingui fundamentaliter, seu virtualiter ex parte sua, concedo maiorem actualiter, seu formaliter, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam: quia fundamentum proximum unius universalis logici non debet formaliter distinguui in esse universalis à fundamento alterius, aliàs etiam deberet formaliter constitui in esse universalis, quod repugnat fundamento ante formam: sufficit autem, quod virtualiter, seu fundamentaliter distinguatur. Ad hoc autem non requiritur actualis cognitio in-

feriorum; sed sufficit quod natura ipsa ex se, & ab intrinseco habeat vim inferendi hæc in feriora, & vim inferendi illa, per hoc enim est virtualiter, seu fundamentaliter duplex; & in quantum ab intrinseco habet vim inferendi possibilitatem inferiorum speciei, est fundamentum proximum speciei; & in quantum habet vim inferendi inferiora generis, est fundamentum proximum generis; cum autem antequam actu cognoscantur inferiora habeat vim inferendi hæc, & illa inferiora, inde est, quod antecedenter est fundamentum proximum virtualiter duplex, secundum vim inferendi inferiora diversa.

Quarta conclusio.

³¹

DICO Quartus

Natura non constituitur metaphysicè universalis per actum intellectus abstrahentem naturam, sed per unitatem rationis intrinsecam naturæ, & ex actu intellectus in ipsa resultante. Probat: universale metaphysicum non potest realiter existere: ergo constituitur formaliter per aliquid, quod nequit realiter existere. Tunc sic; sed actus intellectus abstrahens naturam realiter existit, non autem unitas rationis ex illo resultans in natura, hæc enim tantum existit objective in intellectu

66

119

ergo universale metaphysicum non constituitur formaliter tale per actum intellectus abstrahentem naturam, sed per unitatem rationis ex illo resultantem in natura.

32 Sed inquires: in quo formaliter consistat hæc unitas rationis intrinsece nature? Respondeo, quod cum natura fiat formaliter multiplex à parte rei per differentias illam dividentes, debet constitui formaliter una per carentiam illarum, unitas enim formaliter est carentia diversitatis, aut divisionis. Cum autem in natura non detur realis carentia differentiarum, sed tantum carentia obiectiva, qua obiectivè separatur, dividitur, præscinditur, & distinguitur à differentijs, inde est, quod unitas rationis formaliter consistit in prædicta carentia, sive negatione obiectiva differentiarum, quæ quidem negatio est distincta ab actu abstrahente naturam: sicut si ab homine oculum abstraheres, carentia oculi in homine resultans esset distincta ab actu oculum abstrahente.

33 Contra hanc conclusionem nihil arguitur ab adversarijs, qui communiter sunt PP. Societatis, præter ea, quæ contra carentiam, sive negationem obiectivam relatam arguebant quæst. 5. ultima obiectione, idem enim dicendum est de unitate ra-

tionis pro formali, ac de illa negatione, in illa enim formaliter consistit unitas obiectiva rationis, licet de materiali importet naturam realem: videnda igitur est ultima obiectio relatæ quæstionis, cui nihil addendum in præsentem censeo.

QUESTIO. XI.

Per quem actum fiat, & in quo consistat universale logicum?

PRO Intelligentia nota, quod in præsentem duplex distinguitur actus in intellectu, scilicet absolutus, qui cognoscit naturam sine ullo respectu, aut comparatione ad inferiora, & comparativus, qui illam cognoscit cum habitudine, & ordine ad illa, quo supposito sit.

Prima conclusio.

DICO Primo: *Universale logicum non fit per actum absolutum, sed per actum comparativum.* Est expressa D. Thom. pluribus in locis, & præcipue q. 7. de potentia art. 11. ubi ait: quod intellectus adinvenit intentiones generis, & speciei considerando ordinem eius, quod est in intellectu, ad res ad extra; sed actus qui considerat ordinem est comparativus, & ordinativus, non

non autem absolutus: ergo per actum comparativum, & non absolutum fiunt intentiones generis, & speciei, & consequenter universale logicum.

3 Deinde probatur conclusio quoad primam partem: Per actum absolutum natura precise remanere potest abstracta, & precisa à differentijs; sed natura precise abstracta, & precisa à differentijs nondum est logice universalis: ergo per actum absolutum natura non fit logice universalis. Minor probatur: natura sic abstracta est indifferens, ut fiat logice particularis, vel ut fiat logice universalis: ergo non dum est logice universalis. Antecedens probatur: nam si talis natura, v. g. homo comparatur ad genus, v. g. ad animal, est logice particularis, si vero comparatur ad individua, est logice universalis; sed natura precise abstracta à differentijs est indifferens, ut comparatur ad genus, vel ad individua: ergo est indifferens; ut fiat logice universalis, vel logice particularis. Confirmatur: color, v. g. abstractus, si comparatur ad albedinem, & nigredinem, est genus; si vero comparatur ad Petrum, & Paulum, est accidens commune: ergo antequam comparatur, nec determinate est genus, nec determinate est accidens commune: ergo nec universale logicum

Pater consequentia; quia nihil potest esse in determinato genere, quin sit in determinato specie.

4 Ultimo probatur conclusio: Per illum actum fit universale logicum formaliter tale, per quem fit forma illius constitutiva; sed forma constitutiva universalis logici non fit per actum absolutum, sed per comparativum: ergo similiter universale logicum. Minor probatur: forma constitutiva universalis logici, ut videbimus in sequentibus, est relatio rationis naturæ ad inferiora; sed relatio rationis non fit per actum absolutum, sed tantum per actum comparativum: ergo forma constitutiva universalis logici non fit per actum absolutum, sed comparativum. Minor probatur: relatio rationis solum fit per actum, per quem practice cognoscitur, sicut quodlibet ens rationis; sed relatio rationis solum practice cognoscitur per actum comparativum referentem naturam ad inferiora: ergo.

5 Ex quo inferes, non fieri universale logicum per actum abstrahentem naturam positivam ab inferioribus. Primo: quia hic actus simpliciter dicitur absolutus, & non comparativus. Secundo, quia licet per illum comparatur natura ad inferiora tantquam ad terminum à quo, non tamen comparatur ad illa tantquam ad terminum ad quod, sed universale logicum formaliter ut tale, non respicit inferiora

tanquam terminum à quo, sed tanquam terminum ad quem: ergò non fit per actum abstrahentem positivè ab inferioribus. Minor patet; quia universale logicum non dēfinitur, vnum abstractum à multis, sed vnum apertum ad essendum in multis: ergò non respicit inferiora tanquam terminum à quo, sed tanquam terminum ad quem.

6 Obijcies primo ex D. Thom. 1. part. quæst. 85. art. 2. ad 2. dicente: *Quod ad esse abstractum sequitur in natura intentio universalitatis*; sed per actum absolutum redditur natura abstracta: ergò per illum fit secunda intentio universalitatis. Respondeo, explicando D. Thom. ad esse abstractum sequitur intentio universalitatis, nullo actu intellectus mediante; nego maiorem: mediante actu comparativo intellectus, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam; quia ut verum sit dictum D. Thom. sufficit, quod ad esse abstractum sequatur intentio universalitatis mediante actu intellectus naturam comparante; non autem requiritur, quod sine novo actu intellectus præse per abstractionem existat talis intentio.

7 Obijcies secundo: abstractio est actus absolutus, & non comparativus; sed per abstractionem fit universale logicum: ergò & per actum absolutum. Minor probatur;

posito fundamento proximo statim resultat relatio absque nova actione; sed per abstractionem naturæ ab inferioribus ponitur fundamentum proximum universalis, quod consistit in relatione: ergò per eam absque nova actione fit universale. Confirmatur: per similem actum debet fieri universale, ac singulare; sed singulare fit per contractionem naturæ ad individuum: ergò universale fit per abstractionem illius ab inferioribus.

8 Respondeo, negando maiorem. Ad cuius probationem distinguo maiorem:posito fundamento, statim absque nova actione resultat relatio realis, concedo maiorem: relatio rationis, nego maiorem, & ad minorem dico, quod relatio, in qua consistit universale, non est realis, sed rationis, relatio autem rationis non sequitur immediate absque nova actione ad positionem fundamenti, quia relatio rationis tantum existit, dum actu practice cognoscitur; potest autem, existente fundamento, non cognosci, ac per consequens non existere; unde requiritur actus comparativus, per quem fiat. Vide, quæ diximus tract. 2. quæst. 5. num. 11. Ad confirmationem, concessa maiori, distinguo minorem: singulare metaphisicum fit per contractionem, concedo minorem; singulare logicum,

Q. XI. Per quem actum fiat, & in quo consistat, &c. 407

neq̄o minorem, & consequentiam; quia licet singulare metaphysice consideratum fiat per contractionem nature ad individuum, logice tamen consideratum fit per comparisonem individui ad universale per modum inferioris ad superius.

9 Obijcies tertio: Universale logicum est unum aptum ad essendum in multis; sed natura pure abstracta est apta ad essendum in multis: ergo natura sic abstracta est logicè universalis, & consequenter per solam abstractionem fit universale logicum. Respondeo, distinguendo maiorem: universale logicum est unum aptum ad essendum in multis aptitudine formali, & positiva, concedo maiorem: aptitudine negativa, nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam, quia universale logicum consistit in aptitudine formali, & positiva, qua natura respicit inferiora, ut identificabilis cum illis; natura autem abstracta, & non comparata, licet sit apta negative ad essendum in multis, hoc est, nulli individuo appropriata, vel etiam fundamentaliter, quando prebet occasionem intellectui, ut illam comparet ad plura, non tamen est apta positive, & formaliter, usque dum comparetur ad inferiora, unde non fit logice universalis absque comparatione.

10 Denique obijcies;

principue contra corollarium per eundem actum, per quem natura abstrahitur ab inferioribus positive, comparatur ad illa; sed per comparisonem ad inferiora fit natura universalis; ergo per actum abstrahentem fit universale logicum. Distinguo maiorem: per eundem actum, per quem natura abstrahitur ab inferioribus positive, comparatur ad illa proprie; & tanquam ad terminum *ad quem*, nego maiorem: tanquam ad terminum *a quo*, & improprie, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia iam constat non fieri universale logicum per actum comparantem naturam ad inferiora tanquam ad terminum *a quo*, sed tantum per comparisonem ad illa tanquam terminum *ad quem*.

11 Sed replicabis: Idem actus potest comparare naturam ad inferiora tanquam terminum *a quo*, & tanquam ad terminum *ad quem*; sed actus comparans naturam ad inferiora, ut ad terminum *ad quem* facit universale logicum; ergo etiam potest illud facere actus respiciens inferiora tanquam terminum *a quo*. Maior probatur: quia idem motus physicus, v. g. motus circularis, respicit eundem terminum tanquam terminum *ad quem*, & tanquam terminum *a quo*: ergo

idem actus intellectus poterit respicere inferiora tanquam terminum à quo naturam abstrahit, & tanquam terminum ad quem naturam comparat. Respondeo, omiſſa maiori (quà non disputamus, àn idem actus intellectus poſſit ſimul eſſe abſtractio, & comparatio) & conceſſa minori, diſtinguendo conſequens: ergò etiam poteſt illud facere actus reſpiciens inferiora tanquam terminum à quo, in quantum illa reſpicit hoc modo abſtrahendo naturam ab illis, nego conſequentiam: in quantum illa reſpicit tanquam terminum ad quem, comparando naturam ad illa, concedo conſequentiam; caſu enim quo idem actus abſtraheret naturam ab inferioribus, & naturam compareret ad illa, dicimus, quod ille actus, in quantum abſtractivus, non faceret univèrſale logicum; quia ſub hac conſideratione non reſpiceret inferiora tanquam terminum ad quem; benè tamèn quatenùs comparativus, quia vt ſic iam reſpicebat inferiora tanquam terminum ad quem.

Secunda conſuſio:

42 **D**I C O Secundo:
Univèrſale logicum non fit per comparationem compoſitam, ſed tan um per comparationem ſimplicem. Eſt communis inter AA.

contra Vazquez, Lincé, & alios RR. probatur quoad primam partem: comparatio compoſita eſt iudicium affirmans naturam de inferioribus; ſed hoc iudicium non facit naturam univèrſalem logicè: ergò per comparationem compoſitã non fit univèrſale logicum. Minor probatur: iudicium, quod ſupponit naturam vt univèrſalem logicè, non facit naturam univèrſalem logicè; ſed iudicium affirmans naturam de inferioribus ſupponit naturam vt logicè univèrſalem: ergò non facit naturam univèrſalem logicè. Minor, in qua ſtat difficultas, probatur: univèrſale logicum eſt unum aptum eſſe in multis, & prædicari, ſeu affirmari de illis; ſed aptitudo vt aliquid ſit in multis, & prædicetur de illis ſupponitur ante actualem affirmationem, ſive ante iudicium affirmans: ergò iudicium affirmans naturam de inferioribus, ſupponit illam vt logicè univèrſalem.

13 Explicatur: Natura vt prædicabilis de multis eſt logicè univèrſalis; ſed antequam natura actu affirmetur de inferioribus, ſupponitur vt prædicabilis de illis; ergò antequam affirmetur de illis, ſupponitur logicè univèrſalis, & conſequentèr ante comparationem compoſitam, quæ eſt actualis affirmatio: non ergò fit univèrſale logicum per comparationem compoſitam.

Dein-

14 Deinde probatur conclusio quoad secundam partem: Universale logicum fit per actum primo comparantem naturam ad inferiora; sed simplex comparatio uest actus primo comparans naturam ad inferiora: ergo per illam fit universale logicum. Maior patet; quia per actum primo comparantem naturam ad inferiora, fit in natura respectus rationis ad illa, in quo consistit formaliter universale logicum. Minor etiam patet, quia triplex datur, vel excogitari valet comparatio, scilicet, comparatio apprehensiva, iudicativa, & discursiva, quarum prima est simplex apprehensio, secunda iudicium, tertia discursus; sed prius natura comparatur per simplicem apprehensionem ad inferiora, quam per iudicium, vel discursum, prius enim aliquid apprehendimus, quam illud iudicemus, aut discurremus: ergo actus primo comparans naturam ad inferiora, est simplex comparatio.

15 Sed obijcies primo: Universale logicum fit per actum cognoscentem naturam, ut vnam in multis; sed actus cognoscentem naturam, ut vnam in multis, est comparatio composita: ergo universale logicum fit per comparisonem compositam. Minor probatur: actus cognoscentem naturam, ut vnam in multis, cognoscit naturam, ut identificatam cum illis; sed

identitas vnius cum alio non cognoscitur, nisi per iudicium affirmativum, quod est comparatio composita: ergo actus cognoscentem naturam, ut vnam in multis, est comparatio composita. Respondeo, omnia maiori, distinguendo minorem: actus cognoscentem naturam, ut vnam in multis iudicative, est comparatio composita, concedo minorem: si illam cognoscatur apprehensive, nego minorem, & consequentiam. Nam natura potest cognosci, ut vna in multis, vel per apprehensionem, qua apprehendatur, ut vna potens identificari, vel identificata cum multis; vel per iudicium, quo praedicetur, vel affirmetur de multis, si cognoscatur, ut vna in multis. Primo modo fit universalis, ceterum per comparisonem simplicem, per quam apprehensive cognoscitur identitas, vel aptitudo identitatis vnius naturae cum multis. Si vero cognoscatur ut vna in multis secundo modo, non fit universalis, sed iam supponitur talis per apprehensionem; nec est inconveniens, quod identitas vnius cum alio cognoscatur per apprehensionem, omne enim, quod iudicatur, prius apprehenditur; cum autem iudicatur identitas naturae cum inferioribus, quid mirum quod prius apprehendatur, sive cognoscatur per simplicem apprehensionem comparativam.

16 **Obijcies secundo:** Per simplicem apprehensionem non potest cognosci natura comparative ad inferiora; sed nisi cognoscatur hoc modo natura, non fit universale logicum: ergo per simplicem apprehensionem non fit universale logicum, & consequenter, nec per simplicem comparationem. Maior probatur, quia dum cognoscitur natura comparative ad inferiora, cognoscitur natura, & cognoscuntur inferiora; sed per simplicem apprehensionem non possunt simul cognosci natura, & inferiora, cum simplex apprehensio respiciat unum, & simplex obiectum: ergo per simplicem apprehensionem non potest cognosci natura comparative ad inferiora.

17 **Respondeo negando maiorem.** Ad cuius probationem distinguo maiorem: cognoscitur natura in recto, & inferiora in obliquo, concedo maiorem: utrumque in recto, nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia sicut per simplicem apprehensionem cognoscimus patrem, qui consistit in respectu ad filium, cognoscendo patrem in recto, & filium in obliquo; ita similiter possumus per simplicem comparationem, sive apprehensionem cognoscere naturam universalem comparative ad inferiora, cognoscendo, videlicet, naturam in recto, & inferiora in obliquo.

18 **Denique obijcies:** Universale logicum fit per actum, quo cognoscitur natura, ut una in multis; sed hoc possumus cognoscere per iudicium, & discursum, iudicando, & probando naturam esse unam in multis: ergo per iudicium, & discursum potest fieri universale logicum. **Respondeo,** distinguendo maiorem: fit per actum, quo cognoscitur natura, ut una in multis signate, & speculative, nego maiorem: exercite, & practice, concedo maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia tunc precise fit universale, quando natura comparatur ad inferiora, ut apta ad essendum in illis, & tunc cognoscitur, ut una in multis practice, & exercite: non autem fit universale logicum per actum, quo iudicamus, aut probamus, naturam esse unam in multis, quia per eum signate tantum & speculative cognoscitur universalitas, non illam efficiendo, sed probando, aut iudicando.

19 **Ex dictis infero,** actum, per quem fit universale logicum, non comparare naturam ad inferiora tanquam ad ea, in quibus potest cognosci, nec tanquam ad ea, de quibus potest predicari, aut probari, sed tanquam ad ea, in quibus potest esse. Patet, quia universale logicum essentialiter non definitur, unum aptum cognosci in multis, aut predicari de illis; hec enim aptitudo, ut postea probabimus, est

pal-

Q. XI. Per quem actum fiat, & in quo consistat, &c. 409
passio, seu proprietas & non essentia universalis logici: ergo actus, per quem fit universale logicum, non est, qui comparat naturam ad inferiora, tanquam ad ea, in quibus potest cognosci, aut de quibus potest probari, aut predicari, sed tanquam ad ea, in quibus potest esse.

Tertia conclusio:

20 **D**ICO Tertio: *Universale logicum non constituitur formaliter per cognitiones posibles, quibus potest cognosci in inferioribus.* Est contra Franciscum Alphonsum, & alios RR. Claritatis gratia nota, quod aliud est forma constitutiva universalis logici, aliud est actus illud efficiens, aut formans, sicut aliud est forma constituens cathedram, aliud vero actus illam efficiens, aut formans. In presenti autem, postquam vidimus per quem actum fiat, sive formetur universale logicum, intendimus determinare formam, per quam formaliter constituatur in esse talis, & asserimus primo, formam illud constituentem non esse cognitiones posibles, quibus cognosci potest natura in suis inferioribus.

21 Quæ conclusio probatur facile: Concretum actu existens non constituitur formaliter per aliquid non existens; sed universale logicum

actu existit, cognitiones vero posibles, quibus potest natura cognosci in inferioribus, cum infinite sint, nunquam existunt, nec existunt: ergo universale logicum non constituitur formaliter per illas. Maior patet, quia implicat quod existat constitutum, non existente eius constitutivo formali; sicut existere album absque albedine. Confirmatur: Universale logicum aliquando fit per intellectum; ergo etiam illius forma constitutiva; sed cognitiones posibles, ut posibles, nunquam fiunt: ergo forma constitutiva universalis logici non sunt predictæ cognitiones.

22 **O**bjicies: Per id constituitur natura logica universalis, per quod constituitur apta ad essendum in pluribus; sed per cognitiones posibles, quibus potest cognosci in inferioribus, constituitur apta ad essendum in pluribus: ergo per predictas cognitiones posibles constituitur natura universalis. Minor probatur: Naturam esse aptam ad essendum in pluribus idem est ac esse cognoscibilem in pluribus; sed per cognitiones posibles constituitur natura cognoscibilis in pluribus: ergo per predictas cognitiones constituitur natura apta ad essendum in pluribus. Minor probatur: Per id constituitur natura cognoscibilis in pluribus, per quod potest cognosci in pluribus; idem enim est,

naturam esse cognoscibilem, & posse cognosci in pluribus; sed natura potest cognosci in pluribus per predictas cognitiones ergo per illas constituitur cognoscibiles in pluribus.

23 Confirmatur: Ab eadem forma, ut possibili, denominatur res possibiliter cognita, à qua, ut existenti, denominatur exercite cognita; sed natura denominatur actu cognita in multis per cognitiones actu exercitas: ergo per easdem ut posibles denominatur possibiliter cognita, sive, quod idem est, cognoscibilis in multis.

24 Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem, nego maiorem; quia aliud est naturam esse aptam ad essendum in multis, aliudque illam esse cognoscibilem, sive aptam ut cognoscatur in multis, hæc enim potentia, sive aptitudo valde distincta est à prima; primo, quia respiciunt diversos actus, nam primæ aptitudinis actus, est esse in pluribus, secundæ vero aptitudinis actus, est illam cognosci in pluribus, qui sunt diversi actus. Secundo, quia secunda aptitudo supponit essentialiter primam, tanquam proprietas essentialiter, unde ideò natura apta est, ut cognoscatur in pluribus; quia est apta ad essendum in illis, & non e contra; non igitur idem est, naturam esse aptam ad essendum in pluribus, & esse ap-

tam, ut cognoscatur, sive cognoscibilem in pluribus.

25 Sed gratis admittitur maiori, nego minorem; quia natura non constituitur cognoscibilis per cognitiones, sed per suam intrinsecam cognoscibilitatem; sicut paries non constituitur visibilis per visiones, sed per suam intrinsecam visibilitatem. Ad probationem minoris distinguo maiorem: per id constituitur natura cognoscibilis in pluribus, per quod potest cognosci in pluribus quoad rectum huius potentie, concedo maiorem: quoad obliquum huius potentie, nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Hic enim modus arguendi pluribus fallit; etenim naturam posse cognosci in pluribus, sive esse cognoscibilem in pluribus dicit in recto cognoscibilitatem, sive potentiam, & capacitatem ad terminandam cognitionem, & in obliquo importat ipsam cognitionem possibilem, quam terminare potest. Igitur quando dicimus, quod natura potest cognosci, sive est cognoscibilis per cognitiones posibles, non fit sensus, quod ipsa cognoscibilitas, sive potentia ad cognosci, convenit nature formaliter per ipsas cognitiones, hoc enim falsum est; sed quod natura habet potentiam, & capacitatem, ut sit formaliter cognita per ipsas cognitiones, unde rectum cognoscibilitatis: quod

Q. XI. Per quem actum fiat, & in quo consistat, &c. 411

quod est ipsa potentia, sive capacitas, non constituitur formaliter per ipsas cognitiones posibles, bene tamen obliquum, ad quod datur talis potentia, vel capacitas, scilicet, esse cognitam naturam.

26 Ad confirmationem, distinguo maiorem: ab eadem forma, ut possibili, denominatur res possibiliter subiective cognita, à qua, ut existente, denominatur exercite cognita, nego maiorem: possibiliter obiective, concedo maiorem, & minorem; & distinguo consequens quoad primam partem eodem modo, & nego secundam partem. Itaque rem esse possibiliter subiective cognitam, est esse capacem, sive habere ex se possibilitatem, ut sic cognita; & hoc modo non constituitur possibiliter cognita per cognitionem, per quam, quando existit, constituitur actu cognita, sed per suam intrinsecam capacitatem, quam habet, ut sit cognita. Rem autem esse cognitam possibiliter obiective, est ipsam ut cognitam esse possibilem; ut sic verò fateor constitui per cognitionem possibilem: ceterum hoc non est, naturam esse cognoscibilem in sensu, quo communiter loqui solemus, sumendo cognoscibilitatem pro capacitate subiectiva naturæ, ut cognoscatur. Et instatur argumentum in potentia cognoscitiva, quæ redditur actu cognoscens per cognitio-

nem existentem; & tamen non redditur potens cognoscere per ipsam cognitionem ut possibilem, sed per propriam, & subiectivam activitatem, & capacitatem.

Quarta, & ultima conclusio

26 **D**ICO Quarto: *Universale logicum constituitur formaliter per respectum rationis obiectivum ad inferiora, non autem per ipsum actum intellectus comparantem.* Est contra fere omnes PP. Societatis: communis tamen inter Thomistas. Facileque probatur ex Angelico D. qui illam clarissime docet pluribus in locis, præcipue q. 7. de potentia art. 11. ubi ait: *quod intellectus adinvenit relationes generis, & speciei, considerando ordinem eius, quod est in intellectu, ad res extra.* Vbi expresse sentit, genus, & speciem, quæ sunt universalia logica, consistere in relatione naturæ obiective existentis in intellectu ad res ad extra, id est, ad inferiora, quæ à parte rei existunt, quæ quidem relatio est ens rationis obiectivum, & proprium ut constat ex eodem D. Th. 4. metaph. lect. 4. ubi ait, *Ens rationis proprie dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, speciei, & similium.* Ea, quæ adversarij respondent ad hæc D. Th. verba, instare faci-

facile poteris, si perlegas, quæ diximus tract. 1. Præmialium quæst. 5. n. 10. non enim licet eadem iterum rescribere.

28 Deinde ratione probatur conclusio: Universale logicum formaliter ut tale constituitur per respectum ad inferiora; sed talis respectus, est respectus rationis obiectivus; ergo universale logicum constituitur formaliter per respectum rationis obiectivum ad inferiora. Discursus est legitimus, & maior probatur primo: quia universale formaliter ut tale est superius; sed superius formaliter constituitur per respectum ad inferiora: ergo universale constituitur formaliter tale per respectum ad inferiora. Secundo: universale formaliter est unum versus plura, quod idem est, ac unum respiciens plura; sed respicere plura consistit formaliter in respectu: ergo universale consistit formaliter in respectu ad plura. Tertio: quia secluso respectu naturæ ad inferiora, tantum remanet abstracta, & præcisa ab inferioribus; sed natura sic abstracta, & præcisa non est logicè universalis, ut patet ex dictis in prima conclusione: ergo secluso respectu naturæ ad inferiora, non salvatur universale logicum, & consequenter constituitur formaliter per illum. Quarto: quia per id constituitur formaliter universale logicum, per quod distinguitur à metaphysico; con-

stitutivum enim idem est; id distinctivum, sed universale logicum solum distinguitur à metaphysico per respectum ad inferiora: ergo per illum formaliter constituitur.

29 Deinde probatur minor: Talis respectus non existit realiter à parte rei: ergo tantum existit obiectivè in intellectu: ergo est respectus rationis obiectivus. Cætera patent. Antecedens probatur: respectus existens realiter à parte rei, versatur inter extrema realiter à parte rei distincta; sed respectus naturæ ad inferiora non versatur inter extrema realiter à parte rei distincta, quia non est realiter distincta natura ab inferioribus, sed cum illis realiter identificata: ergo talis respectus non existit realiter à parte rei.

30 Respondent adversarij negando primam consequentiam; quia scilicet, inter existere tantum obiectivè in intellectu, & existere à parte rei datur medium, scilicet existere subiectivè in intellectu, sicut omnes actus intellectus existunt; respectus autem naturæ ad inferiora hoc modo se habet, quia nihil aliud est, quam actus comparativus intellectus, qui denominat naturam extrinsece comparatam ad inferiora, unde non est respectus rationis obiectivus, sed tantum subiectivus, sive ens reale intentionale.

31 Sed imprimis falsum

sum est, quod id, quod existit
subiectivè in intellectu, non exi-
stet realitèr à parte rei, habi-
tus enim, actus, & species su-
biectivè existunt in intellectu,
cum in illo recipiantur tan-
quam in subiecto; & tamèn ve-
rè, & realitèr existunt in rerum
natura, sivè à parte rei: ergò
non datur medium inter exis-
tere realitèr à parte rei, & exis-
tere tantum obiectivè in in-
tellectu.

32 Sed quidquid sit de
hoc, lis enim tantum est de vo-
cibus solutionem datam sic im-
pugno: respectus, in quo vni-
versale formalitèr consistit, est
ille, per quem natura constitui-
tur formalitèr relata ad inferio-
ra; sed natura non constitui-
tur formalitèr relata ad inferio-
ra per actum intellectus compa-
rantem, sed per respectum ratio-
nis obiectivum: ergò ille res-
pectus non est actus intellectus
comparans, sivè ens reale in-
tentionale, sed est respectus ra-
tionis obiectivus. Minor, quæ
sola difficilis est, probatur pri-
mo à paritate: quia pari mo-
do constitui- tur natura relata
ad inferiora, quo redditur ab
illis distincta; sed natura non
constituitur formalitèr distincta
ab inferioribus per actum inte-
llectus distinguentem, sed per
distinctionem rationis obiecti-
vam, ut vidimus quæst. 5. hu-
ius tractatus n. 10. ergò similiter
non constitui- tur formalitèr re-
lata per actum intellectus refe-

rentem, sed per relationem ra-
tionis obiectivam.

33. Secundo: Si actus
intellectus comparans natu-
ram repræsenteret illam ut re-
latam ex parte obiecti, non
constitueretur formalitèr rela-
ta per ipsum, sed per respec-
tum rationis obiectivum; sed
actus intellectus comparans na-
turam repræsenteret naturam ut
relatam ex parte obiecti: ergò
natura non constitui- tur forma-
litèr relata per actum, sed per
respectum rationis obiectivum;
Minorem invenies probatam
tract. 1. Proœmialium q. 5. n. 13:
& præterea probatur: quia ille
actus repræsenteret natura, ac si
à parte rei esset vniuersalis; sed
si à parte rei esset vniuersalis,
à parte rei esset relata ex par-
te obiecti: ergò repræsenta-
ret illam ut relata ex parte
obiecti.

Confirmatur primo: Ex vi
actus comparantis naturam, na-
tura obiectivè in intellectu eo-
dem modo se habet, quo se
haberet à parte rei, si à parte
rei esset vniuersalis; unde Da-
Thom. sentit, ideò Platonem
errasse ponendo vniuersalia à
parte rei, quia iudicavit, na-
turas esse à parte rei eo modo,
quo sunt in intellectu; sed si
natura à parte rei esset vni-
versalis, ex parte obiecti es-
set relata ad inferiora: ergò
ex vi actus comparantis obie-
ctivè in intellectu est relata
ad inferiora; Sed quod natura
ha-

habet obiective in intellectu, representatur ex parte obiecti: ergo ex vi actus comparantis, natura representatur ex parte obiecti ut relata.

34 Confirmatur secundo: ex vi actus comparantis denominatur natura relata ad inferiora: sed si talis actus non representaret ex parte obiecti naturam ut relata, licet tenderet modo relativo, ut voluit adversarij, non denominaretur ex vi illius naturae relata: ergo talis actus representat ex parte obiecti naturam ut relata. Minor probatur: à modo se tenente ex parte actus praecise, & non representato ex parte obiecti, non denominatur obiectum, unde, licet Deus cognoscat lapidem modo infinito, immateriali, & aeterno, non denominatur lapis, qui est obiectum, infinitus, immaterialis, & aeternus: quia, videlicet, talis actus divinus non representat lapidem ex parte obiecti ut infinitum, immaterialem, aut aeternum: sed si actus intellectus comparans naturam non representaret illam ut ex parte obiecti relata, sed tantum modo relativo, ille modus relativus tantum se teneret ex parte actus, non autem ex parte obiecti representaretur: ergo ab illo non denominaretur natura relata.

35 Confirmatur tertio: Licet Deus, & Angeli cognoscant universali modo naturam

humanam v. g. non faciunt illam universalem, quia non representant illam ut universalem ex parte obiecti; sed actus comparans naturam ad inferiora facit illam universalem: ergo cognoscit illam ut universalem ex parte obiecti: ergo ut relata ex parte obiecti; universale enim consistit in relatione. Confirmatur quarto: Quia actus ille comparans naturam ad inferiora, non est conformis cum obiecto in re, esset tamen cum illo conformis, si ex parte obiecti daretur ille respectus naturae ad inferiora: ergo ut actus comparans sit conformis suo obiecto, exigit, quod ex parte obiecti detur respectus: Tunc sic; sed actus, ut sit conformis suo obiecto, tantum exigit, quod detur ex parte obiecti id, quod ex parte illius representat: ergo actus comparans representat ex parte obiecti respectum naturae ad inferiora: non ergo natura constituitur formaliter relata per actum comparantem, sed per respectum representatum in natura, qui quidem est respectus rationis obiectivus.

36 Sed contra conclusionem obijcies primo: Relatio naturae ad inferiora est in se singularis: sed universale nequit constitui per aliquid singulare: ergo nec per relationem naturae ad inferiora. Respondeo, distinguendo maiorem: relatio naturae ad inferiora est in se singularis, utique, concedo maiorem

fem ut quo; nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Talis enim relatio in se ipsa res quaedam est singularis, sive ut quod non tamen est singularis ut quo, quia non singularizat naturam, sed potius illam universalizat, referendo illam ad plura; & quidem universale, quod est hoc universale determinatum, & singulare, debet constitui per formam, quae sit haec determinata, & singularis; poterit ergo constitui per relationem, licet ipsa sit singularis.

37 Obijcies secundo: Universale est predicabile, & predicatur de inferioribus; sed relatio rationis non est predicabilis, nec predicatur de inferioribus, non enim identificatur cum illis: ergo universale per illam non constituitur. Respondeo, distinguendo maiorem: universale quoad naturam denominatam est predicabile, & predicatur de inferioribus, concedo maiorem: quoad formam dominantem, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia universale duo dicit, & naturam pro qua supponit, quae universalis denominatur, & ipsam universalitatem, per quam denominatur talis: natura ergo est, quae predicatur de inferioribus; universalitas vero, quae in relatione consistit, non predicatur, nec predicari debet de inferioribus, quia in omnium praesentia, in-

feriora non sunt universalis, v.g. Petrus, & Paulus.

38 Obijcies tertio: Universale est formaliter unum; sed non constituitur formaliter unum per relationem: ergo per illam non constituitur formaliter universale. Respondeo distinguendo maiorem: universale est formaliter unum praesuppositive, & antecedenter, concedo maiorem: formaliter, & complete, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Itaque universale logicum duo requirit, & quod natura sit una, quod fit per abstractionem illius ab inferioribus, & sufficit ad universale metaphysicum; & ulterius quod referatur ad plura. Primum se habet praesuppositive, & fundamentaliter ad universale logicum, secundum autem complete, & formaliter, quia per relationem completur formaliter in ratione universalis logici.

39 Obijcies quarto: Universale logicum est natura apta ad essendum in pluribus; sed pro priori ad respectum ipsius ad inferiora, & illo secluso, natura est apta ad essendum in pluribus: ergo per talem respectum non constituitur universale logicum. Minor probatur: quia ideo natura respicit inferiora, quia est apta ad essendum in illis: ergo pro priori ad talem respectum est apta ad essendum in pluribus. Respondeo distinguendo maiorem: universale logicum

cum est natura apta aptitudine positive, & formali ad essendum in pluribus, concedo maiorem: aptitudine negativa, aut illativa fundamentali, nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Et ad probationem dico, quod ideò natura respicit inferiora, quia est apta negative, aut illative fundamentaliter ad essendum in illis, prædictus enim respectus supponit naturam aptam negative, & fundamentaliter, & illam constituit formaliter, & positive aptam; unde loquendo de hac aptitudine, verum erit dicere, ideò natura respicit plura, quia est apta ad essendum in illis, non in sensu proprie causali, sed in sensu explicativo; sicut dicimus, quod ideò Petrus refertur ad filios, quia est pater, licet per respectum ad filios constituatur formaliter pater.

40 Denique obiicies: Natura constituitur formaliter relata ad inferiora per actum intellectus, & non per respectum rationis obiectivum: ergò etiam universalis. Antecedens probatur: per id constituitur natura formaliter relata, per quod intellectus illam refert ad inferiora; sed intellectus per suum actum refert illam ad inferiora: ergò per illum constituitur natura formaliter relata. Maior, quæ sola difficilis est, probatur: quia per id constituitur paries formaliter visus, per quod con-

stituitur oculus formaliter videns: ergò per id constituitur natura formaliter relata, per quod intellectus constituitur illam referens, vel comparans, sive per quod intellectus illam refert ad inferiora.

41 Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem nego item maiorem. Ad cuius probationem, concessio antecedenti, nego consequentiam. Sunt enim aliquæ actiones respectu obiecti mere speculative tendentes in illud, & aliæ, quæ practice tendunt in terminum; actiones primi generis per se, & formaliter denominant, & constituunt obiectum, v. g. intellectio, & visio constituunt obiectum formaliter intellectum, & visum; actiones vero secundi generis efficiunt in obiecto formam denominantem, per se autem non denominant formaliter, v. g. actio dealbans parietem, non denominant illam formaliter dealbatum, sed efficit albedinem in pariete, quæ illum denominat formaliter dealbatum. Unde sicut actio dealbans constituit agens formaliter dealbantem, & tamen non constituit parietem formaliter album; ita similiter nos dicimus, quod actus intellectus referens naturam, non denominat, nec constituit naturam formaliter relata, sed efficit, aut repræsentat in obiecto respectum rationis, illam denominantem formaliter

Q. XI. Per quem actum fiat, & in quo consistat, &c. 417
relatam. Vide quæ pro simili
argumento solvendo diximus
tract. i. q. 5. n. 24.

Aliqua inferuntur ex dictis.

42 **I**NFERTVR Primo:
Respectum, per
quem constituitur
universale logicum, non respi-
cere inferiora, tanquam ea, à
quibus abstrahitur. Patet: quia
universale logicum est unum
versus plura, & aptum ad essen-
dum in illis; sed respiciendo infe-
riora tanquam ea, à quibus ab-
strahitur, non fit unum ver-
sus plura, sed potius aversus
à pluribus, nec aptum ad essen-
dum in illis, sed potius ab illis
recedit: ergo respectus consti-
tuens universale logicum, non
respicit inferiora tanquam ea,
à quibus abstrahitur.

43 Inferitur secundo: talem
respectum respicere inferiora,
tanquam ea, in quibus potest es-
se. Patet ex definitione univer-
salis, quod est unum aptum, &
potens esse in multis: ergo res-
pectus illum formalitèr consti-
tuens, respicit multa tanquam
ea in quibus potest esse. Inferitur
tertio: naturam non constitui
essentialitèr universale per res-
pectum ad plura, tanquam ad ea,
de quibus prædicari potest, in
quo consistit prædicabilitas, sed
hunc respectum esse proprietatem
universalis. Patet: quia prius
est quod natura sit apta ad essen-
dum in pluribus, quam quod sit

prædicabilis de illis; sed universale
constituitur essentialitèr per id,
quod prius in illo intelligitur, id
autem, quod posterius in illo in-
telligitur, est illius proprietatem
ergo natura non constituitur
essentialitèr universalis per ap-
titudinem ut prædicetur de plu-
ribus, sive per respectum ad plu-
ra, tanquam ad ea, de quibus
prædicari potest, sed hic respec-
tus est proprietatem illius.

44 Denique inferitur ex di-
ctis, mirabilis modum, quo
formatur universale. Primo
enim per sensus externos ingre-
ditur species naturæ humanæ
v. g. illius singularia repræsen-
tans, & hæc species è sensibus
externis pervenit ad sensum
communem, hinc ad phanta-
siam, ubi adhuc remanet mate-
rialis, & singularia repræsentans;
postea intellectus agens, ex spe-
cie in phantasia existente, edu-
cit speciè spirituale, & intelli-
gibilem, quæ repræsentat naturam
denudatam à conditionibus indi-
vidualibus; ceterum quia talis re-
præsentatio est signata, & in ac-
tu primo, non autem exercita,
& in actu secundo, ideo per ta-
lem speciè ab intellectu agen-
te productam, nondum resultat
universale logicum, nec meta-
physicum, ut vidimus quæst præ-
cedenti; sed immediate post in-
tellectus possibilis per talem spe-
ciem determinatus, cognoscit
naturam; illam abstrahendo ab
individuis; per quæ actum fit uni-
versale metaphysicum; denique

De intellectu

intellectus per aliqualem reflectionem cognoscit naturam sic abstractam relate ad inferiora, ut aptam ad essendū in illis, quod actu fit universale logicum.

QVÆSTIO: XII.

Utrum perseveret universale in actuali predicatione?

SCOTVS, Fonseca, Hurtado, Franciscus Alphonsus, & alij sentiunt, quod natura universalis, dum actu prædicatur de inferioribus, v. g. in hac prædicatione: *Petrus est homo*, non retinet universalitatem. Contra hos sentit Quiros, Rubio, Aversa, Conimbricenses, & communiter Thomistæ. Pro quibus sit.

Nostra conclusio:

DICO Igitur: *Natura ex se universalis in actuali predicatione retinet universalitatem.* Probaturs: Hæc prædicatio: *Petrus est homo*, est superioris de inferiori: ergò in ea homo est superius ad Petrum; sed superius, ut superius, est universale: ergò homo in prædicta prædicatione est universalis, & conservat universalitatem. Cætera patent, & antecedens probatur: illa prædicatio non est æqualis de æquali: ergò est superioris de inferiori. Antecedens probatur: singulari solum singulare est æquale; sed non

est singularis de singulari: ergò non est æqualis de æquali. Minor probatur primo: quia aliàs illa propositio faceret hunc sensum: *Petrus est hic homo*, quia in illa prædicaretur homo singularis, & homo singularis formalitèr est hic homo; sed prædicta propositio non facit talem sensum: ergò.

3 Secundo: quia si in prædicta propositione prædicaretur homo talis, & singularis, esset vera, licet adderes particulam exclusivam, dicendo, *solus Petrus est homo*; sed hoc est falsissimum: ergò in tali prædicatione non prædicatur homo talis, & singularis, & consequenter non est singularis de singulari. Sequela probatur: quia quando id, quod prædicatur de subiecto, soli illi subiecto cõvenit, vera est prædicatio, licet apponatur particula exclusiva; unde quia rationalitas soli homini convenit, vere dicitur: *solus homo est rationalis*; sed si in hac prædicatione: *Petrus est homo*, prædicaretur talis, & singularis homo, quod in illa prædicaretur, soli Petro cõveniret, cum talis, & singularis homo solum esset Petrus: ergò vera esset, licet apponeretur particula exclusiva, dicendo: *solus Petrus est homo*. Confirmatur: Ideò in hac prædicatione: *Petrus est homo*, homo non retineret universalitatẽ, quia in illa representatur ut idẽtificatus cum Petro; sed etiam representatur ut distinctus à Petro: ergò retinet universalitatem.

tem. Minor probatur: quia prædicatum, ut prædicatum, distinguitur à subiecto, dicit enim relationem ad illud; sed in dicta prædicatione, homo repræsentatur ut prædicatum, & Petrus ut subiectum: ergo homo repræsentatur, ut distinctus à Petro. Explicatur, & tacita solutio repellitur: licet propositio adæquate sumpta repræsentet hominem ut identificatum cum Petro, tamen inadæquate sumpta, & ex parte prædicati, præcise repræsentat hominem præscindendo ex parte illius ab identitate cum Petro; sed homo præscindens ab identitate cum Petro est universalis: ergo homo prout repræsentatur ex parte prædicati in illa propositione est universalis.

Solvuntur argumenta.

OBJECIES Primo: in hac prædicatione: *Petrus est homo*, homo attingitur ut identificatus cum Petro; sed homo ut identificatus cum Petro non est universalis, sed singularis: ergo homo in prædicta prædicatione non retinet universalitatem. Maior patet: nam prædicta prædicatio affirmat, Petrum identificari cum homine: ergo in ea repræsentatur homo ut identificatus cū Petro.

5 Respondeo, quod in propositione mentali, sive vocali, debet assignari subiectum, prædicatum, & copula, sive compositio

utriusque: igitur per copulam mentalem repræsentatur identitas extremorum, per prædicatum mentale repræsentatur solum, & præcisum prædicatum obiectivum, & per subiectum mentale, subiectum obiectivum. Quod quidem clare docuit D. Thom. 1. p. q. 13. art. 12. in corpore, ubi loquens de pluralitate reperta in qualibet propositione affirmativa, ait: *Huius vero diversitati, quæ est secundum rationem, correspondet pluralitas subiecti, & prædicati, identitatem vero rei significat intellectus per ipsam compositionem* Ecce ubi D. Thom. tria distinguit in propositione mentali, prædicatum, videlicet, subiectum, & compositionem.

6 Hoc ergo supposito, facile ad argumentum respondeo, distinguendo maiorem: homo attingitur, ut identificatus cum Petro ex parte compositionis, ut distinctus tamen ab illo ex parte prædicati, concedo maiorem; ut identificatus cum Petro ex omni parte, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Nos enim non dicimus, quod homo in actuali prædicatione retinet universalitatem, quatenus repræsentatur illius identitas cum Petro per compositionem mentalem, sed solum ex parte prædicati, quatenus ex parte illius repræsentatur præcisus, & abstractus à differentiis, licet alias per compositionem intentionaliter contrahatur ad differentiam individualem Petri.

7 Sed dices: Propositio mentalis est simplex, & indivisibilis qualitas: ergo falso in illa distinguimus prædicatum, subiectum, & compositionem. Respondeo omisso antecedenti, negando consequentiam; quia in propositione essentialiter debet aliquo modo distingui, saltem virtualiter, & secundum considerationem, subiectum, prædicatum, & compositio, ut vidimus ex D. Thom. quia noster intellectus non aliter iudicare potest identitatem Petri cum homine, nisi per modum compositionis, unde à Dialecticis iudicium affirmativum appellatur compositio, compositio verò non datur sine his tribus, scilicet, sine duobus extremis, & unione; unde si propositio mentalis est simplex qualitas; in ea non reperientur tres actus realiter distincti, veruntamen idem realiter, & simplex actus, erit virtualiter triplex, quatenus subiectum, prædicatum, & identitatem utriusque repræsentat.

8 Obijcies secundo: In hæc propositione: *Petrus est homo*, homo non prædicatur de Petro ut universalis: ergo non conservat universalitatem. Antecedens patet: quia hæc propositio est falsa: *Petrus est homo universalis*. Distinguo antecedens: non prædicatur ut universalis, ly *est* reduplicante conditionem, ut res prædicetur, nego antecedens; ly *est* reduplicante rem,

quæ prædicatur, concedo antecedens, & nego consequentiam. Itaque ipsa universalitas non est res, quæ prædicatur, est tamen conditio necessaria, ut homo taliter prædicetur. Et isto argumentum: nam homo ut universalis est potens prædicari de Petro; & tamen universalitas nequit de illo prædicari; sic similiter, licet homo ut universalis actualiter prædicetur de Petro, non tamen prædicatur universalitas.

9 Obijcies tertio: Natura per actuales prædicationes dividitur in inferiora; sed divisio naturæ excludit illius unitatem, & consequenter universalitatem; ergo in actuali prædicatione natura non servat universalitatem. Confirmatur: Ideò natura à parte rei non est universalis, quia à parte rei est divisa in inferioribus, & per illa contracta; sed per actuales prædicationes dividitur, & contrahitur natura ad inferiora: ergo non retinet universalitatem.

10 Respondeo distinguendo maiorem: dividitur in inferiora, quæquam totum integrale in partes integrantes, nego maiorem; tanquam totum potentiale in suas partes subiectivas, concedo mai. & distincta minori, eodem modo, nego consequentiam; quia quando homo ut sic dividitur per propositiones in sua inferiora, non ita dividitur, ut pars illius conceptus obiectivi, *homo* uni tribuatur indivi duo,

& alia pars alteri, & altera alteri, &c. hoc enim modo solum dividitur totum integrale; solum ergo dividitur, ita, ut totus ille conceptus obiectivus tribuatur cuilibet individuo, unde ille conceptus obiectivus *homo* perseverat ex parte prædicati indivisus, licet pluribus individuis applicetur.

11 Ex quo patet ad confirmationem, distinguendo causalem: quia est divisa per modum totius potentialis in partes subiectivas, nego suppositum; quia a parte rei non datur totum potentiale, nec partes subiectivæ formaliter: quia est divisa quasi integraliter, concedo causalem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Distinctio constat ex dictis.

12 Denique obijcies: Dum concipitur homo cum hæccecitate per hunc actum *hic homo*, ly *homo* amittit universalitatem: ergo similiter in hac prædicatione: *Petrus est homo*. Probo consequentiam: ideò primum est verum, quia in illo conceptu, homo determinatur per hæccecitatem, & non remanet indifferens ad plura; sed etiã in prædicatione dicta, homo determinatur ad individuũ, & consequenter non remanet indifferens ad plura: ergo non retinet universalitatem.

12 Respondeo, distinguendo antecedens: Si ly *hic homo* sumatur per modum termini simplicis, & incomplexi, concedo antecedens; si sumatur per mo-

dum termini complexi, nego antecedens, & consequentiam. Et ad probationem dico, quod ly *hic homo*, si sumatur incomplexe, & per modum termini simplicis, homo, & hæccecitas non significantur, ut distincti, tanquam si homo determinaretur per hæccecitatem à se distinctam, & hæccecitas determinet hominem, sed significantur per modum unius obiecti simplicis absque vlla compositione, aut distinctione, unde homo non retinet universalitatem, quia non concipitur ut distinctus ab hæccecitate. Si autem ly *hic homo* sumatur complexe, homo accipitur ut distinctus ab hæccecitate, & determinatus quasi extrinsecus, & adiective per illam, ex se autem, & ab intrinseco indifferens, & determinabilis, unde in hoc sensu conservat universalitatem; sicut in hoc complexo *animal rationale*, ly *animal* est genus, cum enim sic definitio, dedet consistere genere, & differentia: hoc secundo modo se habet homo in actuali prædicatione, quia significatur ut distinctus à singularibus, & intrinsece indifferens ex parte prædicati; & solum quasi extrinsecus determinatus per subiectum propositionis. Adverte tamèn, quod ille terminus *hic homo*; sive sumatur complexè, sive incomplexe, dicendus est terminus singularis, quia vnum tantum absolute significat.

TRACTATUS QUARTUS, DE PREDICABILIBUS IN GENERE, ET IN PARTICULARI.



VIT Phænitiæ insignis Philosophus, Porphirius nomine, qui religionem, quam primo susceperat Christianam, deserens, in varios contra fidem incidit errores; quo non obstante, tractatum edidit prædicabilium, quem Isagoge, sive (quod idem est) introductionem ad prædicamenta Arist. appellavit. Quem tractatum ab errore immunem iudicarunt SS. Doctissimi que PP. commentariique dignati sunt: quibus morem gerentes, sit.

Conclusio.

QUESTIO. I.

Verum divisio universalium tantum in quinque prædicabilia sit adæquata?

PRÆDICABILE in presenti aliud non est, quam universale in quantum est potens prædicari de pluribus; hoc autem dividitur in quinque prædicabilia, seu in quinque universalia, scilicet, in genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens. Inquirimus ergo, utrum hæc divisio sit adæquata?

DICO Igitur: Prædicabilia sunt quinque, & non plura, & consequenter prædicta divisio est adæquata. Probat: Tot sunt prædicabilia, & non plura, quod sunt modi prædicandi naturam superiorem de suis inferioribus; sed quinque modis, & non pluribus potest natura superior prædicari de suis inferioribus: ergo prædicabilia sunt quinque, & non plura. Minor probatur: quia natura, quæ prædicatur, vel est de essentia inferiorum, vel extra essentiam inferiorum. Si primum, vel est tota essentia.

& sic vocatur species, vel est pars essentiae; & tunc vel est pars determinabilis per alteram partem, & sic est genus; vel est pars essentiae determinativa alterius, & sic est differentia. Si verò est extra essentiam inferiorum; vel prædicatur de illis necessario, & sic est proprium; vel prædicatur contingentèr, & sic est accidens commune: ergò modi prædicandi naturam superiorem de suis inferioribus sunt quinque, & non plures: ergò prædicabilia sunt tantum quinque, scilicet genus, species, differentia proprium, & accidens.

3 Explicatur: *homo est species*, quia prædicatur ut rota essentia inferiorum: *animal est genus*, quia prædicatur de inferioribus ut pars essentiae determinabilis per differentiam: *rationale est differentia*, quia est pars determinativa generis: *risibile est proprium*, quia est extra essentiam hominis, & prædicatur necessario: *album est accidens commune*, quia prædicatur contingentèr; sed his tantum modis potest aliquid universale prædicari de inferioribus: ergò prædicabilia sunt tantum quinque.

Solvuntur argumenta.

4 **O**BJECIES Primo: Aliquæ dantur prædicationes; superioris de inferiori, quæ ad

nullum ex quinque prædicabilibus pertinent: ergò assignandum est aliud prædicabile, ad quod pertineant. Antecedens probatur primo: hæc prædicatio: *homo est existens* ad nullum ex dictis pertinet: ergò. Nego hoc antecedens, quia pertinet ad accidens commune, est enim prædicatio contingens. Sed contra dices: accidens commune est quod potest adesse, & abesse absque subiecti corruptione; sed existentia nequit abesse absque subiecti corruptione; deficiente enim existentia, statim subiectum perit: ergò existentia in hac prædicatione: *homo est existens*, non est accidens commune.

5 Respondeo explicando maiorem: Accidens est quod potest adesse, & abesse absque subiecti metaphysica corruptione, concedo maiorem: absque subiecti physica corruptione, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Itaque corrumpitur aliquid metaphysicè, quando ei auferretur aliquod prædicatum essentiale; corrumpitur autem physicè, quando desinit existere in rerum natura; unde abente, sive deficiente existentia, homo non corrumpitur metaphysicè, quia ei nullum auferretur prædicatum essentiale; sive enim homo existat, sive non, semper est animal rationale. Eodem modo respondetur ad aliam objectionem fieri solitam hoc

modo: in hac prædicatione: *homo est mortuus*, mors nequit adesse absque subiecti corruptione: ergò non pertinet ad accidens commune: Dicimus: ergò, quod optime potest adesse mors absque corruptione metaphysica subiecti, quia licet homo sit mortuus verificatur, quod sit animal rationale.

6 Sed dices: Si homo est mortuus, non est animal: ergò si homo est mortuus non est animal rationale. Probat antecedens: si homo est mortuus non est vivens; sed animal est essentialiter vivens: ergò si homo est mortuus non est animal. Respondeo negando antecedens. Ad eius probationem, distinguo maiorem: si homo est mortuus non est vivens signate, & possibiliter, nego maiorem: non est vivens exercite, & actualiter, concedo maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia de essentia animalis non est esse vivens exercite, aliàs esset essentialiter existens, sed tantum esse vivens possibiliter, & signate, quod optime convenit homini quamvis mortuo.

7 Secundo probatur primum antecedens: hæc prædicatione: *Deus est homo*, ad nullum ex quatuor primis prædicabilibus pertinet, cum illa prædicentur necessario, hæc autem sit contingens: aliàs

non pertinet ad accidens quintum prædicabile: ergò aliqua prædicatione ad nullum ex quinque prædicabilibus pertinet. Minor probatur: quia si homo solum accidentaliter prædicaretur de Deo, Deus solum accidentaliter esset homo; ex quo ulterius sequeretur, quod non esset univocò homo cum cæteris hominibus, quod videtur hæreticum: ergò in dicta prædicatione non potest homo prædicari de Deo ut accidens commune, sive accidentaliter.

8 Respondeo, concedo antecedenti quoad primam partem, negando illud quoad secundam. Ad cuius probationem, quæ plures coegit, ut talem prædicationem ad speciem pertinere defenderent, distinguo antecedens: si homo prædicaretur accidentaliter de Deo, Deus esset accidentaliter homo, ly accidentaliter determinante copulam, sive convenientiam prædicati ad subiectum, concedo antecedens: ly accidentaliter determinante prædicatum, nego antec. est dicere, quod Deo non convenit necessario, & essentialiter esse hominem, sed purè contingentè, & libere, liberrime enim, & quia voluit factus est homo, veruntamen ei convenit esse hominem essentialiter talem, sive cui nullum prædicatum hominis essentialiter deficit; ex quo non sequitur, quod non

non sit univoce homo cum ceteris hominibus, sed quod non detur univocatio inter modum, quo predicatur homo, de Deo, & de Petro, v. g. quia de Deo predicatur contingentè, & de Petro predicatur essentialitè; veruntamen homo idem quoad speciè est, qui predicatur. Quod si dicas, ex hoc sequi, humanitatem esse accidens respectu Dei, quod videtur absurdum. Dico, quod est accidens logicè, & predicabilitè, quia hoc nihil aliud est, quam de illo predicari contingentè; non autem est accidens physicè, & predicamentalitè, quia est substantia substantialitè unita divinitati; contrariumque absurdissimum foret.

9 Tertio probatur primum antecedens: hæc predicatio: *Homo in quantum substantia est substantia*, ad nullum ex quinque predicabilibus pertinet: ergo aliqua predicatio ad nullum pertinet ex illis. Respondeo, negando antecedens, quia pertinet ad predicabile speciei. Sed dices: substantia non est tota essentia hominis; species verò predicatur ut tota essentia: ergo non pertinet ad speciem. Distinguo antecedens: substantia non est tota essentia hominis, in quantum homo est substantia, nego antecedens: hominis absolute sumpti, concedo antecedens, & nego consequentiam. Substantia enim est pars essentia

hominis absolute sumpti, unde hæc predicatio: *homo est substantia*, non ad speciem, sed ad genus pertinet; at vero hæc: *homo in quantum substantia, est substantia*, ad speciem pertinet, quia tota essentia hominis in quantum est substantia, est substantia.

10 Sed inquires, ad quod predicabile pertineant hæc predicationes: *homo est persona*: *homo est subsistens*? Respondeo, pertinere ad proprium, quartum predicabile, quia subsistere est proprietas hominis, in quantum substantia est, proprium enim substantia est subsistere, & personalitas est proprietas hominis, in quantum intellectualis est, proprium enim est naturæ intellectualis esse personam.

Argues secundo: Differentia subalterna, v. g. *sensibile*, constituit distinctum predicabile à differentia infima, v. g. *rationale*: ergo dantur duo predicabilia differentia, & consequenter sunt plura, quam quinque. Probat antecedens: genus, & species constituunt duo predicabilia, quia genus predicatur de pluribus differentibus specie, & species de pluribus differentibus numero; sed differentia subalterna predicatur de pluribus differentibus specie, & infima de pluribus differentibus numero: ergo differentia subalterna, & infima constituunt duo predicabilia. Secundo: quia differentia predicabilium sumi-

tur à termino, quem respiciunt; sed terminus, quem respicit differentia subalterna, sunt plura specie differentia; & terminus, quem respicit differentia infima, sunt plura solo numero differentia: ergo differentia subalterna, & infima constituunt duo prædicabilia,

12. Respondeo negando antecedens: Ad primam probationem, nego causalem; quia non ideo genus, & species sunt duo prædicabilia, quia respiciant plura numero, vel specie differentia, sed quia genus prædicatur, ut pars determinabilis essentia, species vero ut tota essentia inferiorum; cum autem tam differentia subalterna, quam infima prædicetur, ut pars determinativa essentia, inde est, quod non constituunt duo prædicabilia, licet una respiciat plura solo numero differentia. Ad secundam probationem, distinguo maiorem: differentia prædicabilium sumitur à termino, quem respiciunt, & à modo illum respiciendi; concedo maiorem præcisè à termino, quem respiciunt, nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Etenim aliquæ dantur accidentia, quæ prædicantur de pluribus genere differentibus, ut album de homine, & lapide, alia, quæ prædicantur de pluribus specie differentibus, ut currere de homine, & equo, alia de solo numero differentibus, ut esse medicum de

duobus hominibus, & tamen ex his non sequitur dari tria prædicabilia accidentis, quia licet differant in termino, quem respiciunt, illum tamen respiciunt eodem modo, scilicet, contingenter, ita similiter nos dicimus de differentia subalterna, & infima;

13. Argues tertio: Tot sunt prædicabilia; quot prædicamenta; sed prædicamenta sunt decem; ergo, & prædicabilia. Maior probatur primo: iuxta Philosophum, 4. metaph. cap. 20. tot sunt partes universalis, quot sunt partes entis; sed prædicabilia sunt partes, in quas dividitur universale, & prædicamenta sunt partes, in quas dividitur ens: ergo tot sunt prædicabilia, quot prædicamenta. Secundo tot sunt prædicabilia, quot sunt modi prædicandi, & tot sunt modi prædicandi, quot sunt modi essendi: ergo tot sunt prædicabilia, quot sunt prædicamenta.

14. Respondeo, distinguendo maiorem: tot sunt partes universalis pro materiali, quot sunt partes entis, concedo maiorem: tot sunt partes universalis pro formali, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Partes universalis pro materiali sunt nature, quæ universales denominantur, quæ quidem nature, tot sunt, quot partes entis, sive prædicamenta; partes vero

vero universalis pro formali sunt diversi modi predicandi, sive respiciendi inferiora, qui modi non sunt tot, quot partes entis, sed precise quinque. Ad secundam probationem distinguo maiorem, quoad secundam partem: tot sunt modi predicandi, quot sunt modi essendi absolute in rerum natura, nego maiorem: quot sunt modi essendi nature per modum superioris in inferioribus, concedo maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia diversitas predicamentorum attenditur penes diversos modos essendi absolute in rerum natura, qui modi decem sunt, ut suo loco videbimus. Diversitas vero predicabilium attenditur penes diversos modos comparandi naturam superiorem ad sua inferiora, qui modi, ut ex dictis patet, sunt tantum quinque.

Argues ultimo: Modi predicandi sunt tantum duo, scilicet, vel essentialiter, vel accidentaliter: ergo predicabilia sunt tantum duo, & non quinque. Respondeo distinguendo antecedens: sunt tantum duo in genere, sive in specie subalterna, concedo antecedens: in specie infima, & arthoma, nego antecedens, & consequentiam, quia illi duo modi, scilicet, essentialiter, & accidentaliter, ulterius dividuntur in alios modos specie distinctos, nam quod predicatur essentialiter

potest predicari, vel ut tota essentia, & sic est species, vel ut pars essentiae determinabilis per alteram, & sic est genus, vel ut pars essentiae determinativa alterius, & sic est differentia: quod vero predicatur accidentaliter, potest predicari necessario, & sic est proprium, vel contingenter, & sic est accidens commune, unde illi duo modi dividuntur in quinque: quinque ergo sunt predicabilia.

QUESTIO. II.

Verum universale sit genus ad quinque predicabilia.

LŒQVIMVR De universalibus quoad secundas intentiones, utrum, scilicet universalitas, ut sic sit genus respectu quinque intentionum, sive predicabilium, in qua precedenti questione divisimus universale.

Statuitur contra conclusio.

DICO Ergo: *Universale est genus ad quinque predicabilia.* Est communis inter AA. & probatur ratione: id quod predicatur essentialiter, & univoce de pluribus differentibus specie, est genus respectu illorum; sed universale predicatur essentialiter, & univoce de quinque predicabilibus, & hęc inter se differunt

unt specie: ergo universale est: genus ad quinque predicabilia; Major apud omnes est certa. Minor vero quoad primam partem etiam patet; quia quodlibet predicabile essentialiter est universale. Similiter etiam patet quoad tertiam partem; quia quinque predicabilia differunt penes diversos modos predicandi: ergo differunt specie. Sola secunda pars minoris est, quæ ingerit difficultatem, quod, scilicet, universale predicetur univoce de predicabilibus, eam tamen sic probo: ratio, quæ proprie, & simpliciter participatur à pluribus, univoce predicatur de illis; sed ratio universalis proprie, & simpliciter participatur à quinque predicabilibus, quodlibet enim predicabile, proprie, & simpliciter est universale: ergo univoce predicatur de illis.

Confirmatur primo; Si universale non esset ratio univoca ad quinque predicabilia; maxime, quia aliqua ex illis predicantur essentialiter, & alia accidentaliter; sed hæc inæqualitas, & differentia non tollit univocationem in ratione communi: ergo universale ut sic, est ratio univoca ad quinque predicabilia. Minor probatur: in æqualitas, quæ provenit à differentiis, non tollit, quod ratio communis sit univoca; sicut in æqualitas inter hominem, & leonem, quia provenit à differentiis, non facit, quod ratio

animalis non sit in eis univoca; sed inæqualitas predicabilium, quod, scilicet, aliqua predicentur essentialiter, & alia accidentaliter, provenit ab earum differentiis: ergo talis inæqualitas non tollit univocationem in ratione communi universalis.

Confirmatur secundo: Predicatio essentialis, & accidentalis conveniunt univoce in ratione predicationis: ergo predicabile essentialiter, & predicabile accidentaliter conveniunt univoce in ratione predicabilis, seu universalis. Antecedens probatur: propositio essentialis, & accidentalis univoce conveniunt in ratione propositionis; quia utraque affirmat unum de alio proprie, & simpliciter; sed predicatio essentialis, & accidentalis utraque predicat simpliciter unum de alio: ergo predicatio essentialis, & accidentalis univoce conveniunt in ratione predicationis.

Solvuntur obiecta.

OBIECTES Primo: idem nequit esse superius, & inferius respectu eiusdem; sed si universale esset genus ad quinque predicabilia, esset superius, & inferius respectu generis primi predicabilis: ergo universale nequit esse genus ad quinque predicabilia. Major patet, & minor quoad primam partem probatur: quia genus

Q. II. *Virum universale sit genus ad quinque*, 429

genus ad quinque prædicabilia debet esse superius ad quodlibet illorum, sicut genus animalis ad quodlibet animal i[n] specie; ergo si universale esset genus ad quinque prædicabilia, esset superius ad quodlibet illorum, & consequenter ad genus primum prædicabile. Quoad secundam vero partem etiam probatur minor: quia sub genere primo prædicabili continentur omnia genera: ergo si universale esset genus ad quinque prædicabilia, contingeretur sub genere primo prædicabili, & consequenter esset inferius illo.

5 Pro solutione huius argumenti nota, quod intellectus, quia reflexivus est, potest supra unam secundam intentionem fundare aliam, & supra illam alteram, & sic in infinitum. Exempli gratia, animali tribuit secundam intentionem generis comparative ad speciem, homini secundam intentionem speciei, & rationali secundam intentionem differentie comparative ad individua, & sic de ceteris prædicabilibus; postea ab his secundis intentionibus abstrahit rationem communem universalis, quam quidem facit genus per aliam secundam intentionem, illam comparando ad prædicabilia in particulari. Postquam autem cognoscit hoc genus singulare ad quinque prædicabilia, per secundam intentionem subijcibilis comparat illud ad genus pri-

imum prædicabile, & facit illud individuum respectu illius, & sic deinceps, ita ut omnes illæ comparationes fiant per diversos actus reflexivos per diversas secundas intentiones, quarum secunda fundatur supra primam, tertia supra secundam, quarta supra tertiam &c.

6 Quo supposito, facile ad argumentum respondeo, distinguendo maiorem, idem nequit esse superius, & inferius respectu eiusdem per diversas secundas intentiones, nego maiorem: per eandem secundam intentionem, concedo maiorem; & distinctæ minori eodem modo, nego consequentiam. Ad probationem minoris constat ex dictis; fatemur enim quod universale ut sit per secundam intentionem generis ad quinque prædicabilia ipsi superadditam constituitur superius ad genus primum prædicabile, tanquam ad speciem sub se contentam; ceterum per hanc ipsam secundam intentionem generis non constituitur formaliter inferius ad genus primum prædicabile, sed per intentionem subijcibilis superadditam ipsi generi ut tali, per quam comparatur tanquam individuum ad primam speciem universalis, quæ est genus, & in hoc nulla involvitur implicatio, sed iterata reflexio intellectus non facile perceptibilis.

7 Sed replicabis primò: *Universale in quantum genus est*

cit superius ad quinque prædicabilia, & etiam in quantum minus est inferiorius ad genus primum. Ergo sub eadem intentionem est formaliter superiorius. Respondetur ad quærendo primam partem: universale in quantum ad genus est superior, ita ut per genericitatem constituatur formaliter superior, concedo antecedens, ita ut per genericitatem constituatur solum fundamentaliter superior, nego antecedens, quoad primam partem, & distincta secunda eodem modo, nego consequentiam; quia universale fit formaliter superior ad prædicabilia per relationem, sive intentionem generis ad illa, universalitate ut sic se habente ut fundamentum ad talem relationem; fit verò formaliter inferiorius per relationem subijcibilis ad genus primum prædicabile, fundatam immediate in relatione generis, per quam formaliter erat superior.

8. Replicabis secundo: Universale per nos accidentaliter est genus, scilicet per intentionem superadditam; sed genus est formaliter universale; ergo universale accidentaliter est universale, quod videtur absurdum. Respondetur, concedendo consequentiam, nego tamen quod sit absurdum; quia universale per se, & essentialiter est universale, & postea uni-

versale abstractum ab omnibus universalibus in particulari fit de se respectu illorum universale per intentionem generis superadditam, & consequenter fit accidentaliter universale. Nec est inconueniens quod aliquid sit essentialiter, & accidentaliter tale in concretis accidentalibus, unde Pater qui per se, & essentialiter est relatus, per relationem similitudinis ad aliam patrem superadditam potest fieri accidentaliter relatus; & potentia, quæ essentialiter est qualis, potest etiam fieri accidentaliter qualis per qualitates receptas sic ergo universale, licet sit essentialiter universale, potest fieri accidentaliter universale per intentionem superadditam.

9. Replicabis tertio: Si universale esset genus ad quinque prædicabilia, quinque prædicabilia essent species contentæ sub genere; sed ex quinque prædicabilibus solum secundum est species: ergo universale non est genus ad quinque prædicabilia. Respondetur, distinguendo maiorem: quinque prædicabilia essent species accidentaliter & per intentionem superadditam, concedo maiorem: essentialiter, & per se, nego maiorem, & distincta minori, eodem modo, nego consequentiam. Quia ex quinque prædicabilibus primum essentialiter est genus, secundum essentialiter species, tertium essentialiter differentia, &c. omnia tamen

mèn, comparative ad vniversa-
le v. sic, sunt species subijcibi-
les per intentionem subijcibilis
superadditam; & comparative
ad sua peculiaria inferiora, v. g.
genus ad omnia genera, species
ad omnes species, &c. sunt spe-
cies prædicabiles per intentio-
nem etiam superadditam, &
accidentalitèr: nec debet repu-
tari inconueniens, quod genus
sit essentialitèr genus, & acci-
dentalitèr species, nec quod
species sit essentialitèr species,
& accidentalitèr species.

10 Argues secundo:
Modus prædicandi essentiali-
ter, & modus prædicandi acci-
dentalitèr non possunt vnivo-
cè conuenire; sed quædam præ-
dicabilia prædicantur essentia-
litèr, & quædam accidentali-
tèr: ergò non conueniunt vni-
vocè in ratione prædicabilis, &
consequentèr universale non est
genus ad quinque prædicabilia.
Maior, quæ sola difficilis est,
probatu'r modus essendi acci-
dentalitèr, & modus essendi
substantialitèr non possunt vni-
vocè conuenire; hac enim ra-
tione dicunt Thomistæ, quod
accidenti, & substantiæ nihil
datur vnivocum: ergò modus
prædicandi essentialitèr, & mo-
dus prædicandi accidentalitèr
non possunt vnivocè conuenire.
Pater consequentia; quia modus
prædicandi fundatur in modo
essendi in essendi.

Confirmatur: in hac præ-
dicatione: homo est albus, albedo

non prædicatur simpliciter de
homine, sed tantum secundum
quid: ergò non vnivocè, sed ana-
logice prædicatur. Antecedens
probatu'r: eo modo prædicatur
albedo de homine, quo identi-
ficatur cum illo; sed solum identi-
ficatur cum illo secundum
quid, minimè vero simpliciter:
ergò non prædicatur simplici-
tèr, sed tantum secundum quid.

11 Respondeo negan-
do maiorem. Ad eius proba-
tionem, concessio antecedenti,
nego consequentiam; quia licet
esse substantialitèr, & esse acci-
dentalitèr non possint vnivocè
conuenire in essendo absolute,
possunt tamen vnivocè conue-
nire in essendo per modum su-
perioris in suis inferioribus;
quia licet esse album sit esse se-
cundum quid, tamen album res-
pectu Petri, & Pauli est simpli-
citer superius & universale non
minus, quàm homo; cum au-
tem modus prædicandi sequat-
ur admodum essendi per mo-
dum superioris in suis inferiori-
bus, inde est, quod sicut acci-
dens, & substantia possunt vni-
vocè conuenire in ratione su-
perioris, possunt etiam conue-
nire in modo prædicandi. Et
quidem eodem modo prædica-
tur color de albedine, ac animal
de homine, scilicet per modum
generis, licet color sit accidens,
& homo substantia; quid ergò
mirum, quod accidens, & sub-
stantia conueniant vnivocè in
modo prædicandi.

Ad

12 Ad confirmationem nego antecedens. Ad cuius probationem, concessa maiori, distinguo minorem, vel melius respondeo, negando maiorem, quia predicatio accidentalis non significat identitatem subiecti cum predicato, sed adiacentiam predicati ad subiectum, ut suo loco videbimus, vnde quamvis in illa predicatur, scilicet albedo, non identificatur cum subiecto, sufficit, quod illud simpliciter afficiat, & denominet, ut de illo simpliciter predicetur.

13 Obijcies tertio: Ad substantiam, & accidens non datur genus; sed quedam predicabilia sunt accidentia, & quedam substantia: ergo ad quinque predicabilia non datur genus. Confirmatur primo: genus non debet transcendere differentias, sed universale illas transcendit, quia differentie sunt formaliter universales: ergo universale non est genus. Secundo: universale est accidens rationis: ergo est accidens commune, & non genus primum predicabile.

14 Respondeo, concessa maiori, distinguendo minorem: quedam sunt substantia, & quedam accidentia pro materiali, concedo minorem: pro formali, nego minorem: & distinguo consequens: ad illa materialiter sumpta non datur genus, concedo consequentiam: ad illa formaliter sumpta, nego con-

sequentiam: quia predicabilia pro materiali important naturas, quae denominantur universales, quae non possunt univocè convenire, quia aliae sunt substantia, aliae accidentia, aliae entia realia; aliae entia rationis: at vero pro formali important respectum rationis superioris ad sua inferiora, qui respectus semper est ens rationis, & eundem in illo respectu possunt univocè convenire.

Ad primam confirmationem, distinguo minorem: differentiae essentialiter, & per se sunt universales formaliter, nego minorem; accidentaliter, & per accidens, sive per intentionem superadditam, concedo minorem, & nego consequentiam; quia ut universale transcenderet omnes differentias, erat necessarium, quod differentiae per se, & essentialiter essent universales, quod quidem falsum est, quia rationale, v.g. si est universale, est tale per intentionem superadditam, & accidentaliter, & sic similiter quaelibet differentia.

15 Ad secundam distinguo antecedens: universale est accidens rationis, respectu huius, & illius universalis, nego antecedens; respectu huius, & illius naturae, concedo antecedens, & distinguo consequens eodem modo: quia dum dicimus, universale esse genus, non intelligitur respectu naturarum, quia respectu harum est accidens

Q. III. An natura, cui plura inferiora repugnant, &c. 433

unum commune, sed respectu huius, & illius prædicabilis, siue universalis in particulari, respectu cuius est genus, quia de quolibet essentialiter prædicatur.

QUESTIO. III.

An natura, cui plura inferiora repugnant, possit esse universalis?

QUESTIO. Hæc, præcæ præsentibus, à pluribus exagitur de natura angelica, supposita sententia D. Th. assertentis, repugnant plures Angelos solo numero distinctos, an, videlicet, eadem sententia supposita, natura angelica sit species universalis, seu prædicabilis. Nos tamen sub terminis universalioribus, de quacunque natura inquiremus, verum repugnantibus inferioribus possit esse universalis positive, v. g. an possit esse genus repugnantibus speciebus, an possit esse species repugnantibus individuis. Licet autem doctrina sit generalis de quocumque generali, & de quacumque natura, sermo tamen contrahetur, exempli gratia, ad naturam angelicam, ut RR. morem geram, indeque patebit quid de illa qualibet natura dicendum sit. igitur præmittendum censeo, quod universale aliud est tale positive, aliud negative. Universale positive

negative est natura quantum est ex se non singularis, siue à singularitate præcindens. Universale positive, ultra hoc, addit esse aptum positive ad essendum in multis aptitudinibus formali & relativa, ut videtur tract. precedenti: hoc secundum universale est, quod dicitur universale logicum; primum vero ad summum est universale metaphisicum. Questio igitur præsens procedit de generali positivo, & logico, an videlicet natura, cui plura repugnant inferiora, sit positive, & logica universalis; non vero de generali negativo; nam utro fatentur omnes, quæcumque naturam à singularitate præcisam esse universalem negative.

Præmittunt alij secundo, quod universale positivum, seu logicum aliud est secundum rem, & rationem; aliud secundum rationem tantum. Verum tamen huius distinctionis explicatio pendet ex decisione questionis; nam qualiter quisque eam resolvit, taliter eam explicat, unde de illa infra redibit sermo. Supponunt item alij, ut diligentè advertendum, questionem procedere de natura angelica concepta inadæquate, & admodum rerum materialium, quasi natura angelica posset à nobis aliter concipi quam admodum rerum materialium, vel quasi esset vlla natura, quæ adæquate concepta, &

Es prout

prout est in se, esset universalis. Prædicta ergo advertentia vera est, sed non ita necessaria, cum sit per se nota.

Nostra conclusio.

3 **D**ICO Igitur: *Nulla natura, cui plura inferiora repugnant, est universalis positive, aut logicè.* Ità præter plerosque leuitas, tenent ex Thomistis illustres RR. ut sunt Prado, Lince, Moneta, Aguirre, & Collegium D. Tho. Complutense, ut videas, quam immerito dixerit quidam R. Thomista, non esse verum discipulum D. Thom. qui nostram tenet sententiam. Eam igitur probo facili, sed efficaci fundamento: *Universale logicum est unum positive potens esse in multis per identitatem cum illis; sed natura cui repugnant plura inferiora, non est positive potens esse in multis per identitatem cum illis: ergo nequit esse universale logicum.* Maior est definitio universalis logici ab omnibus admitta. Minor ex terminis nota, siquidem illa natura cui plura repugnant inferiora, quo modo erit positive potens identificari cum illis?

4 Communis contrariorum solutio est, quod si natura, cui plura inferiora repugnant, v. g. natura Michaelis Archangeli concipiatur inadæquate, & præcisive à sua singularitate, potest considerari ut ap-

ta positive ad essendum in dictis, quia natura sic concepta ex parte sua non dicit exigentiam, seu radicem unice singularitatis: nec repugnantiam ad plura individua, sed tota repugnantia se tenet ex parte illorum, seu ex parte unice singularitatis adæquantis naturam.

5 Sed contra hanc solutionem, Dico primo: *Natura angelica, quantumvis inadæquate concepta, dicit ex se repugnantiam radicalem ad plura individua solo numero distincta, sicuti & radicalem exigentiam unice singularitatis intrinsecam eandem speciem.* Probat: quia quantumvis inadæquate concipiatur, concipitur ut essentialiter immultiplicabilis intrinsecam eandem speciem; sed ut sic immultiplicabilis, dicit ex se repugnantiam ad plura individua, & radicalem exigentiam unius tantum: ergo. Maior probatur: quia adhuc inadæquate concepta, concipitur ut substantia completa immaterialis, & consequenter, ut irreceptibilis in materia; sed ut irreceptibilis in materia est essentialiter immultiplicabilis: ergo concipitur ut essentialiter immultiplicabilis, &c. Maior patet: nam esse substantiam completam immaterialem, & consequenter irreceptibilem in materia, est prædicatum essentialiter specificum, sive genericum naturæ angelicæ, à quo minime præ-

sindere potest, nihil enim præscindit ab essentia sua.

Minor vero suadetur primo ex D. Thom. quæst. vnica de spiritualibus creaturis art. 8. ad 4. aiente: *Natura angelica prohibetur esse in multis ex eo quod non est nata recipi in aliquo subiecto*: ergo vt irreceptibilis in materia, siue in subiecto, prohibetur esse in multis, & consequenter est essentialiter immultiplicabilis. Secundo: nam vt irreceptibilis in materia, est illimitabilis, seu repugnat limitari materialiter intra eandem speciem; sed hoc pacto, est essentialiter immultiplicabilis. Maior est certa: nam in sententia D. Thom. in qua tantum loquimur, natura vnice limitatur materialiter intra speciem, dum recipitur in materia. Minor vero non est minus certa: quia natura, non aliter multiplicatur intra speciem, nisi quia limitatur in individuo, ne in illo sit tota perfectio speciei adæquate: ergo in quantum essentialiter illimitabilis intra speciem, est essentialiter immultiplicabilis intra ipsam.

6 Dices cum M. Froylan in præsentī, naturam angelicam inadæquate conceptam esse irreceptibilem in materia, seu immaterialem, immaterialitate, & irreceptibilitate specifica, præscindere tamen ab individuali repug-

nantiam autem ad plura individua non provenire ex prima, sed ex secunda immaterialitate, & irreceptibilitate. Sed contra est: quia potiori titulo repugnat multiplicari naturam Michaelis propter suam immaterialitatem, quam naturam Petri propter suam materialitatem, vt est per se notum in principijs D. Thom. sed natura Petri vt materialis materialitate individuali repugnat iam vterius multiplicari, quia in individuo iam est immultiplicabilis essentialiter: ergo natura Michaelis, non solum vt immaterialis in individuo, sed etiam vt immaterialis specificè, pro priori ad individuationem, est essentialiter immultiplicabilis: ergo repugnantia ad multiplicationem non provenit solum ex immaterialitate individuali, sed potiori titulo ex immaterialitate specifica.

7 Confirmatur: Ex eo quod natura Michaelis sit specificè immaterialis, recte probatur & a priori non posse multiplicari intra eandem speciem: ergo ex immaterialitate specifica provenit repugnantia ad eandem multiplicationem. Antecedens probatur primo: quia dum Thomistæ probamus de natura Michaelis esse immultiplicabilem intra speciem, non id probamus de ipsa natura vt individuata, ne ex illis individuatione, nam alias idem,

& eodem pacto posset probari de natura materiali Petri, cum etiam ut individuata, & ratione individuationis repugnet ulterius multiplicari: ergo id probamus de natura Michaelis specificè sumpta, & ex sua immaterialitate specificè considerata: ergo ex immaterialitate specificè rectè, & à priori probatur naturam non posse numericè multiplicari.

8 Secundo: quia sicut ex eo quod natura humana sit materialis probatur posse numericè multiplicari, sic proportionali modo, ex eo quod natura angelica sit immaterialis probatur non posse multiplicari; sed primum probatur rectè, & à priori ex eo quod natura humana est specificè materialis: ergo & secundum probatur rectè, & à priori ex eo quod natura angelica sit specificè immaterialis. Tertio: quia ex eo quod natura angelica sit specificè immaterialis, rectè & à priori probatur; debere etiam esse immaterialem in individuo; cum repugnet ex terminis, naturam immaterialem specificè esse in individuo corpoream; sed per vos ex quo sit immaterialis in individuo, rectè probatur non posse multiplicari: ergo ex quo sit immaterialis specificè primo, & radicaliter probatur non posse multiplicari numericè.

9 Quarto: Nam hæc

est bona consequentia: Natura hæc est specificè immaterialis: ergo nequit habere, nisi unicum individuum: ergo repugnat multiplicari numericè; sed bona consequentia est in qua consequens rectè probatur, & infertur ex antecedenti: ergo ex eo quod natura sit specificè immaterialis rectè probatur, & infertur non posse habere, nisi unicum individuum, nec numericè multiplicari. Maior patet: nam bona consequentia est in qua non potest antecedens esse verum, & consequens falsum; sed prædicta consequentia ita se habet; siquidem non potest verum esse, quod natura sit specificè immaterialis, & falsum quod non habeat, nisi unicum individuum, ut est communis Thomistarum sensus: ergo illa est bona, & formalis consequentia.

10 Respondet M. Froylan, quod si argueremus à natura specificè præcisive sumpta, & inadæquate concepta, prædicta non esset à bona consequentia, quia natura sic sumpta est indifferens ad plura, & non habet per quid positive determinetur ad unum. Cum quo tamen componitur quod absolute sit bona consequentia, quia in ea non arguitur à natura specificè præcisive, sed ab illa sumpta realiter, secundum quam rationem repugnat multiplicari. Et instat in

In hac consequentia: Est bonum: ergo verum, quæ infallibilis reputatur ab omnibus, & tamèn non tollit, quod bonum implicite, & obiective præscindat à vero, quia non arguitur à bono præcisive sumpto, sed à bono sumpto realitèr.

11 Sed contra; & in primis instantia est nulla; quia bonum non præscindit à vero implicite & obiective, sed tantum explicite; quia bonum implicite est essentialitèr ens; & ens est essentialitèr verum; consequentèrque bonum implicite est essentialitèr verum; ergo fallitur prædicta instantia. Secundo: quia dato quod bonum præscinderet obiective, & implicite à vero formalitèr tali, nequit tamèn præscindere à vero illative tali, supposito ut supponitur, quod ex bono essentialitèr inferatur esse verum: ergo paritèr, dato quod natura specifica Angeli præscindat obiective, & implicite ab hoc individuo singulari formalitèr sumpto, non tamèn potest obiective, & implicite præscindere ab esse radicalitèr, & illative tale individuum, supposito ut supponitur; quod ex natura specifica essentialitèr inferatur tale individuum.

12 Tertio & principalitèr: quia in consequentia à nobis allata minimè arguitur à natura specifica realitèr sumpta, sed ab illa præcisive, & inadæquatè concepta; ergo quis

solutio. Antecedens probatur primo: quia ex parte antecedentis solum ponitur natura vè specificè immaterialis, ut in ipso antecedenti patet; sed natura solum vè specificè immaterialis est natura præcisive accepta; ergo ex parte antecedentis ponitur natura præcisive accepta; sed arguitur ab illa ut posita ex parte antecedentis: ergo arguitur ab illa præcisive accepta. Secundo: quia natura specifica realitèr sumpta, est natura formalitèr hæc, & individua, cum realitèr sumpta, & prout est à parte rei nullo modo præscindat ab individuatione; sed non arguitur à natura ut hæc, & individua: ergo nec arguitur à natura realitèr sumpta. Minor patet; quia prædicta consequentia est specialis potius in natura immateriali, quam in naturis materialibus; si autem argueret à natura ut hæc & individua, non esset specialis in natura immateriali, sed teneret æqualitèr in natura materiali, cum etiam natura materialis ut hæc, & individua sit essentialitèr determinata ad hoc individuum, & impotens multiplicari. Tertio: quia dum prædicto modo arguimus, ex parte antecedentis non concipimus naturam prout est à parte rei, sed præcisive; sed arguimus à natura prout illam concipimus ex parte antecedentis: ergo non arguimus ab illa prout est à parte rei, sed ad illa præcisive. Probo maiorem

primo: quia nos minimè concipimus naturam spirituales adæquate, & prout est in se, cum illam non concipiamus per speciem propriam illam adæquantem: ergò nec ex parte antecedentis illam concipimus adæquate, & prout est in se. Secundo: quia si illam conciperemus ex parte antecedentis prout est in se, evidenter videremus in antecedenti unicam individuationem adæquantem naturam, & consequenter formalem repugnantiam ad plura individua, sicut illam vident evidenter ipsi Angeli, & beati spiritus, qui talem naturam cognoscunt adæquate, & prout est in se; sed falsum est quod ex parte antecedentis, seu in ipso antecedenti evidenter videamus unicam individuationem adæquantem naturam, & repugnantiam formalem ad plura individua: ergò ex parte antecedentis non concipimus naturam adæquate, & prout est in se.

13. Confirmatur: Si ex parte antecedentis conciperemus naturam Angelicam prout est in se, & adæquate, illa consequentia non esset purè probabilis, sed evidens; sed talis consequentia non est evidens, sed probabilis, cum à pluribus Theologis probabiliter negetur: ergò idem quod prius. Vergetur idem concipimus nos ex parte antecedentis in illa consequentia, quod concipimus, qui

talem consequentiam negant vel falsam; sed illi non concipiunt ex parte antecedentis naturam Angelicam adæquate, & prout est in se: ergò nec nos. Minor patet; quia si conciperent illam adæquate, & prout est in se, non negarent illam esse determinatam ad unicum individuum, minusque assererent, ut asserunt, esse multiplicabilem in plura; hoc enim de natura Angelica adæquate, & realiter concepta minimè affirmari potest. Maior vero probatur; quia inter nos & illos est aperta contradictio, dum nos affirmamus ex illo antecedenti inferri consequens, & illi negant; sed si non conciperemus idem nos ac illi ex parte antecedentis nulla esset contradictio nos inter, & illos; si quidem non est contradictio in eo, quod idem consequens inferatur ex vno antecedenti, & non ex alio: ergò idem concipimus nos, ac illi ex parte antecedentis.

14. Denique: quia nos in tali consequentia arguimus per discursum formalem, probando ex eo quod natura est specificè immaterialis, non habere nisi unicum individuum adæquantem ipsam; sed in discursu formali exigitur, quod conceptus ex parte antecedentis sit inadæquatus, & præscindens à formalitate illata ex parte consequentis; ergò in tali consequen-

quentis : ergo in tali consequentia arguimus ex conceptu inadæquato, & præcisivo naturæ Angelicæ, præsciendū : ex parte antecedentis ab individuacione illata ex parte consequentis. Minor probatur : nam discursus formalis exigit quod vno conceptu concipiatur formalitas se tenens ex parte antecedentis, & alio realiter formaliter distincto formalitas illata ex parte consequentis ; nam quando vnicō conceptu vtrumque concipitur, vel non est discursus, vel ad summum est discursus virtualis ; sed quando distincto conceptu concipitur formalitas ex parte antecedentis, & formalitas ex parte consequentis, conceptus ex parte antecedentis est inadæquatus, & præcisivus : ergo

Ex quibus iam liquido constat, naturam Angelicam ex conceptu naturæ specificè immaterialis inadæquato, & præcisivo, inserere unicam individuacionem sibi adæquatam, repugnareque radicaliter, & illative pluribus individuis ; siquidem ex tali conceptu præcisivo, & inadæquato probatur à Thomistis à priori vnica individuacio, & impossibilitas plurium individuorum intra speciem ; non enim id probatur ex conceptu naturæ vt iam individuatur, individuacione adæquantè naturam, alias enim probaretur

idē per idem consequentia evidenti, rursusque peteretur principium ; nam restaret probandum, quare natura Angelica esset individuata vna naturæ individuacione adæquantè naturam. Sed demus contrarij ; quod natura Angelica inadæquatè concepta ex parte sua nec dicat exigentiam vnice singularitatis, nec repugnantiam ad plura ; sed quod tota repugnantia se teneat ex parte individuorum. Nihilominus.

Alia via impugnatur solutio principalis.

DICO Secundo : Quod tota repugnantia se teneat ex parte inferiorum ; natura non potest concipi vt positivè & logicè vniversalis in ordine ad illa. Probatur : quia supposito quod inferiora ex parte sua repugnent, naturæ Angelicæ, adhuc inadæquatè conceptæ, ab intrinseco, & ex parte sua repugnat identificari cum illis ; sed eo ipso non potest concipi vt logicè vniversalis : ergo. Minor patet : quia concipi vt logicè vniversalem, est concipi vt aptam identificari cum pluribus inferioribus ; repugnat autem concipi, cum fundamento in re, (prout requiritur ad vniversale logicum) vt aptam identificari cum pluribus, si ab intrinseco, & ex parte sua ipsi repugnat identificari.

ri cum illis. Maior vero probatur: nam enti vero, & reali ab intrinseco, & ex parte sua repugnat identificari cum ente impossibili; sed natura angelica adhuc inadæquate concepta est essentialiter ens verum, & reale, & eius inferiora, supposito quod repugnent ex parte sua, sunt impossibilia: ergo naturæ angelicæ, adhuc inadæquate conceptæ, supposito quod repugnent inferiora, illi repugnat ab intrinseco, & ex parte sua identificari cum illis.

17 Dices, quod individua naturæ angelicæ solum sunt impossibilia realiter, & physice, non autem logice, hoc est ex conceptu naturæ. Sed contra est: quia enti vero, & reali ab intrinseco, & ex se repugnat identificari cum ente ex se realiter impossibili; sed natura angelica ex se, & ab intrinseco est ens verum, & reale, & illius individua, licet non ex conceptu naturæ, tamen ex se ipsis sunt realiter impossibilia: ergo naturæ angelicæ ex se, & ex proprio conceptu ab intrinseco repugnat identificari cum illis. Confirmatur: quia licet hircocervus, v. g. non repugnet ex conceptu naturæ angelicæ, sed solum ab intrinseco, & ex se ipso, supposito tamen quod sic repugnet, naturæ angelicæ ex conceptu proprio entis realis repugnat identificari cum illo; sed inferiora naturæ angelicæ ab intrinseco, & ex parte sua sunt im-

possibilia non minus quam hircocervus, & forsitan magis potissime in sententia Div. Thom. qui quæst. unica de spiritualibus creaturis artic. 8. inquit: *Impossibile est etiam fingere quod sint plures Angeli unius speciei*: ergo naturæ angelicæ ex conceptu proprio entis realis ab intrinseco sibi repugnat identificari cum inferioribus, supposito quod illa ex parte sua repugnent.

18 Secundo probatur assumptum: licet in natura angelica inadæquate concepta non appareat repugnantia individuorum, tamen nec in ea sic concepta apparet illorum possibilitas; sed ex vi conceptus, in quo nec apparet repugnantia individuorum, nec illorum possibilitas, non datur sufficiens fundamentum, ut prædicta natura concipiatur logice universalis: ergo licet natura angelica concipiatur inadæquate, & præcisa à singularitate, non potest fieri logice universalis, sive cum fundamento. Maior est certa, & minor probatur: in conceptu, in quo non apparet, nec possibilitas individuorum, nec illorum repugnantia, non apparet fundamentum, ut natura potius concipiatur cum potentia ad illa, quam cum impotentia; sed universalitas est potentia naturæ ad plura inferiora: ergo in prædicto conceptu non apparet fundamentum ut natura concipiatur universalis.

19 Dices, fundamentum ut natura concipiatur universalis esse præcisionem à singularitate, per hoc enim quod natura non apparet singularis, datur sufficiens fundamentum ut concipiatur universalis, quia eo ipso concipitur ex parte sua sine repugnantia ad plura. Sed contra est primo: non est sufficiens fundamentum, quod aliquid præscindatur ab aliquo prædicato, ut concipiatur cum eius opposito: ergo non est sufficiens fundamentum naturam præscindi à singularitate, ut concipiatur universalis. Probo antecedens: non est sufficiens fundamentum, quod Deus præscindatur à iustitia, ut concipiatur iniustus, quod præscindatur à pietate ut concipiatur impius, &c. ergo quod aliquid præscindatur ab aliquo prædicato non est sufficiens fundamentum ut concipiatur cum eius opposito. Confirmatur: licet per hunc conceptum *Omnipotens*, non appareat Deus iustus, & pius, non est sufficiens fundamentum ut concipiatur impius, & iniustus: ergo licet natura angelica ex vi conceptus inadæquati non appareat singularis, non est sufficiens fundamentum ut concipiatur universalis.

38 Contra secundo: Nam iuxta ipsum M. Froilam (qui novissime contrariam tenet sententiam) lib. 3. quæst. 1. art. unico §. 4. per

abstractionem negativam non fit fundamentum proximum universalis logici, quod nos etiam verum censemus supra; quando natura ab intrinseco non est multiplicabilis; & tamen negative abstracta præscindit à singularitate, & concipitur sine repugnantia ad plura: ergo non est sufficiens fundamentum ad universale logicum, quod natura præscindatur à singularitate, seu concipiatur sine repugnantia ad plura.

21 Ex quo sequitur, ut tacite solutioni occurramus, naturam, repugnantibus inferioribus, non esse universalem adhuc secundum rationem tantum; quia universale secundum rationem tantum, non dicitur tale, quia sit chimericum, & sine fundamento, ut fatentur contrarii, sed debet esse universale logicum cum fundamento; sed, ut probatum manet, non datur sufficiens fundamentum, ut prædicta natura concipiatur ut universalis logice: ergo adhuc secundum rationem tantum nequit esse logice universalis.

22 Tertio probatur assumptum: Repugnante ex parte sui termino formali alicuius potentie, vel respectus, repugnat talis respectus, vel potentia; sed universalitas logica est quidam respectus, vel potentia, & terminus formalis, quem respicit, sunt plura inferiora: ergo repugnantibus inferioribus

ex parte ipsorum repugnat uni-
 versalitas logica. Maior proba-
 tur: quia si repugnaret color ex
 parte sua, absque obiecto repugnaret
 potentia visiva, & si repugnaret
 filius ex parte sui, similiter re-
 pugnaret paternitas, non alia
 ratione, nisi quia color est ter-
 minus formalis potentie visivae,
 & filius paternitatis: ergo re-
 pugnantia ex parte sui termino
 formali alicuius respectus, ipse
 repugnat.

23. Dices primo, quod
 ad universale sufficit respectus
 ad plura sub conditione, nem-
 pe, si darentur: quanvis autem
 inferiora ex se repugnent, bene
 potest natura illa respicere, ut
 apta ad essendum in illis sub hac
 conditione si darentur. Sed con-
 tra primo etiam si darentur, non
 posset identificari cum illis: er-
 go non respicit illa ut potens es-
 se in illis, si darentur. Antecedens
 probatur: si darentur involve-
 rent contradictionem, ac per-
 consequens essent chimerica: sed
 natura angelica, utpote natura
 realis, non potest identificari
 cum chimericis inferioribus: er-
 go etiam si darentur, non pos-
 set identificari cum illis. Maior
 patet: quia impossibile est, quod
 si daretur, involveret contradi-
 ctionem: sed illa inferiora sup-
 ponuntur impossibilia ex parte
 ipsorum: ergo si darentur invol-
 verent contradictionem.

24. Contra secundo:
 Licet aliquis respectus seu po-
 tentia possit respicere termi-

num materiale; & secunda-
 rium sub conditione quod detur;
 tamen terminum forma-
 lem; & primarium nequit res-
 picere sub tali conditione; sed
 terminus formalis; & primarius
 universalitatis sunt plura infe-
 riora: ergo universale nequit il-
 la respicere sub conditione quod
 dentur. Maior est communis
 Thomistarum, propterea enim
 negant in Christo virtutem pe-
 nitentiae, quia eius obiectum
 formale, scilicet peccatum,
 Christo repugnat; & quia ne-
 quit illud respicere penitentia
 sub conditione quod detur: &
 propterea etiam tam in Angelis,
 quam in Beatis negant plures
 virtutes, quarum actus prima-
 rii in ipsis repugnant, quia vide-
 licet, virtus non potest respice-
 re actum primarium sub condi-
 tione quod detur, aut sit possi-
 bilis: ergo.

25. Respondebis secun-
 do cum M. Ferre tract. de An-
 gelis, quod terminus formalis
 universalitatis non sunt necessa-
 rio plura inferiora, sed sufficit
 quod respiciat unum tantum,
 non se adequando cum illo.
 Sed imprimis haec solutio est vo-
 luntaria, & contra definitionem
 universalis ab omnibus tradi-
 tam; omnes enim definiunt uni-
 versale, unum aptum ad essendum
 in multis, nullus vero illud defi-
 nit, unum aptum ad essendum in
 uno non se adequando cum illo: er-
 go praedicta solutio est nulla. Se-
 cundo: idem est formaliter res-
 picere

picere vnum non se adæquando cum illo, às respicere plura; ergò semper requiritur quod universale formalitèr respiciat plura. Probatur antecedens: quia idem est formalitèr respicere vnum non se adæquando cum illo, às respicere illud vt terminum partialem, & inadæquatum; seu quod idem est, ultra illud respicere aliud; sed hoc est formalissime respicere plura; ergò idem est formalitèr respicere vnum non se adæquando cum illo, às respicere plura. Urgetur: Quia potentia visiva, extra coloratum vt sic, aliud obiectum non respicit, implicat quod respiciat coloratum vt sic, tanquam obiectum inadæquatum, seu non se adæquando cum illo: sed natura angelica extra vnicum inferius nullum est aliud, quod respiciat: ergò nequit respicere vnicum inferius, vt terminum inadæquatum, seu non se adæquando cum illo.

26. Respondebis tertio cum M. Froilam in præsentibus postro argumento ad summum probari quod natura angelica non possit respicere plura in re existentia, vel possibilis, non tamen quod non respiciat plura obiectivè existentia, sive concepta vt possibilis cum fundamento in re quantum est ex conceptu naturæ, quia supposito quod ex conceptu naturæ non repugnet, ex tali conceptu ad illa concipiendâ vt non repug-

nantia, vel vt possibilis ex prædicto conceptu; cumque individua, vt ita concepta sint obiectivè existentia, bene potest natura illa respicere; hoc autem sufficit ad universale secundum rationem tantum; quod non exigit plura in re existentia, vel possibilis, sed solum plura obiectivè tantum existentia.

27. Sed contra est primo: quia licet prædicta individua ex conceptu naturæ non repugnent, inde non sequitur quod ex conceptu naturæ sint, vel concipiantur vt possibilis; aliud enim est quod aliquid non repugnet ex aliquo capite, aliud quod ex tali capite sit possibilis. Christo enim ex conceptu hominis non repugnat peccare, ita de tamen non sequitur possum fundamentum concipi vt potens peccare: peccatumque concipitur vt non repugnans Christo ex capite humanitatis, non tamen potest concipi cum fundamento vt possibilis. Christo ex tali capite: ergò solutio dum utrumque confundit patitur æquivocationem.

28. Contra secundo: quia individua vt obiectivè tantum existentia sunt entia rationis sive facta (ad gratis quod cum fundamento;) sed per ordinem ad individua facta & rationis, licet cum fundamento non potest natura angelica esse universalis: ergò talia individua obiectivè tantum existentia non sufficiunt vt respectu illorum natu-

natura angelica sic logice universalis. Probo minorem: quia natura solum potest esse universalis respectu inferiorum, cum quibus potest vere identificari, & de quibus potest vere prædicari; sed de individuis fictis, quavis cum fundamento, non potest natura angelica vere prædicari, nec cum illis vere identificari: ergo. Probo minorem: quia natura angelica est natura vera, & realis; sed natura vera, & realis non potest vere prædicari, nec identificari cum individuis fictis, & rationis, sicut nec ens reale cum ente ficto: ergo.

29 Dices, non posse identificari cum illis realiter, posse tamen cum illis identificari obiective, quia absolute verum est omnia illa individua pure obiective existentia esse unius, & eiusdem nature angelicæ, participant enim eandem naturam de facto secundum esse obiectivum. Sed contra est: nam imprimis hæc doctrina parum differt à singulari sententia Patris Izquierdo, in Pharo affirmantis, posse concipi naturam specificam abstractam ab individuo vero, & ab alijs impossibilibus, & tunc casus illam fore universalem, quia de omnibus illis signatè, & obiective prædicaretur, siquidem obiective esset natura omnium illorum; sed hæc sententia communiter deservitur tam à suis, quam à nostris: ergo.

Contra secundo: quia identificari pure obiective, est fictè identificari; sed non sufficit quod natura possit fictè identificari cum pluribus, ut sit vere universalis, & vere prædicabilis de illis: ergo nec sufficit ut sit prædicabilis, adhuc secundum rationem tantum; nisi velis, quod universale secundum rationem tantum non sit vere universale, nec prædicabile. Probo minorem: quia identificari fictè non sufficit ut unum vere prædicetur de alio; propterea enim cervus nequit vere prædicari de hircu, quia tantum obiective, & fictè identificatur cum illo, & sic de alijs: ergo nec sufficit quod natura fictè identificetur cum individuo, ut sit vere prædicabilis de illis.

31 Si dicas, non sufficere quod identificetur fictè sine fundamento, & hoc tantum probari exemplo hirci, qui tantum sine fundamento identificatur cum cervo; sufficere tamen quod identificetur fictè cum fundamento. Contra est, quia sic requiritur duo extrema identificari, ut unum vere prædicetur de alio, sicut requiritur duo extrema distinguere ut unum vere negetur de alio; sed ut natura aliqua vere negetur de inferioribus non sufficit quod obiective, & fictè cum fundamento distinguatur ab illis; aliàs homo posset vere negari de suis inferioribus, à quibus

bus obiective cum fundamen-
to distinguitur: ergo nec suf-
ficie quod natura obiective, &
ficta cum fundamento identi-
ficetur cum inferioribus, ut
possit vere prædicari de illis.
Contra secundo: Quia falsum
est, quod natura angelica obie-
ctive cum fundamento identifi-
cetur cum inferioribus fictis;
tum, quia ipsa individua non
possunt fingi cum fundamen-
to, quod ad minus probatur ex
verbis D. Th. supra relatis, qui-
bus negat posse fingi plures An-
gelos eiusdem speciei. Tum
quia, dato quod sint ficta cum
fundamento, identitas tamen
naturæ angelicæ cum illis non
potest esse cum fundamento,
quia nunquam ens reale potest
cum fundamento concipi ut
idem cum ente rationis adhuc
fundamentali: ergo.

32 Contra denique, &
urgentius: quia universale, ad-
huc secundum rationem tale,
debet esse univocum ad sua in-
feriora, ut supponunt omnes; sed
natura angelica non potest esse
univoca respectu sui individui
realis, & aliorum obiective tan-
tum existentium: ergo respectu
illorum non potest esse univer-
salis, adhuc secundum rationem
tantum. Minor probatur: Quia
enti verò, & reali, & enti ficto,
nihil potest esse univocum, ut est
communis Thomistarum sen-
tentia; sed individuum verum
naturæ angelicæ est ens reale,
alia verò tantum obiective exi-

stentia sunt ficta: ergo utriusque
non potest natura angelica esse
univoca. Ex quo inferes, quam
immerito dicatur, quod indivi-
dua illa pure obiective existen-
tia, sint unius, & eiusdem na-
turæ specificæ, sive eandem na-
turam participant cum indivi-
duo vero, & reali: etenim ma-
gis differunt individua ficta ab
individuo reali, & verò, quam
homo pictus ab homine vivo,
& verò; sed falsum est, quod ho-
mo verus, & pictus sint eiusdem
naturæ specificæ, sive quod ean-
dem naturam participant: ergo
minus verum erit, quod indivi-
duum verum, & individua fi-
cta sint unius, & eiusdem natu-
ræ specificæ, sive quod eandem
naturam participant.

33 Dices, plura indivi-
dua naturæ angelicæ, si suman-
tur ut absolute possibilia, esse fi-
cta, & rationis; non tamen qua-
tenus sumuntur à contrarijs,
quia ipsi non ponunt pro termi-
no universalitatis plura indivi-
dua ut absolute possibilia, sed
solum ut possibilia ex conceptu
naturæ, ex quo conceptu vere &
& realiter non repugnant, &
ita illa plura ut à contrarijs con-
stituuntur entia realia sunt. Sed
contra est: Quia ipsa individua
per vos accipiuntur ut existen-
tia obiective, & ut impossibilia
existere obiective, & in re ab-
solute loquendo; sed ut sic ac-
cepta sunt formalissime entia
rationis, quia ens rationis defi-
nitur, quod tantum habet esse ob-
iective.

activè in intell. actu: ergò adhuc ut à vobis concipiuntur sunt entia rationis, sive ficta. Rursus: quia prædicta inferiora sunt terminus primarius universalitatis; sed terminus, sive actus primarius universalitatis debet esse absolute possibilis: ergò plura inferiora ad universalitatem requisita debent accipi ut absolute possibilia: ergò si ita à vobis non concipiuntur indebite concipiuntur. Minor patet: Nam ut fatetur ipse M. Froylan, in præsentifol 442. quælibet potentia absolute est impossibilis, quando eius actus, sive terminus primarius absolute impossibilis est, quavis hæc impossibilitas non sit ex conceptu specifico nature; quod etiam extendit, quavis talis potentia sit rationis, & ficta cum fundamento, quia semper requirit, quod actus, sive terminus primarius absolute possibilis sit: ergò.

34. Demum: quia aliud est quod illa plura non repugnant ex conceptu nature, aliud quod ex conceptu nature sint realiter possibilia, sive entia realia; sicut aliud est, quod substantia supernaturalis creata non repugnet ex conceptu præciso substantiæ, aliud, quod ex tali conceptu sit realiter possibilis, & ens reale: ergò ex primo male infertur secundum. Et quidem mirum esset quod prædicta individua, quæ absolute, & realiter impossibilia esse fatentur contrarij, velint ea facere entia vera, & realia

præcisè, quia ex vno capite non repugnent, quavis mille alijs capitibus repugnent.

35. Dices, esse entia realia, non quidem positivè, sed negativè, non simpliciter, sed secundumquid, id est, tantum ex capite nature præcisè. Recte; hoc enim ita est, neque ampliori sensu possunt dici entia realia. Sed reddit argumētum factum; nam proprium individuum nature angelicæ positivè, & simpliciter est ens reale, alia vero, ut fateris, solum sunt realia negativè, & secundumquid; sed enti reali positivè, & simpliciter tali, & enti negativè, & secundumquid reali, simpliciter vero ficto, & rationis, nihil potest esse univocum: ergò.

Solvitur argumentum præcipuum;

36. **C**ONTRARIAM sententiam tenent plures ex Thomistis, ut sunt Arauxo, Complutenses, Ioannes à S. Thom. Parra, Lerma, Ferre in tract. de Angelis, & novissimè M. Froylan; ex extraneis aliqui, ut sunt Bonæ spei, Lovanientes, Izquierdo in Pharo. Pro qua argues primo: natura, cui plura repugnant inferiora potest à sua singularitate præscindi; sed natura sic præcisa potest concipi ut universalis logicè: ergò natura cui plura inferiora repugnant, potest concipi ut logicè universalis. Probo minorem; natura sic præci-

præcisa nullum habet impedimentum ut comparatur ad plura: ergò potest ad illa comparari ut logicè vniversalis. Antecedens probatur: impedimentum naturæ ut comparatur ad plura est singularitas; sed natura ut præcisa à singularitate non est singularis: ergò nullum habet impedimentum ut comparatur ad plura.

37 Communis, & vera solutio distinguit maiorem: potest à sua singularitate formali præscindi, concedit maiorem: à singularitate radicali, siuè à radice vnus singularitatis, negat maiorem, & minorem; quia natura angelica v. g. licet præscindatur à singularitate formali, tamen ex suo conceptu specifico essentialitèr est radix vnice singularitatis adæquantis naturam specificam, quia ex tali conceptu repugnant illi plura individua solo numero distincta, & hoc est sufficiens impedimentum ut non possit concipi tanquam positive vniversalis.

38 Sed instant contrarij, Repugnantia ad plura individua non convenit naturæ angelicæ ex conceptu specifico: ergo nec exigentia vnice singularitatis: ergò ex conceptu specifico præscindit à tali exigentia, & consequentèr à singularitate radicali. Antecedens probatur potissimè ex D. Thom. quest. vnica de spiritualibus creaturis art. 8. ad 4 sic aiente: *Sicut hac albedo non prohibetur habere sub se multa in-*

diuidua ex hoc quod est albedo, sed ex hoc quod est in hoc, quod pertinet ad rationem individui, ita natura huius Angeli non prohibetur esse in multis ex hoc quod est natura in tali ordine verum, quod pertinet ad rationem speciei, sed ex hoc quod non est natura recipi in aliquo subiecto, quod pertinet ad rationem individui: ergò.

39 Respondeo, explicando D. Thom. ita natura huius Angeli non prohibetur esse in multis ex hoc quod pertinet ad rationem speciei, non inquam prohibetur formalitèr, concedo: non prohibetur radicalitèr & illativè, nego, quod in hoc sensu loquatur D. Thom. Ratio huius distinctionis est, quia sicut natura materialis ex suo conceptu specifico non importat formalitèr pluralitatem individuorum, sed solum radicalitèr & illativè, in quantum ex eo, quod materialis est infert possibilitatem plurium individuorum, quibus formalitèr multiplicari possit, ita natura specificè immaterialis ex hoc præciso conceptu non est formalitèr singularis, nec excludit formalitèr pluralitatem individuorum: sed tantum radicalitèr, & illativè, in quantum infert tantum esse sibi possibilem vnice singularitatem adæquantem naturam, per quam singularitatem, quæ formalitèr pertinet ad rationem individui, formalitèr prohibetur esse in multis. Et hoc sufficit ad intentum D. Thom. quod

quod tantum erat salvare in Angelo rationem speciei, & rationem individui sufficienter, ut individuum angelicum poneretur in prædicamento sub sua specie; quod quidem rectè salvatur præcedenti distinctione. Sicut enim in natura materiali rectè salvatur ratio unitatis in specie per hoc quod non importet formaliter pluralitatem, quanvis ex conceptu specifico illam inferat, ita sufficienter salvatur in natura immateriali ratio speciei à ratione individui distincta per hoc quod ex conceptu specifico non importet formaliter singularitatem, quanvis illa non importet radicaliter, & allative.

40 Sed dices: Natura angelica non potest radicare singularitatem ex conceptu specifico: ergò ruit solutio. Antecedens probatur: quia singularitas est conditio requisita in natura ad exercere radieandum: ergò non potest radieari à natura ante ipsam singularitatem, & consequenter, nec ex conceptu specifico, qui singularitatem præcedit. Secundo; quia ex conceptu specifico natura solum potest radicare proprietates específicas; sed singularitas non est proprietas specifica: ergò non potest radieari à natura ex conceptu specifico. Tertio: quia ita comparatur conceptus specificus ad singularitatem, sicut conceptus genericus ad differentiam specificam; sed conceptus

genericus non potest radicare univocam tantum differentiam specificam: ergò nec conceptus specificus univocam tantum singularitatem. Quarto: quia si radiearet univocam tantum singularitatem, illam radiearet prout est à parte rei; sed natura prout est à parte rei non potest radicare singularitatem, quia prout est à parte rei est singularis formaliter, & prout formaliter singularis non radicat singularitatem: ergò.

41 Quinto: quia ex conceptu substantiæ completæ immaterialis non radicat univocam singularitatem: ergò nec ex conceptu specifico: Antecedens probatur primo: quia ex conceptu generico est substantia completè immaterialis, cum hoc sit prædicatum genericè commune omnibus Angelis; sed ex conceptu generico non radicat univocam singularitatem, alias sub genere Angelico non daretur nisi unicum individuum: ergò nec ex conceptu substantiæ complete immaterialis. Secundo: quia conceptus substantiæ completè immaterialis formaliter pertinet ad rationem speciei; sed ex eo quod formaliter pertinet ad rationem speciei non radicat univocam singularitatem: ergò nec ex prædicto conceptu. Probo minorem: quia per nos tantum ex eo quod pertinet radicaliter ad rationem speciei, prohibetur natura Angelica esse in multis, non vero ex eo quod per

pertinet formalitèr: sed ex eodem capite radicat unicam singularitatem, ex quo prohibetur esse in multis: ergò.

42 Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem, distinguo antecedens: singularitas est conditio requisita ad radicandum proprie, & per emanationem physicam concedo antecedens: ad radicandum improprie, & per illationem purè logicam, nego antecedens, & consequentiam; quia sicut natura materialis ex conceptu specifico, & ante singularitatem radicat logicè, sive infert plura individua possible, ita natura immaterialis simili modo ante singularitatem potest radicare, seu logicè inferre unicum tantum individuum possibile. Ad secundam, eadem distinctione respondeo, quod natura ex conceptu specifico solum habet radicare proprie, & per emanationem proprietates specificas; improprie tamen, sive per illationem purè logicam benè potest radicare, seu, quod idem est, inferre unicam tantum singularitatem, si ex conceptu specifico sit immaterialis, vel plures possible, si ex conceptu specifico sit materialis.

43 Ad tertiam distinguo maiorem: ita comparatur conceptus specificus nature multiplicabilis, & divisibilis numerice, & sicut conceptus genericus, concedo maiorem: conceptus specificus nature immultiplicabilis, & indivisibilis numerice ne-

go maiorem, & concessa minori, consequentiam; quia conceptus genericus ideo non radicat unicam tantum differentiam specificam, quia est divisibilis, & contrahibilis per plures differentias specificas re ipsa possible; ex quo solū sequitur, quod conceptus specificus nō possit radicare unicam tantum singularitatem; si natura sit divisibilis numerice per plures singularitates re ipsa possible; non vero, si plures singularitates ipsi repugnent; nam etiam, si sub aliquo genere repugnarēt plures differentie specificæ illud genus inferret unicam tantum possibilem. Sicut ergò omnes Thomistæ admittimus conceptum specificum, sub quo unica tantum sit re ipsa possible differentia numerica, negamus tamen conceptum genericum, sub quo tantum sit possible unica differentia specifica, cum non poterimus admittere conceptum specificum exigentem unicam tantum singularitatem, & negare conceptum genericum exigentem unicam tantum differentiam specificam.

44 Ad quartam distinguo mai. si radicaret physicè, concedo mai. si radicaret logicè, prout tantum radicat, nego mai. quia radicatio logica consistit in illatione supponente distinctionem rationis extremi inferentis ab illato, & ideo non exercetur à parte rei, sed objective tantum; media distinctione rationis nature inferentis à singularitate illata.

Et

Ad

45 Ad quintum, nego antecedens. Ad cuius primam probationem, concessa maiori, distinguo minorem: ex conceptu generico non radicatur unicam singularitatem, sub genere, concedo minorem: unicam sub qualibet specie, nego minorem & consequentiam; quia conceptus substantiæ complete immaterialis, sive sit genericus, sive specificus, exigit quod sub qualibet specie infima sit tantum unica singularitas, & unicum individuum, non tamen exigit quod sub genere sit tantum unicum individuum, sed admittit quod sub illo sint plura individua speciei diversa, sicut admittit plures species; non enim est contra rationem substantiæ immaterialis multiplicari in varias species, nec in plura individua speciei diversa; sed tantum multiplicari in plura individua solo numero distincta intra eandem speciem.

46 Ad secundam probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem nego maiorem; nam aliud est, quod ex eo quod pertinet ad rationem speciei, solum prohibeatur radicaliter natura esse in multis, aliud quod solum prohibeatur esse in multis ex eo quod pertinet radicaliter ad rationem speciei. Primum diximus in explicatione D. Th. non tamen secundum. Vnde claritatis gratia & ad vitandas æquivocationes, dico quod ex eo quod pertinet formaliter ad rationem

speciei, prohibetur radicaliter esse in multis, & ex eo, quod pertinet radicaliter ad rationem speciei, prohibetur formaliter. Ratio est, quia quod pertinet formaliter ad conceptum speciei, est ratio substantiæ complete immaterialis, & ex hoc conceptu non excluditur formaliter, sed tantum radicaliter quod natura sit in multis: singularitas vero est quæ radicaliter pertinet ad conceptum speciei ut in illa radicata: per hanc autem excluditur formaliter, seu prohibetur formaliter quod natura sit in multis.

Alia via solvitur præcedens obiectio.

47 **S**ED Demus contrariis quod natura angelica ex conceptu specifico non prohibeatur esse in multis, nec pluralitas individuorum ex tali conceptu repugnet, sed solum ex se ipsis sint impossibilia, itemque quod natura præscindat à singularitate tam formali, quam radicali. Nihilominus ad argumentum principale respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem, distinguo antecedens; nullum habet impedimentum, nec fundamentum, omitto antecedens: nullum habet impedimentum, habet tamen fundamentum, nego antecedens, & consequentiam; quia quod natura non habeat impe-

dimentum ad universalitatem, non est sufficiens fundamentum ut concipiatur universalis; sicut licet aer secundum se non sit lucidus, non est sufficiens fundamentum ut concipiatur ut tenebrosus.

48 Sed replicabis primo: natura præcisa à singularitate est universale metaphisicum; sed universale metaphisicū est fundamentum proximum universalis logici; ergò natura præcisa à singularitate est sufficiens fundamentum ad universale logicum. Respondeo, omitta maiori, distinguendo minorem: universale metaphisicum est fundamentum proximum universalis logici, quando natura ab intrinseco est multiplicabilis, concedo minorem; quando natura non est multiplicabilis ab intrinseco, nego minorem; & consequentiam; quia quando natura ab intrinseco est multiplicabilis, ex se arguit, & infert possibilitatem inferiorum, unde ex se præbet intellectui fundamentum sufficiens, ut illam faciat universale logicum, eam considerando aptam ad essendum in multis. Quando verò non est multiplicabilis ab intrinseco, etiam si sit universale metaphisicum, sive, quod idem est à singularitate præcisa, non arguit, nec infert possibilitatem inferiorum, & consequenter, si aliunde possibilia non sunt, non datur sufficiens fundamentum ut fiat universale logicum.

49 Replicabis secundo. Non repugnantia ad essendum in multis est idem, ac potentia ad essendum in illis; sed natura præcisa à singularitate non dicit repugnantiam ad essendum in multis; ergò natura sic præcisa habet potentiam ad essendum in illis, & consequenter est logicè universalis. Respondeo distinguendo maiorem: non repugnantia ex omni parte ad essendum in multis est idem, ac potentia ad essendum in illis, concedo maiorem; non repugnantia ex aliqua parte tantum, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia potentia universalis logici ad essendum in multis debet esse potentia positiva; ad hanc autem non sufficit non repugnantia ex aliqua parte tantum; nemo enim dicet, me habere potentiam positivam ad palpandum Deum, licet ex mea parte non repugnet, quia ex parte Dei datur repugnantia. Cum ergò non repugnantia, quæ datur in natura præcisa, sit non repugnantia tantum ex una parte, scilicet ex parte naturæ, cum repugnantia ex parte individuorum, inde est, naturam sic præcisam non habere potentiam veram, & positivam ad essendum in multis, & consequenter nec esse universale logicum.

50 Replicabis tertio: Licet natura præcisa non possit respicere plura absolute, potest tamen respicere plura conditionate, id est.

si darentur; sed hoc ipso erit
 vniversalis logicè, saltem secun-
 dum rationem tantum: ergò
 natura præcisa à singularitate
 potest esse vniversale logicum.
 Maior probatur: iuxta plerof-
 que Thomistas pater per ean-
 dem relationem, per quam res-
 picit primum filium existentem,
 respicit secundum sub conditio-
 ne quod existat: ergò similiter
 vniversale poterit respicere per
 eandem relationem, per quam
 respicit vnicum inferius, cæte-
 ra sub conditione quod dentur,
 & consequenter plura.

51 Respondeo negando
 maiorem. Ad eius probationem,
 concesso antecedenti, nego con-
 sequentiam, & reddo disparita-
 tem; quia terminus formalis pa-
 ternitatis non est secundus, vel
 tertius filius, sed filius vt sic, si-
 ve sit vnus, si-ve plures, si-ve hic, si-
 ve alius, hoc enim de materiali se
 habet, vnde quemlibet in parti-
 culari potest respicere sub con-
 ditione, quia non est terminus
 formalis, & primarius, sed solum
 materialis, & secundarius; at ve-
 ro terminus formalis, & prima-
 rius vniversalitatis sunt plura vt
 plura, vnde debet respicere illa
 absolute, & non conditionate, si
 darentur.

52 Argues secundo: Vniver-
 sale secundum rem, & rationem
 plus exigit, quam vniversale se-
 cundum rationem tantum; sed
 vniversale secundum rem, & ra-
 tionem exigit plura inferiora pos-
 sibilia: ergò vniversale secundum

rationem tantum non exigit plu-
 ra inferiora possibilia; alias enim
 tantum exigeret vnum, quam
 aliud. Respondeo; concessi maio-
 ri, distinguendo minorem: vni-
 versale secundum rem, & ratio-
 nem exigit plura inferiora possi-
 bilia, & existentia, concedo mi-
 norem: possibilia præcise, nego
 minorem, & consequentiam; quia
 in hoc differunt vniversale se-
 cundum rem, & rationem, & vni-
 versale secundum rationem tan-
 tum, quod primum exigit plura
 inferiora existentia, secundum
 vero illa exigit præcise vt possi-
 bilia, natura enim solis est vni-
 versalis secundum rationem tan-
 tum, vt ait D. Thom. 1. part.
 quæst. 13. art. 9. & tamen exi-
 git plura individua possibilia,
 cum sit natura materialis, & con-
 sequenter multiplicabilis.

53 Argues tertio: Natura,
 quæ solum habet vnicum infe-
 rius, v. g. natura angelica, non
 prædicatur de illo prædicatione
 æqualis de æquali. ergò prædica-
 tur vt superior de suo inferiori;
 sed superius vt superius est vni-
 versale logicum: ergò talis natu-
 ra est logicè vniversalis. Cætera
 patent. Primum antecedens pro-
 batur, individuum naturæ ange-
 licæ non ponitur immediate sub
 genere; sed si esset æqualis cum
 natura, poneretur, sicut ipsa, im-
 mediate sub genere: ergò natura
 angelica non est æqualis cum suo
 individuo, nec vt talis prædica-
 tur de illo. Minor patet; ideo
 enim homo, & rationale ponuntur
 imme-

immediate sub genere, quia sunt æqualia: ergo si natura angelica esset equalis cum suo individuo, poneretur individuū immediate sub genere, sicut ipsa natura.

54 Respondeo, distinguendo antecedens: non prædicatur de suo inferiori tanquam æqualis positive de suo æquali, concedo antecedens: tanquam æqualis negative de suo individuo, nego antecedens. Ad cuius probationem, concessa maiori, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia natura angelica præcisa à sua singularitate nec est positive æqualis, nec positive superior suo individuo. Non primum, quia individuū est positive singulare, & ipsa à singularitate præcisa non est positive singularis. Non secundum, quia positive non respicit plura individua quam vnum, & consequenter non est positive superior.

55 Ex quo inferes, individuū naturæ angelicæ non poni immediate sub genere; quia inter genus, & individuū mediat natura ipsa angelica, quæ est species positive subiebilis generi, & negative universalis, negative superior, & negative prædicabilis de suo individuo. Ad probationem minoris sumptam à paritate respondeo, quod rationale, & homo sunt positive æqualia, quia utrumque præcindit à differentiis individualibus, & neutrum præcindit à differentia specifica, unde utrum-

que ponitur immediate sub genere animalis; at verò natura angelica præcindit à differentia individuali, à qua suum individuū non præcindit, unde non sunt positive æqualia, nec individuū ponitur immediate sub genere, sicut natura.

56 Sed replicabis primo: implicat quod natura non sit positive singularis, quin sit positive indifferens ad plura; sed implicat quod sit positive indifferens ad plura, quin sit positive superior: ergo si natura præcisa à singularitate non est positive singularis, erit positive superior, & consequenter universalis. Maior, quæ sola difficilis est, probatur: implicat quod natura, nec sit positive determinata ad vnum, nec sit positive indifferens ad plura; sed si natura non est positive singularis, non est positive determinata ad vnum: ergo implicat quod non sit positive singularis, quin sit positive indifferens ad plura. Confirmatur: implicat quod æquæ secundum se non sit positive indifferens ad lucem, & tenebras, si ad neutrum est positive determinatus: ergo si natura angelica præcisa, ad neutrum est positive determinata, erit positive indifferens ad plura.

57 Replicabis secundo: Natura angelica amittit positivam indifferentiam per singularitatem: ergo præcisa à singularitate habet positivam indifferentiam ad plura. An-

recedens probatur: singularitas est positiva determinatio ad unum; sed per positivam determinationem excluditur, vel amittitur positiva indifferentia; ergo natura angelica per singularitatem amittit positivam indifferentiam.

58 Replicabis tertio: Non minus opponitur multiplicitas unitati, quam singularitas universalitati; sed per hoc præcise quod natura præscindatur à multiplicata inferiorum, fit vna positive: ergo per hoc præcise quod præscindatur à singularitate unici inferioris, fit universalis positive.

59 Respondeo ad primam negando maiorem. Ad cuius probationem nego etiam maiorem, quia positiva indifferentia ad duo extrema consistit in positiva aptitudine, & capacitate ad utrumque divisive, & stat optime quod natura sub aliqua præcissione non intelligatur positive determinata ad aliquod extremum, quin tamen intelligatur cum positiva aptitudine ad unum ex illis; præcise per non repugnantiam ex sua parte. Ad confirmationem, omisso antecedenti, nego consequentiam: disparitas stat in eo, quod respectu aeris lux, & tenebræ opponuntur contradictoriæ tanquam forma, & carentia formæ, quælibet autem res essentialiter est capax unius contradictorij, sive quod idem est, indifferens ad utrumque disiuncti-

ve; at vero plura inferiora respectu naturæ angelicæ non opponuntur contradictorie, nec indifferentia requisita ad universalitatem est indifferentia disiunctiva ad unum ex inferioribus; sed est capacitas ut identificetur cum pluribus, qua quidem capacitate positiva potest carete natura, quanvis non intelligatur positive determinata ad unum.

60 Ad secundam nego antecedens. Ad cuius probationem nego minorem universaliter sumptam; quia quodlibet positivum solum exigit necessario excludere suum contradictorium: contradictorium autem determinationis positivæ, non est positiva indifferentia, hæc enim est contraria; sed est carentia determinationis positivæ, sive, quod idem est, indifferentia negativa, unde clarè inferes, optime posse naturam intelligi sine positiva determinatione, & sine positiva indifferentia, quia cum utraque sit positiva, contrariè inter se opponuntur, duo autem contraria eidem possunt optime deficere.

61 Ex quo ad tertiam replicam nego maiorem: quia unitas contradictorie opponitur multiplicitati, cum hæc consistat in divisione, & illa in carentia divisionis; at vero singularitas positiva contrarie opponitur cum positiva universalitate, cum autem oppositio contradictoria sit maxima, magis opponitur unitas multiplicitati, quam singularitas universalitati. Ex quo infer-

infertur naturam fieri unam positive per præcisionem, vel defectum pluralitatis, quia per defectum unius contradictorij necessario datur alterum; non autem fieri universalem positive præcise per defectum singularitatis, quia per defectum unius contrarij non datur necessario alterum.

62 Ex dictis inferes primo, nec speciem logicè, & positive sumptam salvari in unico individuo, nec genus in unica specie, nec aliud prædicabile in unico inferiori sibi correspondenti, si cætera sint impossibilia absolute, unde cumque talis impossibilitas proveniat. Inferes secundo, salvari universale logicum in unico tantum inferiori existenti, dummodo cætera sint absolute possibilia; licet hoc sit universale secundum rationem tantum. Est contra Monetam in præsentis disp. 4. quæst. 2. ubi oppositum probare contendit, primo: quia ratio universalis ad inferiora est quasi prædicamentalis; sed ratio prædicamentalis non est, nisi ad terminum actu existentem: ergo ratio universalis requirit inferiora actu existentia: ergo non sufficiunt pure possibilia. Secundo: quia natura, quæ actu positive apprehenditur ut universalis, actu prædicatur de individuis; sed natura solis, v. g. non prædicatur actu de individuis possibili- bus, quia falsum est de sole possibili dicere, quod actu est sol: ergo

talis natura non potest concipi ut positive universalis. Tertio, quia accidens quantum prædicabile, v. g. album non prædicatur actu, nisi de subiecto actu habente formam accidentalem: ergo nec species substantialis actu prædicatur, nisi de subiecto actu habente formam substantialem.

63 Sed, his non obstantibus; oppositum est tenendum, nam alias, nec natura rose in hieme esset universalis positive, nec alia natura possibilis posset concipi ut positive universalis. Ex quo rursus sequeretur quod nec de illis posset haberi scientia, utique dum tales naturæ, earumque individua actu existerent, quod est contra omnes Philosophos. Rursus: quia ratio universalis, utpote ratio rationis, non perit nec fundamentum, nec terminum actualiter existentem, sed sufficit, si existant obiective. Tum, quia est ratio rationis, quæ solum obiective existit in intellectu, ac proinde sufficit etiam quod eius extrema similiter existant. Tum: quia est eiusdem generis ac ratio subiecti, & prædicati; sed hæc non exigunt extrema realiter existentia: ergo nec ratio universalis. Minor patet; nam sæpe veratur inter extrema pure possibilia, ut si dicas: *Antichristus est possibilis*, seu de homine possibili dicas: *Est animal rationale*, vel in hieme: *Rosa est fol.*, in quibus propositionibus inter venit vera ratio subiecti, & prædicati, quamvis extre-

in realitèr non existant: ergò.

¶ 63. Unde ad objecta respon-
deo: ad primum, quod relatio
prædicamentalis realis, quæ so-
la est proprie prædicamenta-
lis, semper est intèr extrema
realitèr existentia; si vero sit
rationis, siue quasi prædica-
mentalis, sufficiunt extrema
objective existentia. Ad secun-
dum distinguo maiorem: actu
prædicatur de individuis ex
parte prædicationis; transeat
maior: actu ex parte objecti,
subdistinguo: in actu signato
transeat maior: in actu exercito,
nego maiorem, & distincta mi-
ri eodem modo, nego conse-
quentiam: Damus enim quod
ad universale requiratur illud
actualitèr prædicari de inferiori-
bus, hoc est, per actualem
prædicationem, seu enuntiatio-
nem; nõ tamèn requiritur quod
prædicetur ut in actu exercito
identificatum cum inferioribus
ex parte objecti, sed sufficit
prædicetur ut idem in actu
signato, quia hoc tantum pa-
ro enuntiant scientiæ suas con-
clusiones de subiectis illarum, &
hoc modo actu prædicatur sol
ut sic de sole possibili, nam sol
possibilis essentialitèr in actu sig-
nato est sol. Ad tertium, concesso
anteccedenti, nego consequen-
tiam: quia accidens prædicatur
contingenter de subiecto, & in
propositione contingenti extre-
ma supponunt accidentalitèr, id
est pro solis existentibus; unde
de accienti quinto prædicabi-

li, ut albū fatebimur non salvari
in ratione proxime prædicabilis,
nisi habeat plura subiecta exi-
stentia; species vero, & cætera
prædicabilia prædicantur essen-
tialitèr, vel necessario; in qua
prædicatione extrema supponit
naturalitèr, & ampliatur usque
ad possibilia.

QVÆSTIO. IV.

*Verum definitio generis sit
bona?*

PRælibatis tribus quæstioni-
bus præcedentibus, qui-
bus de prædicabilibus eg-
mus in communi, descendimus
ad ea in particulari examinan-
da, & quia primum locum ob-
tinet genus, ideo primo de illo
nobis agendum est.

Explicatur definitio generis.

GENUS iuxta Porphi-
rium sic definitur:
*Est quod prædicatur
de pluribus, differentibus specie in
eo quod quid.* In qua ly prædicatur
de pluribus ponitur loco generis,
quia in eo convenit genus cum
cæteris prædicabilibus; quod li-
bet enim prædicabile de pluri-
bus prædicatur. Cæteræ parti-
culæ ponuntur loco differentia,
unde per illam, *de pluribus diffe-
rentibus specie*, differt ab specie,
quæ de pluribus differentibus
numero prædicatur. Vbi adver-
te per hanc particulam deno-
rari

tari, quod genus prædicatur ut pars essentia, & non ut tota essentia, quia respectu plurium specierum non potest esse communis tota essentia, sed tantum pars illius determinabilis per differentias. Per ultimam particulam, scilicet, *in eo quod quid* differt genus à differentia proprio, & accidenti.

2 Pro cuius intelligentia nota, quod illud prædicatur *in quid*, quod prædicatur substantive, & per modum essentia, & quidditatis, v. g. in his prædicationibus: *homo est animal: Petrus est homo* & *ly homo*. Illud vero prædicatur *in quale*, quod prædicatur adiectivè, & per modum accidentis adiacentis, & qualificantis subiectum; ut *Petrus est albus: Petrus est rationalis*. Rursum prædicari *in quid*, & *in quale* stat dupliciter, scilicet, vel ex modo significandi, vel ex parte rei significata. Ex parte rei significata prædicatur *in quid*, quod est de essentia subiecti, unde rationale de Petro prædicatur *in quid* ex parte rei significata. Prædicatur vero *in quale* ex parte rei significata, quod est extra essentiam subiecti, ut *album* de Petro. Ex modo autem significandi prædicatur *in quid*, quod prædicatur substantive, & per modum per se stantis, ut *homo* de Petro; *in quale* autem quod prædicatur adiective per modum adiacentis, & qualifican-

ti subiectum, quanvis sic de essentia illius, ut rationale de Petro. Quo supposito, iam cognosces, quod per illam particulam *in quid*, differt genus à differentia, quæ prædicatur *in quale* ex modo significandi, ut *homo est rationalis*, similiterque à proprio, & accidenti, quæ prædicantur *in quale* etiam ex parte rei significata, cum sint extra essentiam rei. Quo supposito sit.

Nostra conclusio.

1 **D**ICO Ergò: *Definitio generis à Porphirio tradita est bona*. Et probatur: quia constat genere & differentia, ut constat ex illius explicatione; alias rectè explicat generis essentiam, ut patebit ex solutione argumentorum: ergò est bona.

3 Sed contra illam obijciens primò: Genus prædicatur de pluribus differentibus numero: ergò non rectè explicatur per prædicari de pluribus differentibus specie. Antecedens patet: quia animal, v. g. prædicatur de Petro, & Paulo. Respondeo distinguendo antecedens: prædicatur immediate de pluribus differentibus numero, nego antecedens: mediate, cōcedo antecedens: animal enim immediate prædicatur de homine, & ex cōsequenti, sive mediate, de Petro, & Paulo; cū ergò debeat defini per ordinē ad terminū, quem

im-

immediatè respicit, definiri debet per ordinem ad speciem, & non per ordinem ad individua. Sed replicabis primo: Animal prædicatur de pluribus solo numero differentibus immediatè: ergò ruit solutio. Antecedens probatur: prædicatur immediatè de hoc, & illo animali, dicendo: *Hoc animal est animal: illud animal est animal* &c. Sed hoc, & illud animal solo numero differunt: ergò prædicatur immediatè de pluribus solo numero differentibus. Secundo: Vivens est genus respectu animalis, & plantæ, & de illis prædicatur; sed animal, & planta non solum specie differunt, sed etiam genere: ergò genus non solum prædicatur de pluribus specie differentibus, sed etiam de pluribus differentibus genere: ergò non rectè definitur per ordinem ad speciem.

6 Respondeo ad primam replicam, negando antecedens. Ad cuius probationem, distinguo antecedens: animal prædicatur immediatè de hoc, & illo animali prædicatione generis, nego antecedens: prædicatione speciei, concedo antecedens, & nego consequentiam; quia illæ prædicationes pertinent ad speciem; animal enim de hoc, & illo animali prædicatur ut tota essentia, & consequentè ut species. Ad secundam, concessa maiori, distinguo minorem: planta, & animal genere differunt, quatenus

de suis inferioribus prædicatur; concedo minorem: quatenus generi viventis subiiciuntur, nego minorem, & consequentiam; quia animal, & planta, si considerentur respectu suorum inferiorum, genere differunt, sunt enim genera diversa, at verò comparativè ad genus superius viventis, & quatenus vivens de illis prædicatur, non sunt genera, sed species subalternæ, unde genus prædicatur de illis tanquam de distinctis in specie subalternæ, non autem tanquam de genere distinctis.

7 Obijcies secundo: Genus non distinguitur sufficientè ab specie per prædicari de pluribus differentibus specie; aliàs nec per prædicari in *quid*, cum etiam species prædicetur in *quid*: ergo in prædicta definitione non assignatur sufficientis distinctio generis ab specie, & consequentè non est bona. Maior probatur: licet differentia subalternæ, v. g. sensibile, prædicetur de pluribus differentibus specie, & infima de pluribus differentibus numero, non ideo subalternæ sufficienter distinguitur ab infima, cum ad idem prædicabile pertineant: ergo per hoc, quod genus prædicetur de pluribus differentibus specie, non distinguitur sufficienter ab specie, quæ solum prædicatur de pluribus differentibus numero.

8 Respondeo, negando maiorem. Ad cuius proba-

tionem concesso antecedenti, nego consequentiam, & red- do disparitatem, quod differ- entia, sive prædicetur de plu- ribus differentibus specie, sive de pluribus differentibus nume- ro, semper prædicatur eodem modo, scilicet, ut pars determi- nativa essentiae; at vero genus ex eo quod prædicatur de plu- ribus differentibus specie, debet prædicari diverso modo à spe- cies, quæ prædicatur de pluri- bus differentibus numero; quia species prædicatur ut tota essen- tia de suis inferioribus, at vero genus nequit prædicari de pluri- bus differentibus specie, & præ- dicari de illis ut tota essentia eorum. Unde ex eo quod ge- nus prædicetur in quibus de plu- ribus specie differentibus, infer- tur prædicari, non per modum totius essentiae, sed per modum partis potentialis determinabi- lis, in quo differt ab specie. Ex quo inferes definitionem Por- phirij huic esse similem: genus est, quod prædicatur de pluribus in quibus, tanquam pars potentialis essentiae.

9 Obijcies ultimo: So- la species potest definiri: ergò genus nequit definiri, & conse- quenter male illud definivit Por- phirius. Antecedens probatur: quod definitur constat genere, & differentia; sed sola species constat genere, & differentia: ergò sola species potest definiri. Secundo: Genera suprema ne- queunt definiri, cum non con-

stent genere, & differentia: er- gò aliquod genus nequit defini- ri. Tertio; in bona definitione nequit intrare definitum; sed si genus definiretur, in eius defi- nitione intraret definitum: ergò genus nequit definiri. Minor par- ter: quia in eius definitione in- traret genus, cum quælibet de- finitio constet genere, & differ- entia, sed genus est definitum; ergò.

10 Respondeo, distin- guendo maiorem; Sola species, quæ essentialiter est talis, potest definiri, nego maiorem; sola species, quæ accidentaliter, & denominative est talis, potest definiri, concesso maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Ad proba- tionem maioris eadem distin- ctione respondeo; homo enim non essentialiter, sed acciden- taliter, & denominative est spe- cies, & tamen constat genere, & differentia, & potest definiri; sic similiter nos dicimus de ge- nere; quia licet non sit essentialiter, & per se species, est ta- men species denominative, & accidentaliter per respectum ad universale ut sic, quod dividitur tanquam in suas species in ge- nus, speciem, differentiam, &c. Ad secundam, distinguo ante- cedens: genera suprema pro ma- teriali nequeunt definiri, con- cedo antecedens: pro formali, nego antecedens, & consequen- tiam in eodem sensu; nam licet genera suprema pro materiali non

non habeant genus, & differentiam, tamen pro formali sunt talia universalia, esse universalia se habet in illis tanquam genus, & esse talia tanquam differentia. unde optimè possunt definirì. Ad tertiam, distinguo maiorem: in bona definitione nequit intrare definitum signate, & per modum particulæ, concedo maiorem: exercitè, & per modum conditionis, nego maiorem; & distincta minori, eodem modo, nego consequentiam; nam sicut ad definiendam definitionem intrat definitio nõ quidem tanquam particula, & signate, dicendo, *definitio est definitio*, sed exercitè, ita in definitione generis intrat genus non quidem signate, & per modum particulæ, dicendo *genus est genus*, sed exercitè, & per modum conditionis.

QVÆSTIO V.

Quodnam sit definitum formale in definitione generis?

DV. O. Reperiuntur in genere, & natura, quæ denominatur, & secunda intentio, per quam formalitèr constituitur in ratione generis. Dubitamus ergò, quænam ex his sit definitum in definitione generis: circa quod, ut meam explicem mentem, brevitatè, quæ possim, sit,

Nostra conclusio.

DICO Igitur: Per definitionem generis sola secunda intentio per se, & formalitèr definitur, ac proinde sola ipsa est definitum formale in definitione generis, licet natura sit definitum materiale. Est communis inter Thomistas, contra plerosque Societatis, & probatur primo: Per definitionem logicam solum definitur formalitèr, quod est obiectum formale logicæ, ut communiter fatentur AA. ergo sola illa definitur formalitèr per definitionem generis, quæ definitio logica est. Maior, in qua est difficultas, patet: quia illud per se, & formalitèr definitur à logico, cuius essentiam intendit logica explicare; sed logica solum intendit explicare essentiam sui obiecti formalis: ergò per definitionem logicam solum definitur formalitèr, quod est obiectum formale logicæ.

3. Secundo probatur conclusio: in genere solum reperitur natura & secunda intentio, sed natura definiti non valet: ergò per definitionem generis solum definitur secunda intentio. Minor probatur: natura, quæ denominatur genus, non habet essentiam aliquam determinatam: ergò definirì nequit. Antecedens probatur: quia talis natura potest esse vel substantia vel accidens, vel ens reale, vel rationis, sed quod hoc modo se habet

habet non habet essentiam determinatam: ergò natura, quæ denominatur genus, non habet essentiam aliquam determinatam.

4 Respondent contrarij, quod natura potest considerari, primo secundum se, secundo prout connotat secundam intentionem, & prout illam dicit in obliquo, vel prout illi substat. Primo modo concedunt: quod natura non habet essentiam determinatam, allerunt tamen secundo modo consideratam illam habere, quia connotare secundam intentionem, & illi substat, essentia determinata est.

Sed contra est: quia natura, quocumque modo sumatur, vel sumitur prout adæquate distincta à secunda intentione, vel prout aliquo modo importans secundam intentionem. Si primo modo sumitur, nullam importat essentiam determinatam, quia in genere nulla datur essentia determinata adæquate distincta à secunda intentione. Si secundo modo sumatur, verum est importare essentiam determinatam; sed hæc est essentia secundæ intentionis: ergò in genere nulla datur essentia determinata, nisi essentia secundæ intentionis, & consequenter sola secunda intentio definitur. Explicatur: substat secundæ intentioni, & illam connotare, solum dicit essentiam determinatam

ex parte secundæ intentionis, quam connotat in obliquo, non autem ex parte naturæ, quam importat in recto; sed solum definitur formaliter, & per se id, quod importat essentiam determinatam: ergò solum definitur secunda intentio, non autem natura.

5 Confirmatur primo: Essentia, quæ explicatur per definitionem generis, est eisdem speciei in omnibus generibus, omnia enim genera specificè conveniunt in hoc, quod est, esse predicabilia de pluribus differentiibus specie in quid; sed sola essentia secundæ intentionis est eadem specificè in omnibus generibus, natura vero per omnia genera, & predicamenta vagatur: ergò per definitionem generis sola essentia secundæ intentionis explicatur: ergò illa sola est definitum formale in definitione generis. Confirmatur secundo: illud est definitum formale in definitione generis, cui per se, & formaliter convenit definitio, sed definitio generis, scilicet, predicari de pluribus differentiibus specie, non convenit naturæ per se, & formaliter, sed ratione secundæ intentionis: ergò non natura, sed secunda intentio est definitum for-

male in definitione

generis.

(o)

Solvuntur argumenta

6 **O**BJICIENS Primo: Definitum in qualibet definitione est illud, cui convenit definitio; sed definitio generis, scilicet, esse prædicabile de pluribus differentiibus specie, non convenit secundæ intentioni, sed naturæ: ergò definitum in tali definitione non est secunda intentio, sed natura. Minor patet; quia secunda intentio non est prædicabilis de pluribus specie distinctis, sed sola natura, v. g. animal. Respondeo distinguendo maiorem: definitum in qualibet definitione est illud, cui per se, & essentialiter convenit definitio, concedo maiorem: cui convenit accidentaliter, & ratione alterius, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Et ad probationem minoris dico, quod definitio generis convenit naturæ, & secundæ intentioni; naturæ quidem materialiter, accidentaliter, & ratione alterius, scilicet ratione secundæ intentionis, quia natura ex se, & essentialiter non est prædicabilis de pluribus, sed constituitur talis per secundam intentionem; secundæ autem intentioni convenit definitio per se, & essentialiter, quia cum definitio sit prædicabilitas de pluribus, & hæc consistat formaliter in secundæ intentione, ipsi per se, & essentialiter, & formaliter convenit definitio.

7 Cum autem vrges: Secunda intentio non prædicatur de pluribus: ergò ipsi non convenit definitio. Respondeo distinguendo antecedens: non prædicatur ut *quod*, concedo antecedens non prædicatur ut *quo*, nego antecedens, & distinguo consequens eodem modo: ex quo sequitur, definitum formale esse secundam intentionem, & non naturam, quia in concretis accidentalibus id, cui convenit definitio ut *quod*, est subiectum denominatum, cui tantum per accidens, & ratione alterius convenit definitio, à per consequens nequit esse definitum formale; id autem, cui convenit definitio ut *quo*, est forma denominans, cui per se, & formaliter convenit definitio, unde ipsa tantum est definitum formale. Exempli gratia cum definitur *album* per hoc, quod est, *esse disgregativum visus*; corpus est subiectum denominatum, cui tantum accidentaliter convenit esse disgregativum visus, licet illi conveniat ut *quod*; albedo autem est forma, cui per se, & formaliter convenit disgregare visum, licet illi conveniat tantum ut *quo*; ex quo sequitur, quod albedo sit definitum formale in definitione albi, & corpus definitum pure materialiter. Sic ergò dicimus de genere, cum etiam sit concretum accidentale, quod scilicet naturæ convenit definitio ut *quod*, scilicet, esse prædicabilem

lem de pluribus, ceterum accidentaliter, & ratione alterius, scilicet ratione secundæ intentionis: secundæ vero intentioni convenit *ut quo* esse prædicabilem, ceterum per se, & formaliter, nam per se est id, quo natura constituitur prædicabilis; unde sola secundæ intentio est definitum formale, & natura pure materialiter definitur.

8 Sed replicabis: ergo secunda intentio solum erit definitum formale *quo*, & alsignandum erit definitum formale *quod*. Patet consequentia: eo modo secunda intentio est definitum formale, quo illi convenit definitio; sed illi convenit definitio tantum *ut quo*: ergo solum erit definitum formale *quo*. Urgetur: cum definitur homo, definitum formale est illud, cui *ut quod* convenit definitio, scilicet, ipse homo: ergo cum definitur genus, illud erit definitum formale, cui convenit definitio *ut quod*, scilicet, natura.

9 Respondeo negando consequentiam. Ad probationem nego maiorem: quia in definitione concreti accidentalis, aliud est, cui convenit definitio *ut quod*, & aliud, quod definitur formaliter *ut quod*: definitur enim formaliter *ut quod*, id, cuius essentia explicatur per definitionem; convenit vero definitio *ut quod* subiecto denominato, cuius essentia minime per illam explicatur. Ad confirmationem concesso antecedenti,


nego consequentiam: quia homo est concretum substantiale, cui per se, & essentialiter convenit definitio, & cuius essentia per definitionem explicatur; at vero genus est concretum accidentale, supponens tantum pro natura, cuius essentia per definitionem non explicatur, unde natura nequit esse definitum formale *quod*.

10 Obijcies secundo: Animal est natura, quæ denominatur genus; sed animali convenit essentialiter definitio generis: ergo naturæ convenit essentialiter definitio generis, & consequenter erit definitum formale. Minor probatur: quia definitio generis est prædicari de pluribus differentibus specie: sed animam essentialiter prædicatur de pluribus differentibus specie: ergo illi convenit essentialiter definitio generis. Confirmatur primo; licet naturæ secundum se non conveniat essentialiter esse prædicabilem, tamen naturæ prout substat secundæ intentioni convenit essentialiter: ergo ad minus natura prout substat, & connotat secundam intentionem erit definitum formale.

11 Respondeo, negando minorem. Ad cuius probationem, claritatis gratia, distinguo minorem: animal essentialiter prædicatur, *ly essentialiter* designante modum prædicationis, concedo minorem: designante modum, quo prædicatio convenit animali, nego minorem;

rem, & consequentiam; quia licet animal prædicetur essentialiter; siue prædicatione essentiali de pluribus, hoc tamen illi non convenit essentialiter, sed accidentaliter, & ratione secundæ intentionis, vnde definitio illi nõ convenit essentialiter. Ad confirmationem, distinguo antecedens: naturæ prout substantat, & connotat secundam intentionem, essentialiter convenit, ratione naturæ importatæ in recto, nego antecedens: ratione secundæ intentionis importatæ in obliquo, concedo antecedens; nunquam enim naturæ, prout adæquatè à secunda intentione distinctæ, convenit prædicabilitas per se, & essentialiter, sed semper accidentaliter, & ratione secundæ intentionis.

12 Denique obijcies: Definitum formale est genus; sed natura, v.g. *animal*, est genus; ergo natura est definitum formale. Distinguo maiorem: definitum formale est genus pro formali, concedo maiorem; genus pro materiali, nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia genus pro materiali est natura, quam non esse definitum formale constat ex dictis.



QUESTIO VI.

Respectu quorum natura possit denominari, vel prædicari ut genus?

1 **P**OTEST Considerari natura, vel respectu specierum, quas continet sub se, vel respectu individuorum. Individua verò: alia sunt completa, vel specifica, alia incompleta, siue generica, completa siue specifica sunt, quæ significant naturam specificam, ut singularizatam, v.g. *hic homo Petrus, & Paulus &c.* Incompleta siue generica sunt, quæ significant naturam genericam, ut immediatè individuatam, & singularizatam, ut *hoc animal, hoc vivens*.

2 Sed ut certa ab incertis separemus, supponendum est, genus denominari tale respectu specierum, quas sub se continet; quod nemo hucusque negavit, & patet; quia de illis prædicatur *in eo quod quid*, tanquam pars potentialis essentiae earum.

Statuitur prima conclusio.

3 **D**ICO Primo: Natura prædicatur ut genus de individuis specificè completis. Est communis; & probatur: quia respectu illius genus denominatur tale, de quo prædicatur ut pars potentialis essentiae; sed de individuis completis, & specificis prædicatur

Q. VI. De quibus genus prædicetur ut genus? 467

ut pars potentialis essentiae eorum : ergò de illis prædicatur ut genus, sive denominaturalis respectu eorum. Minor probatur : tota essentia individuorum completorum est species ; sed genus prædicatur de illis ut pars potentialis speciei : ergò prædicatur ut pars potentialis essentiae illorum.

4 Sed obiicies : Unica relatio non potest respicere, nisi unicum terminum ; sed relatio generis respicit pro termino species sub se contentas : ergò nequit respicere individua specierum pro suo termino, & consequenter non prædicatur de illis ut genus. Respondeo, distinguendo maiorem : non potest respicere nisi unicum terminum formalem, concedo maiorem : absolute non potest respicere nisi unicum terminum, nego maiorem ; & distinguo minorem : relatio generis respicit pro termino formali species, concedo minorem : pro termino materiali, nego minorem ; & distinguo consequens eodem modo ; quia genus prædicatur de speciebus tanquam de termino immediato, & formali ; hoc autem non tollit, quod etiam prædicetur de individuis, tanquam de termino mediato, & materiali.

Secunda conclusio.

DICO Secundo : Natura generica non

prædicatur per modum generis de individuis genericis, & in completis, sed admodum speciei. Est communis, & probatur ; in hac prædicatione ; hoc animal est animal, animal prædicatur ut species, & non ut genus de subiecto ; sed in ea prædicatur genus de suo individuo incompleto : ergò genus non prædicatur de suis individuis incompletis ut genus, sed ut species, Maior probatur : quod prædicatur ut tota essentia subiecti, prædicatur ut species, & non ut genus ; sed in dicta prædicatione animal prædicatur ut tota essentia subiecti : ergò in ea prædicatur ut species, & non ut genus. Minor probatur : subiectum dictæ prædicationis est hoc animal ; sed tota essentia huius subiecti est animal : ergò in dicta prædicatione animal prædicatur ut tota essentia subiecti, Minor probatur primo : quia sic comparatur homo ad hoc subiectum hic homo, sicut animal ad hoc subiectum hoc animal ; sed tota essentia primi subiecti est homo : ergò tota essentia secundi est animal. Secundo : illud subiectum hoc animal præcisè importat subiectum, & hæccitatem ; sed ut postea videbimus, hæccitas non pertinet ad essentiam metaphysicam illius : ergò tota essentia metaphysica, de qua loquimur, est animal. Tercio ; si aliquid esset de essentia subie-

subiecti illius præter animal, esset aliqua differentia specifica, sed nulla differentia specifica est de essentia talis subiecti: ergò tantum animal est de essentia illius subiecti *hoc animal*. Minor patet: nam id, à quo aliquod subiectum præscindit, non est de essentia illius; sed subiectum, *hoc animal* præscindit ab omni differentia specifica: ergò nulla est de essentia illius.

6 Sed obijcies: Animal non prædicatur immediate de hoc, & illo animali; sed species prædicatur immediate de suis individuis: ergò animal non prædicatur ut species de hoc & illo animali. Maior probatur: animal prædicatur immediate de eo, ad quod immediate contrahitur; sed immediate contrahitur ad species, & non ad hoc, & illud animal: ergò non prædicatur immediate de hoc & illo animali. Respondeo, negando maiorem. Ad probationem, distinguo maiorem: animal prædicatur immediate de eo ad quod immediate contrahitur, intentionaliter, & obiective, concedo maiorem: ad quod immediate contrahitur in re præcisè, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Licet enim animal à parte rei non possit contrahi per hæcceitatem, quin mediè aliqua differentia specifica, tamen intellectus potest

apprehendere animal ut contractum ad hæcceitatem, & individuatum, nullam concipiendo differentiam specificam mediam; ac proinde intentionaliter potest contrahi immediate ad hoc, & illud animal, nulla mediante intentionaliter differentia.

7 Sed instabis: in hac prædicatione: *Hæc substantia est substantia*, substantia non prædicatur ut species: ergò nec animal, in dicta prædicatione. Antecedens probatur: species adæquatè dividitur in infimam, & subalternam, debetque constare genere, & differentia; sed in hac prædicatione: *Hæc substantia est substantia*, substantia non est species infima, nec subalterna, cum sub nullo genere contineatur; aliàs nec constat genere, cum ipsa sit genus supremum sub nullo genere contentum: ergò in dicta prædicatione substantia non prædicatur ut species.

8 Respondeo, negando antecedens. Ad probationem, distinguo maiorem: species ut subijcibilis, concedo maiorem: species ut prædicabilis, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam: quia sola species subijcibilis est, quæ debet esse subalterna vel infima, & debet constare genere, & differentia, quia ut talis debet contineri sub genere; at vero de essentia speciei prædicabilis ut talis tantum est, quod

ut pars potentialis essentiae eorum: ergo de illis prædicatur ut genus, sive denominatur talis respectu eorum. Minor probatur: tota essentia individuorum completorum est species; sed genus prædicatur de illis ut pars potentialis speciei: ergo prædicatur ut pars potentialis essentiae illorum.

4 Sed obijcies:

Vnica relatio non potest respicere, nisi unicum terminum; sed relatio generis respicit pro termino species sub se contentas: ergo nequit respicere individua specierum pro suo termino, & consequenter non prædicatur de illis ut genus. Respondeo; distinguendo maiorem: non potest respicere nisi unicum terminum formalem, concedo maiorem: absolute non potest respicere nisi unicum terminum, nego maiorem; & distinguo minorem: relatio generis respicit pro termino formali species, concedo minorem: pro termino materiali, nego minorem; & distinguo consequens eodem modo; quia genus prædicatur de speciebus tanquam de termino immediato, & formali; hoc autem non tollit, quod etiam prædicetur de individuis, tanquam de termino mediato, & materiali.

Secunda conclusio.

DICO Secundo: Natura generica non

prædicatur per modum generis de individuis genericis, & in completis, sed admodum speciei. Est communis, & probatur in hac prædicatione: hoc animal est animal, animal prædicatur ut species, & non ut genus de subiecto; sed in ea prædicatur genus de suo individuo incompleto: ergo genus non prædicatur de suis individuis incompletis ut genus, sed ut species. Maior probatur: quod prædicatur ut tota essentia subiecti, prædicatur ut species, & non ut genus; sed in dicta prædicatione animal prædicatur ut tota essentia subiecti: ergo in ea prædicatur ut species, & non ut genus. Minor probatur: subiectum dictæ prædicationis est hoc animal; sed tota essentia huius subiecti est animal: ergo in dicta prædicatione animal prædicatur ut tota essentia subiecti, Minor probatur primo: quia sic comparatur homo ad hoc subiectum hic homo, sicut animal ad hoc subiectum hoc animal; sed tota essentia primi subiecti est homo: ergo tota essentia secundi est animal. Secundo: illud subiectum hoc animal præcisè importat subiectum, & hæccitatem; sed ut postea videbimus, hæccitas non pertinet ad essentiam metaphysicam illius: ergo tota essentia metaphysica, de qua loquimur, est animal. Tertio: si aliquid esset de essentia subiecti

quod predicetur de inferioribus
ut tota essentia; unde licet sub-
stantia non possit esse species
subijcibilis, quia sub nullo ge-
nere continetur, potest tamen
predicari ut species, sive esse
species predicabilis.

QVÆSTIO VII.

Vtrum genus possit immediate in-
dividuari?

HOC est: Vtrum genus pos-
sit à parte rei existere
in individuo absque om-
ni differentia specifica, v. g. ali-
quod animal determinatum,
quod ad nullam speciem ani-
malis pertineat.

Nostra conclusio.

DICO Igitur: Re-
pugnat genus in in-
dividuo absque om-
ni differentia specifica. Est com-
munior inter AA. & proba-
tur: quia si animal, v. g. exi-
steret in individuo absque om-
ni differentia specifica, non esset
eiusdem rationis cum homine,
neque diversæ rationis ab ho-
mine; sed repugnat animal in
individuo, quod nec sit eiusdem
rationis cum homine, nec di-
versæ rationis ab illo: ergo re-
pugnat genus in individuo abs-
que omni differentia specifica.
Probat maior; quia nec ha-
beret differentiam specificam
hominis, nec haberet differ-
entiam specificam ab homi-
ne; sed non potest esse eius-
dem rationis cum homine,

quin habeat differentiam speci-
ficam hominis, nec diversæ ra-
tionis ab homine, quin habeat
differentiam specificam ab illo:
ergo nec esset eiusdem, nec di-
versæ rationis ab homine. Con-
firmatur: tale animal necessest
rationale nec irrationale: ergo
necessest eiusdem nec diver-
sæ rationis ab homine. Ante-
cedens probatur: rationali-
tas est differentia specifica ho-
minis; & irrationalitas est dif-
ferentia specifica ab illo; sed
illud animal nullam haberet dif-
ferentiam specificam: ergo nec
esset rationale, nec irrationale.

Si dicas, quod illud
animal foret diversæ rationis ab
homine, non propter aliquam
differentiam specificam, sed
propter negationem omnis dif-
ferentia, quam quidem non
habet homo. Contra est pri-
mo: quia talis negatio omnis
differentia est chimerica. Ete-
nim ipsa negatio esset differ-
entia, quia per illam tale ani-
mal differret ab homine; rur-
susque non esset differentia,
quia esset negatio omnis dif-
ferentia: ergo solutio chime-
rica est. Secundo: quia animal
respectu differentiarum se ha-
bet, sicut materia prima res-
pectu formarum; sed ut dice-
mus 1. Phisicorum, materia pri-
ma nequit existere in indi-
viduo absque omni forma: er-
go nec genus absque omni dif-
ferentia. Tertio: genus ne-
quit existere in individuo cum

indifferentia ad plures species; sed indifferentia ad plures species non aufertur, nisi per determinationem, aut differentiam specificam; ergo nequit existere in individuo absque omni differentia specifica. Maior patet: quia aliàs à parte rei, & in individuo daretur universale.

3 Sed obijcies pro contrarijs: quodlibet existere potest absque eo, quod non est de eius essentia; sed differentia specificæ non sunt de essentia generis, animalis, v. g. ergo genus potest existere à parte rei, & consequenter in individuo absque omni differentia specifica. Respondeo, distinguendo maiorem: quodlibet existere potest absque eo, quod non est de eius essentia tam formaliter, quam connexive, concedo maiorem: absque eo, quod non est de essentia eius formaliter, nego maiorem; & distinga minor, eodem modo, nego consequentiam. Nam illud est de essentia alicuius formaliter, quod includitur in eius conceptu formaliter, vt rationale respectu hominis; illud autem est de essentia alicuius connexive, cum quo illud essentialiter connectitur, vt filius est de essentia Patris: distimus ergo, quod de essentia generis, saltem connexive, est habere aliquam differentiam specificam, quia essentialiter connectitur cum aliqua parte,

vnde sine omni nequit existere, sicut pater sine omni filio; ob similem rationem. Et quidem insto argumentum: quia nec differentia individuales sunt de essentia generis; & tamen genus nequit existere absque omni differentia individuali; aliàs esset idea Platonis.

QVÆSTIO. VIII.

Verum genus prædicetur formaliter de differentijs.

1 **I**LLVD Prædicatur formaliter de aliquo, quod est de essentia metaphysica eius, ita vt includatur in eius conceptu formali, sicut animal, & rationale prædicantur formaliter de homine, & sunt de eius essentia metaphysica, quia includuntur in eius conceptu formali. Illud autem prædicatur identice de aliquo, quod realiter cum illo identificatur, non tamen includitur in eius conceptu formali, sicut rationalitas prædicatur de animalitate hominis. Supponimus autem, genus, v. g. *animal* prædicari saltem identice de differentijs, v. g. de rationali, quia realiter identificatur cum illo; inquirimus autem, vtrum etiam prædicetur formaliter.

Nostra.

Nostra conclusio.

DICO Igitur: *Genus non predicatur formaliter de differentijs.* Est communis inter AA, & merito, quia illam expresse docet Arist. 3. metaph. text. 10. & alijs in locis, quem sequitur D. Thom. Et probatur: quia id predicatur formaliter de aliquo, quod includitur in conceptu formali illius; sed genus non includitur in conceptu formali differentiarum: ergo non predicatur formaliter de illis. Minor, quae sola difficilis est, probatur: idem iuxta Philosophi. loco citato, ens non est genus, quia includitur in conceptu formali differentiarum: ergo de ratione generis est non includi in conceptu formali differentiarum: Secundo quia compositio metaphysica fit ex genere, & differentia tanquam ex partibus; sed de ratione partis componentis est non includere aliam, nec includi in alia, alias enim pars includens compartem esset equalis cum toto, quod quidem est contra rationem partis, quae essentialiter est minor suo toto: ergo de ratione generis est, non includi in differentia, & de ratione differentiae, quod formaliter non includat genus.

3 Confirmatur:

De ratione partium physicè componentium est, quod neutra physicè includat aliam, unde nec materia includit formam,

nec forma materiam: ergo de ratione partium metaphysicè componentium est, quod neutra metaphysicè includat aliam, ita ut nec genus includat differentiam in suo conceptu, nec differentia genus.

4 Secundo probatur conclusio: quod includitur in conceptu differentiarum; transcendit differentias, & quod transcendit differentias non potest esse univocum, ut videbimus tract. sequenti; sed genus essentialiter petit esse univocum: ergo nequit esse de conceptu formali differentiarum, aut in illis includi formaliter: ergo non predicatur formaliter de illis.

Solvantur argumenta.

SE D. Obijcies primo: Rationale formaliter est substantia; cum non sit formaliter accidens; sed substantia est genus: ergo genus predicatur formaliter de rationali, & consequenter de differentijs. Respondeo, distinguendo maiorem: rationale formaliter est substantia, praescindendo à completa, & incompleta, concedo maiorem: determinate completa, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia ut dicemus tract. sequenti, solum ratio substantiae completae habet rationem generis, non autem ratio

substantiæ præscindens à completa, & incompleta; de differentia autem non prædicatur formalitèr ratio substantiæ completæ, quia differentia non est formalitèr substantia completa, sed solum est substantia incompleta.

6 Obijcies secundo: quæ identificantur formalitèr cum tertio, identificantur formalitèr inter se; sed animal, & rationale, quæ sunt genus, & differentia, identificantur formalitèr cum homine: ergò identificantur formalitèr inter se; sed quæ formalitèr identificantur, vnum de alio formalitèr prædicatur: ergò animal formalitèr prædicatur de differentia, scilicet de rationali. Confirmatur: omnis homo est rationalis; omnis homo formalitèr est animal: ergò rationale formalitèr est animal, & consequenter animal prædicatur formalitèr de rationali. Consequentia patet quia syllogismus est in *Darapti*.

7 Respondeo distinguendo maiorem: quæ identificantur cum tertio formalitèr simplici, identificantur formalitèr inter se, concedo maiorem: quæ identificantur cum tertio formalitèr ex ipsis composito, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia tertium, scilicet homo, est formalitèr compositus ex animali, & rationali, tanquam ex genere, & differentia. Unde ex eo, quod animal, & ra-

tionale includantur formalitèr in homine, sive identificentur cum illo, non sequitur, quod identificentur formalitèr inter se, aut quod vnum includatur in alio, immo sequitur, vnum esse extra essentiam, & conceptum alterius, quia sunt partes metaphysicè componentes tertium. Sicut ex eo quod vtraque pars physica, v. g. *corpus*, & *anima*, formalitèr includatur in homine, non sequitur, quod vna includatur in alia, immo sequitur oppositum.

8 Ad confirmationem, concessis præmissis, nego consequentiam; negoque quod ille syllogismus sit in *Darapti*, immo non est syllogismus, sed parallogismus, quia sicut quando concluditur identitas realis extremitatum, necesse est, quod medium sit vnum, & simplex realitèr, qua ratione hic syllogismus non tenet: *Anima identificatur realitèr cum homine; corpus identificatur realitèr cum homine: ergò corpus identificatur realitèr cum anima*; ita quando concluditur identitas formalis extremitatum, requiritur, quod medium sit simplex, & vnum formalitèr, quod non accidit in syllogismo argumenti, medium enim illius est homo formalitèr compositus ex animali, & rationali, quæ sunt extremitates; unde rectè dixi-

Diximus, illum syllogismum esse parallogismum, sive fallax.

Si inquiras: ad quod predicabile pertineat haec praedicatio: *rationalis est animal*, sive alia quaelibet, in qua genus praedicatur de differentia infima. Respondeo, quod intellecta in sensu formali, ad nullum, quia est falsa; intellecta vero in sensu reali, & identico, reductive pertinet ad genus.

QVÆSTIO. IX.

Quomodo genus predicetur de suis inferioribus?

POTEST Considerari genus, vel ut totum potentiale, vel ut pars actualis, vel ut pars potentialis. Consideratur ut totum potentiale, in quantum animal significatur per modum suppositi per se subsistentis, veruntamen perfectibilis, quasi accidentaliter, & adiective per differentias. Consideratur ut pars actualis, in quantum cum differentia componit speciem. Consideratur denique ut pars potentialis, in quantum simul cum differentia componere potest varias species.

Nostra conclusio.

DICO Igitur: Genus praedicatur de speciebus ut pars potentialis ex parte rei,

quam formaliter significat; ex parte vero eius, pro quo supponitur, praedicatur ut totum potentiale, & perfectibile. Prima pars patet, quia genus non significat formaliter totam essentiam speciei, sed tantum partem potentialem illius: ergo ex parte rei, quam formaliter significat, praedicatur ut pars potentialis specierum. Secunda vero pars etiam probatur: quia genus supponit pro omni eo, pro quo supponit species: ergo est totum id pro quo supponit species, & consequenter praedicatur ut totum ex parte eius pro quo supponit. Antecedens, in quo est difficultas, probatur: species tantum supponit pro genere, non autem pro differentia; sed genus supponit pro se: ergo supponit pro omni eo, pro quo supponit species. Maior probatur: quia, quando aliquod concretum constat duabus partibus, quarum prima significatur substantive, & altera advenit quasi accidentaliter, & significatur adiective, illud concretum tantum supponit pro prima, non vero pro secunda parte; ut patet in hoc concreto *album*, quod tantum supponit pro corpore, cui advenit albedo, non autem pro albedine; sed species constat genere, & differentia, & genus significatur substantive, ut *animal*, differentia vero significatur adiective, & ad-

venit generi, quasi accidentaliter, ut *rationale*: ergo species tantum supponit pro genere, & non pro differentia.

3 Confirmatur: Hoc concretum *animal rationale* tantum supponit pro animali; sicut hoc concretum *corpus album* tantum supponit pro corpore; sed *homo* pro eodem omnino supponit, ac *animal rationale*: ergo *homo* tantum supponit pro animali, & consequenter species tantum supponit pro genere. Urgetur: ut prædicatio sit vera, requiritur, quod prædicatum supponat pro omni eo, pro quo supponit subiectum; unde hæc prædicatio est falsa: *homo est anima*; hæc autem est vera: *corpus est album*; sed genus per veram prædicationem prædicatur de specie: ergo supponit pro omni eo, pro quo supponit species, & consequenter ex parte eius, pro quo supponit, prædicatur ut totum quod est species. In cuius confirmatione adest D. Thom. qui cap. 3. de ente, & essentia sic ait: *Si animal non esset totum, quod est homo, non diceretur de eo, cum nulla pars prædicetur de suo toto*; sed *animal* non est totum, quod est *homo*, ex parte eius, quod formaliter significat, cum *homo* plus significet, quam *animal*: ergo est totum, quod est *homo* ex parte eius, pro quo supponit. Unde sicut hoc concretum *album* plus significat, quam *corpus*, scilicet

albedinem, supponit vero pro eodem omnino; scilicet pro ipso corpore; ita *homo* plus significat, quam *animal*, scilicet rationalitatem, verumtamen tantum supponit pro ipso animali. Diximus in conclusione, quod genus prædicatur ut totum potentiale, quia prædicatur ut totum non perfectum, & completum, sed ulterius perfectibile per differentias.

4 Sed obijcies: *homo* non solum supponit pro animali, sed etiam pro rationali: ergo *animal* non est totum id pro quo supponit *homo*. Insto argumentum: *album* non solum supponit pro corpore, sed etiam pro albo: ergo *corpus* non est totum id, pro quo supponit *album*? Negabis consequentiam, quia idem omnino est ex parte suppositi *album*, & *corpus*, licet distinguantur ex parte significati: idem ergo nos dicimus de animali, & rationali, quod, scilicet, rationale non superaddit suppositum ad animal, aliàs prædicaretur substantive, sed pro eodem omnino supponit, licet significet aliquid diversum formaliter.

5 Urgebis: Si *homo* tantum supponeret pro animali, & non pro rationalitate, quam formaliter significat, esset concretum accidentale, & non substantiale; sed hoc est falsum: ergo. Sequela patet: quia
ideò

Ideo album est concretum accidentale, quia tantum supponit pro corpore, non autem pro albedine, quam formaliter significat: ergo. Respondeo, negando sequelam. Ad cuius probationem dico, quod concretum accidentale est, quod significat in recto subiectum, & formam totalem in obliquo pure adiective, & non substantivè; unde album est concretum accidentale, quia formam totalem, scilicet, albedinem, significat pure adiective, & in obliquo. At vero homo est concretum substantiale, quia formam totalem, quæ non est rationalitas, sed humanitas, significat substantivè, & in recto, non autem adiective. Quod autem rationalitas, formaliter loquendo, non se habeat per modum suppositi aut substantivè in homine, sed tantum adiective, ut determinans animalitatem; non facit quod homo sit concretum accidentale, quia rationalitas non est forma totalis hominis; sed tantum partialis; & concretum substantiale, vel accidentale regulatur penes formam totalem, non penes partialem.

6 Pro perfecta noticia generis, hic solet inquiri, utrum genus salvetur in unica specie? Ad quod facile ex dictis respondeo, primo, quod si plures species sint possibiles, unica tantum in existenti, immo & in unico individuo

salvetur genus, cum quoad prædicata essentialia naturæ, tum quoad universalitatem. Patet: quia etiam si in rerum natura tantum existeret species hominis, & in illa tantum existeret Petrus, ille esset essentialiter animal, sive vivens sensibile: ergo salvarentur in eo prædicata essentialia generis animalis. Rursusque animal esset aptum positivè ad essendum in multis: ergo salvaretur universalitas. Vide supra quæst. 3. à n. 62.

7 Respondeo, secundo, quod si repugnarent plures species, repugnaret genus. Patet primo ex D. Thom. qui 1. Post. Lect. 12. ait. *Non est possibile invenire aliquod genus, cuius una tantum sit species.* Secundo: quia genus essentialiter est universale; sed ut constat ex quæst. 3. huius tractatus, repugnat universale, si plura inferiora repugnent; ergo repugnat genus, si plures species repugnent. Patet consequentia; quia inferiora generis sunt species.

8 Solet item inquiri, qualiter intelligatur illud proloquium: *Genus sumitur à materia, & differentia à forma.* Respondeo, breviter, quod potest intelligi per similitudinem, & proportionem, ita ut sicut in composito physico materia est pars determinabilis, & actuabilis, & forma determinans, & actuans; ita similiter in composito

tione metaphysica genus se habet ut pars potentialis, & determinabilis, differentia vero ut pars determinans, & actuans. Aliam intelligentiam magis strictam vide apud Collegium D. Thom. Complutense. Et hæc sufficiant dicta pro noticia generis comparanda.

QVÆSTIO X.

Quid, & quorūplex sit species?

SOLET Accipi species pro decore, & pulchritudine cuiusvis rei, qualiter Propheta Regius: *Specie tua, & pulchritudine tua,* & Iaias de Christo: *Non erat ei species, neque decor.* Rursusque solet accipi pro forma intentionali representante nobis res absentes, quæ quidem solet appellari species impressa, vel expressa, de quibus late disputant Animaſtici: in præſenti verò solum sumitur pro conceptu essentiali individuorum totam essentialiam illorum metaphysicam dicente, ut *homo.*

Dividitur, & definitur species.

PRIMO Dividitur species in subijcibilem, & prædicabilem. Subijcibilis iuxta Porphyrium est: *quæ ponitur sub genere, & de qua genus in eo quod quid est, prædicatur.* Prædicabilis verò iuxta eundem: *quæ prædicatur*

Prædicabilibus.

de pluribus differentiibus numero in eo quod quid. Species subijcibilis ulterius dividitur in infimam, & subalternam. Infima est, quæ subijcitur generi, nullas tamen sub se continet species. Subalternam, quæ generi subijcitur, continet tamen sub se plures species ut *animal.*

3 Sola definitio speciei prædicabilis indiget explicatione. Igitur per illam particulam, *prædicatur de pluribus,* convenit species cum ceteris prædicabilibus, quæ etiam prædicantur de pluribus, cum univertalia sint; unde talis particula in definitione ponitur loco generis. Cæteræ particule ponuntur loco differentie; per illam enim *de pluribus differentiibus numero* differt à genere, quod prædicatur de pluribus differentiibus specie. Vbi advertite quod prædicari de pluribus differentiibus numero debet intelligi immediate, quia mediate etiam genus prædicatur de pluribus differentiibus numero; etiamque debet intelligi exclusive de pluribus solo numero differentiibus, quia de pluribus numero; & specie differentiibus etiam genus prædicatur. Per alteram denique particulam, scilicet in *in eo quod quid,* denotatur speciem prædicari substantivè ut tota essentialia individuorum, per quod ulterius differt à ceteris omnibus prædicabilibus. Si autem prædictam definitionem ad breviorē, & clariorem reducere vis, illam accipe

Quest. X. Quid, & quotuplex sit species?

477

accipe: Species est, quae praedicatur de pluribus ut tota essentia eorum.

4 Sed argues: Species non est tota essentia individuum: ergo male asserimus, illam praedicari de individuis ut tota essentia illorum. Antecedens probatur: de essentia individuum sunt differentiae individuales; sed species non includit differentias individuales; ergo species non est tota essentia individuum. Respondeo, negando antecedens. Ad eius probationem, distinguo maiorem: de essentia metaphysica individuum sunt differentiae individuales, nego maiorem: de essentia physica illorum, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam in eodem sensu; quia, quando dicimus, quod species praedicatur ut tota essentia, loquimur de essentia metaphysica, ad quam non pertinent differentiae individuales.

5 Sed contra replica- bis: Sicut se habet differentia specifica ad speciem, ita se habet differentia individualis ad individuum; sed differentia specifica est de essentia metaphysica speciei: ergo individualis est de essentia metaphysica individui: Distinguo maiorem: sicut & eodem modo, nego maiorem; sicut, & diverso modo, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Itaque essentia metaphysica rei est illa per quam respondemus ad qua-

stionem interrogantem, quid est, aut quale quid est res? Non autem illud, per quod respondemus interroganti, quis est hic, aut ille? Unde essentia dicitur quidditas a quaestione, quid est? non autem ab interrogatione, quis est? Ex quo manifeste sequitur differentia inter differentiam specificam, & individua- lem; nam interroganti, *quid est homo?* Respondemus per genus, & differentiam specificam, dicendo, *animal rationale*, non autem per individua-lem, dicen- do, *Petrus, & Paulus*, per hoc enim solum respondemus inter-roganti, *quis est homo?* Unde differentia specifica, non autem individualis pertinet ad quiddi- tatem, sive essentiam metaphy- sicam individui. Totum hoc do- cuit Damascenus cap. 9. Dia- lect. his verbis: *Proprietas indi- vidualis non ostendit, neque quale quid est, neque quid est rei, sed quis est; interroganti enim, quis est iste? Dicimus, Petrus. Deinde interroganti, quid est Petrus? Dicimus, homo.*

QUESTIO. XI.

Verum species subijcibilis, ut subij- cibilis sit predi- cabilis?

HÆC Propositio: *Species subijcibilis, ut subijcibilis est predicabilis, potest facere triplicem sententiam. Primo, ita ut per eandem for- mam,*

nam, per quam est subijcibilis, constituitur formaliter prædicabilis. Secundo, ita ut subijcibilitas sit causa, aut ratio à priori inferens prædicabilitatem. Tertio, ita ut subijcibilitas sit subtractum, quod denominatur prædicabile. In primo sensu intelligitur propositio formaliter, in secundo causaliter, in tertio purè materialiter, Quo supposito.

Tribus assertis respondetur quesito.

ASSERO Primo: *Species subijcibilis ut subijcibilis non est formaliter prædicabilis.* Pater, quia speciem subijcibilem ut subijcibilem formaliter esse prædicabilem, est quod per formam, per quam constituitur subijcibilis, constituitur formaliter prædicabilis; sed species non constituitur formaliter prædicabilis per eandem formam, per quam constituitur subijcibilis: ergo species subijcibilis ut subijcibilis non est formaliter prædicabilis. Minor probatur. Quia species constituitur subijcibilis per respectum ad genus, prædicabilis vero per respectum ad individua; sed hi respectus sunt valde diversi: ergo species non constituitur formaliter prædicabilis per eandem formam, per quam constituitur subijcibilis.

3 *Assero secundo: Species subijcibilis ut subijcibilis ad-*

huc causaliter, sive in sensu causali, non est prædicabilis. Probatur: speciem subijcibilem in hoc sensu esse prædicabilem consistit in eo, quod subijcibilitas sit ratio à priori, sive causa inferens prædicabilitatem: sed ex eo quod species sit subijcibilis, non inferitur à prioricam esse prædicabilem: ergo species subijcibilis ut subijcibilis non est prædicabilis adhuc in sensu causali. Minor probatur primo: quia datur species subijcibilis, quæ non est prædicabilis, scilicet natura angelica, ut diximus quæst. 3. huius tract. ergo ex subijcibilitate non inferitur à priori prædicabilitas. Secundo: quia datur species prædicabilis, quæ non est subijcibilis, scilicet substantia, respectu huius, & illius substantiæ ergo ratio à priori, quare aliqua species est prædicabilis, non est quia subijcibilis est. Tertio: quia quod species comparatur, vel non per modum subijcibilis ad genus, impertinens omnino videtur ad hoc, ut postea comparatur ad inferiora; potest enim species comparari ad genus per modum subijcibilis, quin comparatur ad individua per modum prædicabilis, & e contra: ergo speciem esse subijcibilem non inferitur à priori ex eo quod sit prædicabilis; nec e contra: ergo speciem esse subijcibilem non est ratio à priori quare sit prædicabilis, nec e contra.

4 *Assero tertio: Species subij-*

cibilis, ut subijcibilis, materialiter, & per modum abstracti est predicabilis. Patet: Quia ideo homo ut homo est predicabilis materialiter, & per modum abstracti, quia præscindit ab hoc, & illo homine; sed species subijcibilis ut subijcibilis præscindit ab hac, & illa specie subijcibili: ergo est predicabilis materialiter, & per modum abstracti. Confirmatur: species subijcibilis est predicabilis de hac, & illa specie subijcibili; hæ enim prædicationes vere sunt *hæc species subijcibilis est subijcibilis, & hæc species subijcibilis est subijcibilis*, sed non est predicabilis causaliter, aut formaliter, ut manet probatum: ergo materialiter, & per modum abstracti est predicabilis.

5 Obijcies: Species subijcibilis ut subijcibilis est, quæ immediate ponitur sub genere; sed ex eo quod immediate ponatur sub genere, infertur à priori eam esse universalem: ergo ex eo quod species subijcibilis sit subijcibilis, sequitur à priori esse universalem, seu predicabilem. Minus probatur: ex eo quod species ponatur immediate sub genere, sequitur, quod non sit singularis, quia singulare non ponitur immediate sub genere; sed si non est singularis, debet esse universalis: ergo ex eo quod species ponatur immediate sub genere, sequitur esse universalem.

6 Respondeo, negando minorem. Ad cuius probationem,

concedo maiori, distinguo minorem: si non est singularis, debet esse universalis negative, concedo minorem: debet esse universalis positive, nego minorem, & consequentiam; quia imprimis ex eo quod ponatur immediate sub genere, non sequitur à priori, quod non sit singularis, sed à posteriori, quia naturam non esse positive singularem non est aliquid subsequutum ex eo quod subijciatur generi, sed est aliquid præsuppositum, prærequiritur enim quod natura præscindatur à singularitate, ut immediate ponatur sub genere; nec ex eo quod non sit singularis, sive præscindatur à singularitate sequitur esse universalem positive, sed tantum negative.

QUESTIO XII.

Quid, & quatuorplex sit individuum?

QUIA Individuum est correlativum speciei, ideo post noticiam de illa, sequitur immediate agere de isto.

Dividitur, & definitur in individuum.

INDIVIDUUM Potest sumi primo intentionaliter, scilicet, secundum quod habet ante operationem intellectus, & secundo intentionaliter, scilicet, secundum quod habet per operationem

tionem intellectus. Individuum primo intentionaliter definitur communiter cum D. Th. *indivisum in se, & divisum à quolibet alio.* Vel. ut ait D. Thom. 10. metaph. Lect. 12. *quod non dividitur ulterius, nec formali, nec materiali divisione.* Vbi nota, quod sicut universale dicitur divisibile, sive multiplicabile in plures eiusdem denominationis, ut homo in plures homines, ita individuum, sive singulare dicitur indivisibile, sive quod non dividitur in plures eiusdem denominationis, Petrus v. g. in plures Petros. Non enim excluditur quod dividatur in plura diversæ denominationis, ut Petrus, in animam, & corpus, in brachia, pedes, & caput, quæ sunt partes diversæ denominationis.

2 Sed dices: individuum constans partibus similibus, dividitur in plures partes eiusdem denominationis, v. g. hæc aqua in plures partes aquæ, quarum quælibet dicitur, & denominatur hæc aqua: ergo non est de essentia individui non dividi in plures partes eiusdem denominationis. Respondeo negando antecedens, & ad exemplum dico, quod quælibet pars aquæ dicitur hæc aqua, non hæc, & eadem, quæ fuit divisa, sed hæc alia, & diversa, unde non est eadem denominatio, nisi tantum æquivoce, sicut Petrus dicitur de duobus hominibus ita appellatis.

3 Sed urgebis: aliquis

homo est individuum, & tamen potest dividi in Petrum, & Paulum, quorum quilibet est aliquis homo: ergo individuum potest dividi in plures eiusdem denominationis. Distinguo maiorem: aliquis homo est individuum vagum, & incertum, concedo maiorem: certum, & determinatum, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens eodem modo: quia quando definitur individuum, per hoc quod non dividatur in plures eiusdem denominationis, definitur individuum determinatum, non autem individuum incertum, & indeterminate, hoc enim defini non potest. Ex hoc iam colliges divisionem individui in individuum determinatum, & vagum. Individuum determinatum est, quod constat natura specifica, & certa singularitate, ut *hic homo, Petrus.* Individuum vagum est, quod constat natura specifica, & incerta singularitate, ut *quidam, vel aliquis homo.*

4 Secundo objicies: Individuum nequit defini: ergo male illud definimus. Antecedens probatur primo: quia non constat genere, & differentia, cum non sit species; sed definitio debet tradi per genus, & differentiam: ergo nequit defini. Secundo: quia iuxta Philosoph. 7. Metaph. cap. 3. singulare nequit defini: sed individuum est singulare: ergo nequit defini. Nego antecedens. Ad

primam probationem dico, quod non constat genere riguroso, & rigorosa differentia, constat tamen ratione communi entis, & ratione indivisibilis, quorum primum se habet per modum generis, & secundum per modum differentiae, & hoc sufficit, ut definiatur saltem improprie, & minus rigurose. Ad secundam explico Philosoph. singulare in singulari nequit defini, concedo maiorem: in communi, nego maiorem, & concessa minori eodem modo, nego consequentiam. Itaque singulare singulariter sumptum, quod alij dicunt singulare in exercitio, est tale determinatum individuum, v. g. Petrus, & Petrus defini nequit. Singulare vero in communi, sive, ut alij loquuntur, signate sumptum est individuum, ut sic, prout continet sub se omnia individua, & hoc modo defini potest, quia aliquo modo est commune.

Rursus definitur individuum à Porphyrio: *cuius collectio proprietatum, quae reperitur in uno, non reperitur in alio.* Hæc autem definitio est descriptiva; traditur enim per proprietates. Proprietates vero de quibus loquitur Porphyrius, his versiculis continentur.

Forma, figura, tempus, locus, cum nomine, sanguis, Patria, sunt septem, quae non habet unus, & alter.

Quarum quaelibet fecerit

si poterit bene repetiri in duobus individuis, sed collectio earum omnium non poterit eadem reperiri in vno, & in alio.

De individuo secundo intentionaliter sumpto.

INDIVIDVVM Secundo intentionaliter sumptum definitur à Porphyrio, & admodum prædicabilis, & admodum subijcibilis. Primo sic: individuum est, quod tantum de vno prædicatur. Secundo sic: individuum est, quod immediate subijcitur speciei.

7 Sed contra primam definitionem argues: individuum prædicatur de pluribus: ergo male definitur per prædicari de vno tantum. Antecedens probatur: Petrus est individuum, & Paulus est individuum, & sic de reliquis: ergo individuum prædicatur de pluribus. Distinguo antecedens: individuum prædicatur essentialiter, & per suam essentiam de pluribus, nego antecedens: accidentaliter, & per secundam intentionem super additam, concedo antecedens; & nego consequentiam. Et ad probationem dico, quod de essentia individui non est prædicari de pluribus, alias enim Petrus, qui individuum est, prædicaretur de pluribus, unde prædicari de pluribus tantum accidentaliter illi convenit; prædicari vero de vno tantum competit illi essentialiter, quia nul-

lum datur individuum, cui hoc non competat. Cum autem individuum debeat defini per hoc, quod illi competit essentialiter, non autem per hoc, quod illi competit accidentaliter, inde est, quod debet defini per prædicari de vno tantum, non autem per prædicari de pluribus.

8 Sed replicabis: Nulli rei potest convenire accidentaliter oppositum eius, quod illi convenit essentialiter; sed per nos individuo competit accidentaliter prædicari de pluribus: ergo non convenit illi essentialiter prædicari de vno tantum. Pater consequentia: quia prædicari de vno tantum, & prædicari de pluribus sunt opposita. Distinguo maiorem: nulli rei potest convenire accidentaliter oppositum eius, quod illi convenit essentialiter, à parte rei, & in sensu reali, concedo maiorem: per reflexionem intellectus, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia licet à parte rei nunquam conveniat per accidens subiecto, oppositum eius, quod illi convenit essentialiter; tamen hoc evenire potest quam optime per reflexionem intellectus, quia licet singulare essentialiter sit singulare, potest tamen abstrahi ab hoc, & illo singulari, & tunc per reflexionem denominari

communem.

(o)

QUESTIO: XIII.

Utrum ratio individui sit univoce communis omnibus individuis?

SUPPONENDUM EST, rationem individui esse aliquam communitatem omnibus individuis saltem analogicè. Tum; quia ratio, in qua plura conveniunt, est illis aliquam communitatem, saltem analogicè; sed omnia individua conveniunt in ratione individui, cum quodlibet sit individuum in se, & divisum à quolibet alio: ergo ratio individui est illis aliquam communitatem, saltem analogicè. Nec ea, quæ solent obijci contra hanc suppositionem, aliquid obstant, solum enim probant non dari convenientiam univocam in ratione individui, quod libenter fatemur, & immediate probabimus.

Statuitur nostra conclusio:

2 **D**ICO Ergo: Ratio individui non est univoce communis omnibus individuis. Probatur: ratio, quæ includit in suo conceptu diversitatem inferiorum, non est illis univoce communis; sed ratio individui includit in suo conceptu diversitatem inferiorum; ergo non est illis univoce communis. Maior est certa, quia ratio, quæ includit diversitatem inferiorum, non est omnino eadem;

tem, sed partim eadem, & partim diversa; sed ratio univoca est omnino eadem, non autem partim diversa: ergo ratio, quae includit in suo conceptu diversitatem inferiorum, non est univoca. Minor vero probatur: ratio individui includit in suo conceptu essentiali quidquid est de essentia metaphysica individui; sed differentia individualis est de essentia metaphysica individui: ergo ratio individui includit in suo conceptu differentias individuales, & consequenter diversitatem individuorum;

3 Confirmatur: sicut species includit differentiam specificam, ita individuum includit differentiam individua-lem; sed species includit in suo conceptu essentiali differentiam specificam: ergo individuum includit in suo conceptu essentiali differentiam individua-lem. Tunc sic; sed hoc ipso nequit ratio communis individui esse univoca ad omnia individua: ergo. Probatum min. subsumpta: si animal includeret in suo conceptu essentiali differentias specificas, non esset univocum ad omnes species animalis: ergo eo ipso quod individuū includat in suo conceptu essentiali differentias individuales; nequit esse ratio univoca omnibus individuis.

4 Sed objicies primo: Illa ratio, in qua inferiora conveniunt, est illis univoca; sed individua conveniunt in ratione individui: ergo ratio individui est illis

univoca. Distinguo maiorem; illa ratio, in qua inferiora conveniunt omnino, concedo maiorem. In qua partim conveniunt, & partim differunt, nego maiorem, & distincta minori; eodem modo, nego consequ. quia ratio, in qua inferiora partim conveniunt, & partim differunt, est illis analogica, & solū, est univoca ea ratio, in qua omnino conveniunt inferiora; ac verū in ratione individui partim conveniunt, & partim differunt, quia ratio individui includit differentias individuales, quibus inter se differunt individua.

5 Sed replicabis: Individuum in communi tantū includit differentiam individua-lem in communi; sed individua non differunt per differentiam individua-lem in communi sumptam, sed per illam sumptam in particulari: ergo individuum in communi non includit diversitatem individuorum, etique ratio omnino eadem, & univoca. Respondeo, omnia maiori, distinguenda minorem: non differunt explicitē, concedo minorem; implicitē nego minorem; & consequentiā quia differentia individualis, si sumatur in communi, si sumatur in particulari, semper est differentia, siue diversitas individuorum, ac per consequens in illa differunt individua saltē implicitē, & confuse; nec enim differentia individualis partibilis est adaequate in duos conceptus, quorum unus

fit ratio communis differentie, & alius fit ratio talis differentie. Tum; quia differentia individualis est ultima differentia, sic per consequens non potest contrahi per ulteriorem differentiam; sed si daretur conceptus communis differentie individualis, & conceptus talis differentie individualis, differentia individualis in communi esset contrahibilis per conceptum talis differentie. Ergo differentia individualis non est partibilis in illos duos conceptus. Tunc; quia sequeretur processus in infinitum; quia si in hæcitate individuali daretur ratio differentie, & ratio talis, rursus in illa talitate, vel hæcitate daretur ratio talitatis in communi, & ratio huius talitatis, & sic deinceps; cum ergo non possit dari processus in infinitum, deveniendum est ad aliquam hæcitatem, quæ ita sit simplex, & ultima, quod in illa non detur ratio communis univoca hæcitatatis; hanc ergo dicimus esse differentiam individualem, ad proinde in illa non datur ratio communis univoca hæcitatatis, quæ contrahatur per rationem talis hæcitatatis, sed ipsa per se ipsam est talis.

6 Obijcies secundo: Licet species includat essentialiter differentiam specificam, datur tamen ratio communis speciei univoca omnibus speciebus: ergo licet individuum includat essentialiter differentias individuales,

poterit dari ratio communis individui univoca omnibus individuis. Respondeo distinguendo antecedens datur ratio communis speciei primo intentionaliter sumptæ, nego antecedens; ratio communis speciei secundo intentionaliter sumptæ, concedo antecedens, & distinguo consequens in eodem sensu. Itaque nec species, nec individuū primo intentionaliter possunt præcindi à differentiis vel specificis, vel individualibus, sed per illas formaliter constituuntur, unde nec datur ratio univoca speciei primo intentionaliter respectu omnium specierum, nec ratio individui univoca respectu individuorum. At vero secundo intentionaliter constituitur species, & individuum per secundas intentiones rationis, quæ quidem secundæ intentiones non involvunt formaliter differentias, sed illas tantum præsupponunt; unde bene potest dari ratio univoca secundæ intentionis speciei, & secundæ intentionis individui, quarum prima sit univoca omnibus speciebus, secunda vero omnibus individuis.

7 Pro cõplemento nota contra plures RR. quod in quolibet individuo non dantur tot singularitates, & hæcitates, quot dantur gradus metaphysici, ita ut in Petro detur vna hæcitas substantiæ, alia corporeitatis, alia vivētis, alia animalis, & alia hominis; sed omnes gradus indivi-

duan-

Quantur per vnicam singularitatem advenientem post differentiam specificam infimam quod sic probatur; quia si animalitas in Petro, v. g. ex se & independentè à rationalitate esset hæc, & singularis, non esset contrahibilis per differentiam specificam, cum singulare ut tale non sit vterius contrahibile; sed falsum est, quod animalitas ex se, & independentè à rationalitate non sit contrahibilis per differentiam specificam: ergo non est ex se, & independentè à rationalitate, hæc, & singularis. Confirmatur: ut corpus, vivens, & animal determinentur ad speciem hominis, sufficit vnica differentia specifica: ergo ut determinentur ad vnum individuum, sufficit vnica differentia individualis, & consequenter vnica singularitas.

rationalitas facit hominè essentialitè ab equo differre. Harum differentiarum communis, & propria faciunt differre per accidens; propriissima vero facit differre per se; itemque differentia communis est differentia separabilis; propria vero, & propriissima vocantur à Porphyrio inseparabiles.

2. Differentia autem propriissima, quæ solum constituit hoc tertium prædicabile, alia est constitutiva generis, ut sensibile respectu animalis, & alia diuisiva illius, ut rationale, & irrationale, per quæ dividitur animal. Rursusque differentia potest dividi in infimam, & subalternam. Infima est, quæ constituit speciem infimam, ut rationale constituens hominem. Subalterna est, quæ constituit genus, ut sensibile constituens animal.

3. Differentiam propriissimam quadruplicitè definit Porphyrius. Primo: differentia est, quæ suapte natura separatur ea, quæ sunt sub eodem genere, id est, quæ diversificat ea, quæ sub eodem genere continentur, ut rationale diversificat hominem à leone sub eodem genere animalis contento. Secundo: differentia est, in quo species excedit genus, id est, quod addit species ad rationem genericam, ut rationale est id, quod addit homo ad animal. Tertio: differentia est, quæ differunt inter se singula.

4. Quarto definit Porphyrius

QVÆSTIO XIV.

Quid & quotuplex sit differentia?

P R I M O Dividitur à Porphyrio differentia in communem, propriam, & propriissimam: communis est *accidens separabile faciens differre, vel vnum ab alio, vel idem à se ipso*. Ut currere facit differre hominem currentem à non currente, vel à se ipso ut quiescente. Propria est: *Accidens inseparabile faciens differre vnum ab alio*, ut risibilitas in homine facit illū differre ab equo. Propriissima est, quæ facit vnum essentialitè differre ab alio, ut

rius differentiam ut prædicabilem hoc modo. Differentia est, *quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quale.* Contra quam definitionem extat communis obiectio, quia illa non convenit differentie infimæ: ergo non est bona. Antecedens probatur: quia differentia infima, v. g. *rationalis*, solum prædicatur de pluribus differentibus numero, non autem de pluribus specie differentibus: ergo prædicta definitio non convenit differentie infimæ.

5 Omisissis varijs solutionibus, quas longum esset referre, & reiicere, respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo antecedens: differentia infima solum prædicatur de pluribus differentibus numero, non autem de pluribus differentibus specie ab alijs, nego antecedens: de pluribus differentibus specie inter se, concedo antecedens, & nego consequentiam, quia definitio Porphyrij, intelligenda est in hoc sensu: differentia est, *quæ prædicatur de pluribus specie differentibus per se ipsam ab alijs*; *rationalis* autem prædicatur de suis inferioribus, quæ per ipsummet specie differunt ab alijs aliarum specierum inferioribus. Unde rectè intellecta definitio Porphyrij, convenit rationali, & quilibet differentie infimæ.

6 Sed replicabis: ex nostra solutione sequitur, pariter posse defini per differentiam per

prædicari de pluribus differentibus genere, quod quidem falsum est: ergo solutio est absurda. Sequela patet; quia etiam inferiora differentie differunt genere ab alijs sub alio genere contentis. Secundo: quia etiam sequitur, speciem posse defini per prædicari de pluribus differentibus specie, quia etiam inferiora speciei differunt specie ab alijs alterius speciei. Tercio: quia in alijs prædicabilibus illa particula de pluribus differentibus specie, aut numero, non intelligitur de differentibus ab alijs, sed de differentibus inter se: ergo similiter debet intelligi in definitione differentie.

7 Respondeo negando sequelam. Ad probationem distinguo antecedens: inferiora differentie differunt genere ab alijs per ipsam, nego antecedens: per ipsam, vel per aliam, concedo antecedens: itaque inferiora differentie essentialiter petunt differre per ipsam specificè ab alijs, non autem differre genericè, quia inferiora rationalis non genericè, sed tantum specificè differunt ab alijs per ipsum rationale; unde rectè definitur differentia per prædicari de differentibus specie per ipsam ab alijs, non autem per prædicari de pluribus genere differentibus per ipsam ab alijs, quia hoc tantum accidentaliter illi competit, & definitio debet tradi per essentiam, non per id quod est accidentale.

Ad

8. Ad secundam, nego etiam sequelam; quia inferiora speciei non differunt specie ab alijs per ipsam speciem formaliter, sed solum per differentiam speciei, unde male definitur, species per predicari de pluribus differentibus specie per ipsam, bene autem definitur hoc modo differentia. Ad tertiam similiter respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam; quia cetera predicabilia ex proprio munere non faciunt sua inferiora differentia ab alijs, nec numero, nec specie, unde impertinens erat in eorum definitionibus loqui de differentibus specie, vel numero ab alijs. Cum autem proprium munus differentiae sit facere sua inferiora specie ab alijs differentia, ideo potuit quam optimè defini per ordinem ad ipsa inferiora ut specie differentia ab alijs.

9. Quod si velis has obviare difficultates, accipe communio-riorem differentiae definitionem: differentia est, *Quae predicatur de pluribus in quale quid.* Praedicatur enim in quale, quia praedicatur adiectivè, sive per momentum alteri adiacentis; praedicatur etiam in quid ex parte rei significatae, quia praedicatur essentialiter, estque de essentia inferiorum. Vel aliter clarius poteris ex dictis definire differentiam: Differentia est, *quae predicatur de pluribus, ut pars determinativa essentiae eorum, species enim praedicatur ut tota essen-*

tia, genus ut pars essentiae determinabilis, & potentialis, differentia vero ut pars determinativa essentiae.

QVÆSTIO. XV.

An differentia sit universalis per ordinem ad speciem.

POTEST Praedicari differentia, vel de specie, quam constituit, vel de inferioribus speciei, v. g. rationale de homine, quem constituit, vel de Petro, & Paulo sub homine ut sic contentis. Quod ergo inquiremus est: an quando differentia praedicatur de specie, quam constituit, praedicetur ut universalis.

Nostra conclusio.

DICO Igitur: Differentia non est formaliter universalis per ordinem ad speciem, quam constituit, sed tantum per ordinem ad inferiora speciei. Est communis inter AA. & probatur. Universale tantum est formaliter tale per respectum ad plura; sed species, quam constituit, differentia tantum est una, sicut ipsa differentia: ergo differentia non est formaliter universalis per ordinem ad speciem, quam constituit.

3 Responderi solet, quod species est

est vna formalitèr, multiplex tamèn virtualitèr, quia in potentia continet plura inferiora, in quibus dividi potest. Sed contra: universale constituitur formalitèr tale per ordinem ad plura formalitèr; sed species non est plura formalitèr, vt concedit solutio: ergò non constituitur differentia vniversalis per ordinem ad illam. Maior probatur primo: quia universale constituitur formalitèr tale per ordinem ad pluralitatem, quam in se habet; sed quodlibet universale in se habet pluralitatem virtuales, cum sit in potentia ad plura, in quibus dividi potest, & tantum earet pluralitate formali: ergò universale constituitur formalitèr tale tantum per ordinem ad plura formalitèr, non autem per ordinem ad plura virtualitèr. Secundo: quia universale constituitur formalitèr per respectum ad plura respectu quorum sit superius; sed universale tantum est superius respectu eorum, quæ sunt plura formalitèr, non autem respectu illius, quod est tantum virtualitèr plura: ergò tantum constituitur formalitèr tale per ordinem ad plura formalitèr.

4. Confirmatur: Univerſale est superius respectu, illius; respectu cuius est universale; sed differentia non est superior respectu speciei: ergò respectu illius non est universale. Minor patet; quia ra-

tionale, v. g. non se extendit ad plura, nec de pluribus prædicatur, quam homo; homo enim prædicatur de omnibus, de quibus prædicatur rationale: ergò differentia non est superior respectu speciei.

5. Sed obijcies primo: Differentia est vniversalis per ordinem ad terminum, circa quod exercet munus differentie; sed exercet munus differentie circa speciem: ergò per ordinem ad speciem est vniversalis. Secundo: universale debet constitui per ordinem ad terminum, quem immediatius respicit; sed differentia immediatius respicit speciem, quam inferiora speciei: ergò per ordinem ad speciem constituitur vniversalis. Maior patet; quia ideò genus constituitur universale per ordinem ad speciem, & non per ordinem ad individua, quia immediatius respicit speciem. Tertio: eodem modo, quo prædicatū prædicatur de subiecto, prædicatur de omni contento sub illo: ergò eodem modo, quo differentia prædicatur de specie, prædicatur de inferioribus sub illa contentis; sed de his prædicatur vt vniversalis: ergò etiam de illa.

6. Respondeo, distinguendo maiorem: circa quod exercet munus differentie per modum superioris, concedo maiorem: per modum æqualis, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia licet exercet munus
diffe-

differentiæ circa speciem, & circa individua, non dicitur universalis respectu illius, quia illam respicit ut sibi æquale, sed solum respectu eorum, quæ respicit ut sibi inferiora. Et eodem modo ad secundam distinguo maiorem: per ordinem ad terminum, quem immediatius respicit per modum superioris, concedo maiorem: per modum æqualis, nego maiorem; nec obstat probatio; quia genus respicit immediatius speciem per modum superioris, unde respectu illius debet constitui universale; differentia vero tantum respicit speciem ut sibi æqualem.

7. Ad tertiam, distinguo antecedens: eodem modo quoad prædicari essentialiter, vel accidentaliter, concedo antecedens: quoad prædicari per modum superioris, aut æqualis, nego antecedens, & consequentiam in eodem sensu; quia licet semper quod prædicatur essentialiter de subiecto, prædicetur etiam essentialiter de omni contento sub illo, idemque, si prædicetur accidentaliter, non tamen quoties prædicatum prædicatur ut æquale de subiecto, prædicatur ut æquale de contentis sub illo, nec e contra, quia potest prædicatum esse æquale cum subiecto, & superius respectu inferiorum sub illo contentorum, ut iam probavimus.

8. Obijcies secundo, quod est æquale universali, in quantum ipsi æquale est universale, sicut

quod est æquale quantitati palmarum, ut ipsi æquale, est quantitas palmarum; sed differentia respectu speciei est ipsi æqualis, & species est universalis: ergo differentia respectu speciei est universalis. Confirmatur: differentia respectu speciei non est singularis: ergo respectu illius est universalis. Respondeo, distinguendo maiorem: quod est æquale universali, in quantum ipsi æquale, est universale respectu illius, nego maiorem: respectu suorum inferiorum, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam: & ad paritatem inclusam in maiori, dico, quod quantitas æqualis eum palmo, ut talis, est quantitas unius palmi, quia hæc denominationes sunt absolute, & non respectivæ: e contra vero accidit in denominatione universalis; quia sicut homo æqualis eum Rege, in quantum æqualis, est Rex, non tamen respectu Regis, sed respectu suorum subditorum; ita differentia, in quantum æqualis cum specie universali, est universalis, sed non respectu speciei, sed respectu inferiorum. Ad confirmationem nego consequentiam, quia respectu alicuius termini bene potest aliqua natura non esse, nec universalis, nec singularis: sicut species respectu generis nec est singularis, nec universalis, licet absolute debeat esse singularis, vel universalis.

9. Denique obijcies: Differentia prædicatur de specie, &

de individuis, species vero solum de individuis : ergò differentia est superior ad speciem : ergò & universalis respectu illius. Distinguo mai. Differentia prædicatur de specie ut sibi inferiori, & de individuis, nego mai. de specie ut sibi æquali, & de individuis, conc. mai. & nego conseq. quia differentia non prædicatur de pluribus inferioribus, quam species, quia solum prædicatur de individuis, tanquam inferioribus, de specie vero ut sibi æquali; species autem etiam prædicatur de omnibus individuis ut sibi inferioribus; unde tot inferiora respicit species, quot differentia; non ergò differentia est superior ad speciem.

QUESTIO XVI.

Quid & quotuplex sit proprium

PRIMO Igitur Porphyrius quatuor modis accipit proprium. Proprium primo modo est, quod convenit soli, sed non omni, ut esse grammaticum convenit soli homini, sed non omni. Proprium secundo modo est, quod convenit omni, sed non soli, ut esse bipedem convenit omni homini, sed non soli. Proprium tertio modo est, quod convenit omni, & soli, sed non semper, ut canescere, quod convenit omni & soli homini, sed non semper, sed tantum in senectute. Proprium quarto modo est, quod convenit omni, soli, & semper, ut esse risibilem conve-

nit omni homini, soli, & semper. 2 Proprium autem, quod pertinet ad hoc prædicabile, est proprium quarto modo acceptum, quod dicitur stricte, & proprie tale; quod quidam ulterius dividitur in genericum, & specificum. Genericum est, quod convenit omnibus individuis genericis. Specificum, quod solis individuis alicuius speciei convenit. V.g. esse loco motivum, est proprium genericum, quia convenit omnibus individuis generis animalis; & esse admirativum est proprium specificum, quia tantum convenit individuis contentis sub specie hominis.

3 Proprium ergò quarto modo sic communiter definitur per modum prædicabilis. Proprium est, quod prædicatur de pluribus in quale necessario. Prædicatur in quale, quia, cum sit extra essentiam rei, prædicatur accidentaliter; prædicatur vero necessario, quia nature, cuius est proprium, convenit necessario, ita ut à priori inferatur ex eius essentia, sive, ut alij aiunt, quod ab eius essentia dimanet, & profluat; quod quidem non ita intelligendum est, meo iudicio, quod proprium debeat physicè, & realiter oriri, & dimanare ab essentia rei, sed sufficit quod logicè tantum dimanet, sive quod à priori inferatur ex essentia rei. Unde veritas, & bonitas sunt proprietates entis, licet ab illo physicè, & realiter non dimanent, sed tantum logicè.

4 Igitur contra definitionem proprijs argues: proprium convenit contingenter subiecto, cuius est proprium: ergo non predicatur de illo necessario. Antecedens probatur: quod potest separari à subiecto, convenit subiecto contingenter; sed proprium saltem de potentia Dei absoluta potest separari à subiecto; ergo illi convenit contingenter. Respondeo distinguendo antecedens: proprium convenit contingenter subiecto, cuius est proprium, quoad existentiam, concedo antecedens: quoad exigentiam, nego antecedens. Et ad eius probationem dico, quod Deus potest de potentia absoluta separare proprium à subiecto, ita ut non existat in subiecto actualiter, non tamen illud potest separare quoad exigentiam; quia nequit facere, quod illud subiectum non exigat naturaliter; hoc autem sufficit, ut proprium predicetur necessario, quia per prædicationem proprijs, v.g. per hanc *homo est risibilis*, non predicatur, nec significatur proprium actualiter convenire subiecto, sed tantum illi convenire ex active, seu subiectum habere naturalem exigentiam illius, quod quidem nunquam falsificari potest, adhuc de Dei potentia absoluta.

QUESTIO. XVII.

Quid, & quotuplex sit accidens commune

Accidens sic communiter ex Porphyrio de

finitur: quod potest abesse, & adesse præter subiecti corruptionem. Vbi advertite ex dictis quæst. 12 huius tract. num. 4. quod in hac definitione non limitur ly *præter subiecti corruptionem*, de corruptione physica, sed solum de corruptione metaphysica, ita ut sentus sit, quod sive de subiecto affirmetur, sive negetur accidens commune, essentia subiecti indemnis omnino, & metaphysicè incorrupta salvatur: v.g. sive homo sit albus, sive non sit albus, semper salvatur eius essentia, scilicet, quod sit animal rationale. Contra definitionem hanc sic intellectam nihil potest argui, præter ea, quæ loco citato arguebamus, quibus abunde satisfactum est.

2 Nota tamen quod accidens dividitur in prædicabile, & prædicamentale. Prædicamentale seu physicum est, quod advenit enti prout existenti in actu complete, pertinetque ad aliquod speciale prædicamentum, ut quantitas, & actio. Prædicabile quod etiam logicum appellari solet, est quod predicatur in qualo contingenter, sive illud sit substantia, sive accidens, sive positivum, sive negativum, sive intrinsicum, sive extrinsecum subiecto; cum igitur quod de aliquo subiecto predicatur contingenter, cuiuscumque generis sit, est accidens logicum, sive prædicabile. Accidens vero prædicamentale, seu physicum debet esse ens reale adveniens substantiæ complete, &

existenti in actu, ipsique intrinsece inhærens. Unde in his propositionibus: *homo est cæcus*; *homo est species*; *homo est cognitus*, nec cæcitas, nec species, nec cognitio sunt accidentia prædicamentalia respectu hominis; quia primum est quid negativum, secundum est eius rationis, tertium est homini extrinsecum: sunt vero accidentia logica, sive prædicabilia, quia prædicantur de subiecto contingenter. Itemque in his prædicationibus: *homo est existens*; *corpus est animatum*; *anima est unita corpori*; nec existentia, nec anima, nec unio sunt accidentia prædicamentalia, quia non supponunt substantiam completam, & existentem, sed illam intrinsece constituunt; sunt autem accidentia prædicabilia, quia contingenter prædicantur de subiectis.

3 Sed contra definitionem accidentis prædicabilis obijciens: quod non identificatur realiter cum subiecto, nequit de illo prædicari; sed accidens non identificatur realiter cum subiecto: ergo nequit de illo prædicari. Huic argumento respondent aliqui, quod accidens in concreto identificatur cum subiecto pro eo quod dicit in recto, quia *album*, v. g. dicit in recto habens albedinem, & habens albedinem identificatur cum subiecto albedinis; ex quo inferunt, quod accidens in concreto identificatur sufficienter cum

subiecto, ut de illo possit prædicari.

4 Sed contra hanc solutionem sic insurgo: In hac propositione: *Petrus est albus*, non prædicatur de Petro, quod album dicit in recto; sed solum id, quod album dicit in recto, identificatur cum Petro: ergo nihil prædicatur de Petro realiter identificatum cum illo. Maior probatur primo: in ea propositione nihil prædicatur substantive de Petro, cum sit prædicatio adiectiva; sed quod album dicit in recto, scilicet ipsum subiectum, tantum substantive potest prædicari de Petro: ergo in ea propositione non prædicatur de Petro quod album dicit in recto. Explicatur: album pro eo, quod dicit in recto, affert se sum suppositum, & consequenter non sumitur adiective, sed substantive, & per modum suppositi; sed in hac prædicatione: *Petrus est albus*, prædicatum non sumitur substantive, & per modum suppositi: ergo non prædicatur album pro eo, quod dicit in recto.

5 Secundo: quia hæc prædicatio: *Petrus est albus*, est prædicatio contingens; sed quod album dicit in recto non potest prædicari de Petro contingenter: ergo in ea non prædicatur quod album dicit in recto. Minor patet; quia quod album dicit in recto est subiectum capax albedinis, sive corpus; de Petro autem non prædicatur contin-
gens

gener quod sit subiectum ca-
pax albedinis, sive corpus: er-
gò. Confirmatur: quidquid
prædicatur contingenter de Pe-
tro, est separabile à Petro, &
consequenter ab illo realiter di-
stinctum; sed in hac prædica-
tione: *Petrus est albus*, nihil da-
tur separabile à Petro, ab ipso-
que realiter distinctum, præter
albedinem: ergò in illa sola al-
bedo contingenter prædicatur;
non ergò quod album dicit in
recto. Urgetur iuxta D. Thom.
opus. 56. terminus solum præ-
dicat quod significat; sed al-
bum iuxta Arist. de prædica-
mentis cap. 1. & D. Thom. 1.
Metaph. lect. 1. & alibi pluries,
solam qualitatem significat, sci-
licet albedinem: ergò in hac
prædicatione: *Petrus est albus*,
ly *albus* solam albedinem prædi-
cat, & consequenter in ea non
prædicatur subiectum; sive id,
quod album importat in recto.

6 Dicendum ergò est,
quod in prædicatione contin-
genti, quæ semper est de præ-
dicato adiectivo, non significa-
tur per copulam, sive per ver-
bum *est* identitas prædicati cum
subiecto, sed solum affectionem,
sive aliqualem applicationem
formæ ad subiectum. Paret; quia
identitas subiecti cum prædica-
to, aut e contra, non potest esse
contingens: ea enim, quæ se-
mel identificantur, semper, &
necessario identificantur; ut
efficaciter probabimus in Me-
taph. sed in prædicatione con-

tingenti significatur aliquid
contingens: ergò non significa-
tur identitas. Explicatur: in hac
prædicatione: *Petrus est albus*,
non significatur identitas Petri
cum albedine, cum hæc realiter
distinguat à Petro; nec signi-
ficatur identitas Petri cum subie-
cto illam habente, scilicet cum
se ipso, cum hæc identitas neces-
saria sit, propositio vero contin-
gens: ergò non significatur iden-
titas subiecti cum prædicato.

7 Sed dices, significa-
ri identitatem, non cum albe-
dine secundum se, nec cum Pe-
tro, sive subiecto secundum se,
sed cum Petro ut habente albe-
dinem; Petrus autem non ne-
cessario, sed contingenter iden-
tificatur cù ipso ut habente albe-
dinem. Sed contra primo: quia
si significaretur identitas Petri
cum se ipso ut habente albedinem,
iam Petrus ut habens albedinem
intraret ex parte prædicati, ta-
lisque prædicatio æquivaleret
huic: *Petrus est subiectum habens
albedinem*: ergò prædicatum il-
lius non esset adiectivum, sed
substantivum, utpote importans
subiectum habentem albedi-
nem; ex quo rursus sequeretur,
non esse prædicationem adiecti-
vam. Secundo: quia si illa pro-
positio significaret identitatem,
solum significaret identitatem
cum Petro secundum se; sed
hanc iuxta solutionem non sig-
nificat: ergò nullam. Maior pro-
batur: quia album nihil impor-
tas distinctum à Petro secun-
dum

dum se, & albedine secundum se; sed nequit significare identitatem cum albedine secundum se: ergo, si significat identitatem, debet significare identitatem cum Petro secundum se.

8 Ex quo ad argumentum principale contra definitionem accidentis prædicabilis, facile responderetur, distinguendo maiorem: quod non identificatur realiter cum subiecto, neque de illo prædicari substantive, aut adiective essentialiter, concedo maiorem: adiective contingenter, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens eodem modo. Itaque quod prædicatur substantive, seu in *quid*, & quod prædicatur adiective, & essentialiter, sive in *quale quid*, debet identificari realiter cum subiecto, quia talis prædicatio significat identitatem subiecti cum prædicato; at vero quod prædicatur adiective, accidentaliter, sive contingenter, non debet identificari realiter cum subiecto, sed tantum debet illi æqualiter applicari, illudque afficere, seu denominare; quia huius generis prædicatio hoc tantum significat, non autem identitatem, ut probatum manet. Hoc debes advertere pro his, quæ diximus tractatu præcedenti quæst. 5. n. 81.

9 Pro complemento inquires; respectu quorum accidens sit universale, & prædicabile, an, scilicet, respectu inferiorum subiecti, vel respectu

inferiorum formæ, v. g. album respectu Petri, & Pauli, an respectu huius, & illius albi? Respondeo, quod accidens est universale respectu subiectorum, sive inferiorum ex parte subiecti, non autem respectu concretorum, sive inferiorum ex parte formæ. Patet; quia album, v. g. respectu illorum est prædicabile per modum accidentis, de quibus prædicatur contingenter; sed solum de subiectis prædicatur contingenter, non autem de concretis inferioribus: ergo. Minor patet, quia hæc prædicationes: *hoc album est album*; *illud album est album*, sunt necessariæ; & solum hæc sunt contingentes: *Petrus est albus*; *Paulus est albus*, &c. ergo.

QUESTIO APPENDIX.

De prædicationibus.

PRO Complemento huius tractatus agere oportet de actuali prædicatione, ut aperte sciatur quid de quo vere prædicari possit, & quo modo. Qua propter.

Aliqua prænotantur.

NOTA Primo; quod prædicatio, est duplex: alia, directa in directa alia. Prædicatio directa est, in qua superius de inferiori, aut forma de subiecto prædicatur. Ut *homo est animal*; *homo est albus*.

albus. Indirecta, est in qua inver-
so ordine inferius de superiori,
aut subiectum de forma prædi-
catur, ut *animal est homo: albus
est homo*. Rursus prædicationis, alia
est formalis, alia identica. Identica
est, in qua idem omnino de
se ipso prædicatur: ut *homo est
homo: ensis est gladius*. Formalis
est, in qua prædicatur de subie-
cto aliquid per rationem distin-
ctum ab illo, ut *homo est animal*.
Vbi adverte quod prædicationis
aliquando verificatur in sensu
formali, aliquando vero in sensu
reali, & identico. Verificatur in
sensu formali, quando prædica-
tum est de conceptu essentiali,
subiecti, & in illo formaliter
clauditur, ut *homo est animal*.
Verificatur autem in sensu iden-
tico, quando prædicatum non
includitur in conceptu essentia-
li, aut formali subiecti, sed tan-
tum cum illo realiter identifica-
tur: ut in hac prædicatione: *ra-
tionalitas est animalitas*.

2 Rursus nota, quod
concreta, & abstracta possunt
prædicari quadrupliciter, scili-
cet, vel concreta de concretis,
vel abstracta de abstractis, vel
concreta de abstractis, vel ab-
tracta de concretis. Pro quo ad-
verte, quod concretum est, quod
significat formam illam appli-
cando subiecto, vel concernen-
do subiectum, ut *albus, homo*. Ab-
stractum est, quod significat
formam ut separatam à subie-
cto, & per se stantem, ut *hu-
manitas, albedo*.

3 Rursus concretum
aliud est accidentale, aliud vero
substantiale. Concretum sub-
stantiale est, quod significat for-
mam ut constituentem intrin-
sece subiectum, ut *homo*. Acci-
dentale est, quod significat for-
mam, ut advenientem, & adia-
centem subiecto constituto, ut
album. Vbi nota, quod concre-
tum substantiale supponit in re-
cto tam pro habente formam,
quam pro ipsa forma. Et ratio
est, quia ipsa forma consti-
tuit intrinsece habentem. Con-
cretum vero accidentale non
supponit pro forma, sed tantum
pro habente illam, quia forma
non constituit habentem, sed
illi extrinsece advenit. Nota, ta-
men, quod licet *homo* dictus de
Verbo divino sit concretum
substantiale, non tamen suppo-
nit in recto pro humanitate, sed
tantum pro Verbo divino ha-
bente illam, quia humanitas non
constituit intrinsece Verbum
divinum in suo esse, & in ratio-
ne suppositi, sed illum supponit
adæquatè constitutum in suo ef-
se per modum suppositi, & per-
sonæ.

4 Denique nota, quod
concretum, & abstractum, aliud
est physicum, aliud metaphysi-
cum. Concretum physicum est,
quod constat supposito realiter
distincto, saltem inadæquatè à
forma, & abstractum physicum
est forma sic distincta à supposi-
to, v.g. *homo* est concretum phy-
sicum, quia realiter inadæquatè
distin-

distinguitur ab humanitate, plus enim est homo, quam humanitas, & humanitas est abstractum physicum, quia sic est distincta ab homine. Concretum metaphysicum est, cuius forma à supposito realiter non distinguitur, sed tantum ex modo significandi. Abstractum autem metaphysicum est forma sic distincta. V. g. ens, & entitas, Deus, & Deitas, verum, & veritas.

Comparantur concreta ad invicem.

5 **D**ICO Primo: *Vnum concretum, vere predicatur de altero concreto, quando significant formas in eodem supposito.* Patet; quia ut predicatio sit vera, sufficit quod subiectum, & prædicatum supponant pro eodem; sed quando utrumque concretum significant formas eodē in supposito, subiectū, & prædicatū pro eodem supponunt: ergo vere prædicatur vnum concretum de alio, quando significant formas in eodem supposito. Ex quo sequitur has prædicationes veras esse: *Album est dulce: Deus est homo: homo est animal*, quia albedo, & dulcedo respiciunt idem suppositum, similiterque Deitas, & humanitas in Christo, & humanitas, & animalitas in homine.

6 Nota tamen, quod quando formæ inter se sunt adæquate distinctæ, propositio non est vera in sensu formali, sed

tantum in sensu materiali, v. g. *album est dulce: Deus est homo.* Secus autem quando forma ex parte prædicati est de conceptu formali subiecti, v. g. *album est coloratum: homo est animal.*

Comparantur abstracta ad invicem.

7 **D**ICO Secundo: *Quoties abstracta significant formas realiter distinctas non possunt ad invicem predicari.* Patet: quia abstracta supponunt pro formis, unde si formæ sunt realiter distinctæ, non possunt supponere pro eodem; sed ut prædicatio sit vera debent subiectum, & prædicatum supponere pro eodem ergo quando abstracta significant formas realiter distinctas, non possunt ad invicem predicari vera prædicatione. Ex quo patet has esse falsas prædicationes: *albedo est dulcedo: humanitas est divinitas.*

8 Dico tertio: *quando abstracta significant formas realiter identificatas, vnum predicatur de alio vera prædicatione.* Patet; quia, ut dixi, abstracta supponunt pro formis: ergo quando duo abstracta significant formas realiter identificatas, supponunt pro eodem realiter; sed hoc sufficit, ut sit vera prædicatio: ergo prædicantur vera prædicatione. Unde hæc prædicationes sunt veræ: *Humanitas est rationalitas: Rationalitas est animalitas.* Nota tamen quod quando

abstractum, quod prædicatur est de conceptu formali subiectis. prædicatio est vera in sensu formali, quando vero non, tantum est vera in sensu materiali, & identico. Patet in his prædicationibus: *Humanitas est animalitas: Rationalitas est animalitas*, quarum prima in sensu formali, secunda vero tantum in sensu materiali, & identico vera est.

Comparantur abstracta cum concretis.

DICO Quarto: *Quando suppositum habens formam non distinguitur à forma, potest prædicari abstractum de concreto.* Patet: quia tunc prædicatum, & subiectum supponunt pro eodem. Unde hæc prædicationes sunt veræ: *Deus est Deitas: Ens est entitas*, quia suppositum habens entitatem non distinguitur ab entitate, cum necessario debeat esse entitas, nec suppositum habens Deitatem distinguitur à Deitate

nihil enim est in Deo, quod non sit realiter idem cum Deitate.


10 Dico ultimo: *Quando suppositum habens formam, realiter distinguitur ab illa, siue adæquate, siue inadæquate, non potest abstractum prædicari de concreto, nec e contra.* Patet quia in illo casu non supponunt pro eodem. Unde hæc prædicatio est falsa: *Album est albedo: & hæc: Dulce est dulcedo.* Quia suppositum habens albedinem, & dulcedinem, realiter adæquate distinguitur ab illis. Itemque hæc est falsa: *homo est humanitas*, quia suppositum habens humanitatem inadæquate distinguitur ab illa, eo quod suppositum præter humanitatem includit substantiam realiter distinctam, ut communiter asserunt Philosophi. Quæ contra dicta possunt obijci, non refero, quia levia sunt, & solutio facilis, ad alia propero maioris momenti, ne nimis volumen hoc protendatur tyronibus.



TRA

TRACTATUS QUINTVS,

DE ANTE PRÆDICAMENTIS.



DOSTQVAM In tractatibus præcedentibus, formam obiecti logicæ, quæ in ente rationis, siuè in vniversalitate, & prædicabilitate consistit, consideravimus, restat agere de materia logicæ, quæ cum sit omne ens, vt diximus quæst. 5. Proæmialium, recte sequitur consideratio de ente vt sic, & eius decem generibus, quæ prædicamenta Arist. nuncupantur. Cæterum antequam de ipsis agamus prædicamentis, tractatum de ante prædicamentis communiter præmittunt AA. in quo de vnivocis, æquivocis, & analogis, itemque de ente vt sic quædam exagitantur quæstiones. Quare sit.

QVÆSTIO. I.

*Quid sint univoca, æquivoca,
& analogæ?*

ÆQVIVOCA Iuxta Arist. definitionem sunt, quorum nomen est commune, ratio vero substantia nomini accommodata diversa. Vt canis terrestris, stella, & piscis, prout hoc nomine canis significantur, sunt æquivoca, quia licet nomen significans idem sit, tamen res significata est valde diversa. Pro cuius intelligentia nota, quod alia sunt æquivoca æquivocata, alia æquivoca æquivocantia. Equi-

voca æquivocata sunt obiecta significata per nomen æquivocum, vt canis terrestris, stella, & piscis, per hoc nomen canis significata. Æquivoca æquivocantia sunt nomina æquivoce significantia, vt hoc nomen galus, respectu hominis, & avis, & hoc nomen canis respectu stellæ, & piscis.

4 Nota secundo, quod ad æquivocationem requiritur quod nomen significet res diversas, non sub aliqua ratione communi, sed sub suis rationibus differentialibus. Vnde hoc nomen animal non est æquivocum, licet plura animalia significet, quia ea significat sub vna ratio-

ratione communis hoc verò no-
men Gallus est equivocum, quia
ex vna parte significat avem, di-
stinctam ab homine, & ex alia
significat hominem gallum, pro-
ptèr distinctum ab ave.

3. Univoca iuxta phi-
dem Arist. sunt, quorum nomen
est commune, ratio vero substantie
nomini accommodata est eadem, v.
g. animal, prout significatur
hoc nomine animal, quia non
solum nomen est commune
omnibus animalibus, sed etiam
ratio animalis per nomen
significata est eadem in omni-
bus animalibus. Nota tamèn
quod non requiritur quod ra-
tio significata sit realitèr ead-
dem, imò hoc est impossibile,
sed sufficit quod sit eadem per
rationem.

4. Analoga, quæ me-
dium locum tenent inter univo-
ca, & equivoca, definiuntur à
Philosophis, quorum nomen est com-
mune, ratio verò nemini accommo-
data est partim eadem, & partim
diversa, vt sanum dictum de ani-
mali, vrina, & medicina; res enim
significata est eadem ex parte
termini, scilicet quoad sanita-
tem, & partim diversa, scilicet
quoad modum, vel habitudinem
sub qua significatur; nam respe-
ctu animalis sanum significat sa-
nitatem, vt in proprio subiecto;
dictum verò de vrina, significat
eandem sanitatem vt in signo;
dictum verò de medicina signifi-
cat ipsam sanitatem vt in tua causa.

5. Hic etiam Arist. de-

finivit denominativa hoc mo-
do: Denominativa dicuntur, quæ
ab aliquo nomine appellationem ha-
bent, solo differentia casu, hoc
est, quæ ab eodem nomine
derivantur, differunt tamèn
in casu, sive in termina-
tione finali, v. g. album ab al-
bedine, studiosus ab studioso
homo ab humanitate &c. Ho-
rum divisiones omitto, quia
parum ad sciendum utiles, &
magis ad Grammaticum per-
tinentes.

Dividuntur analogi.

ANALOGA, Alia
sunt analogi physica, alia sunt ana-
logi Logica. Analoga physica
sunt, quorum nomen est commu-
ne, ratio verò significata à parte
rei est diversa, formalitèr ta-
mèn est una per rationem, vnde
animal respectu hominis, &
equi est analogum physicum,
quia videlicet, quanvis ratio
significata sit eadem in illis per
rationem, est tamèn à parte
rei diversa per differentias. Ad-
vertè tamèn quod huiusmodi
analogi, propriè, & simpliciter
dicuntur univoca, quia propriè
loquendo univocatio, & ana-
logia non attenditur penes ra-
tionem significatam prout exi-
stentem à parte rei, sed penes
illam prout abstractam, & pro-
cisam per intellectum.

7. Vnde analogi logi-
ca, quæ tantum propriè dicun-

tur analogā sunt, quorum nomen est commune, ratio verò significata est eadem secundum quid, & simpliciter diversa, ut sanum respectu animalis, urina, & medicina. Dividuntur analogā logica, in analogā proportionis, & analogā proportionalitatis. Pro cuius intelligentia nota, quod proportio est habitudo unius rei ad aliam, ut habitudo unius quantitatis palmaris, ad aliam etiam palmarem, & habitudo, quam dicit vestis ad vestitum, & alia huiusmodi. Proportionalitas verò est habitudo unius proportionis ad aliam, ut si dicas: ita se habet quāctas semipalmaris ad palmarem, sicut palmaris ad bipalmarem, vel si dicas; ita proportionatur vestis parva cum puero, sicut magna cum viro.

8 Quo supposito: Analogā proportionis, sive (ut alij aiunt) attributionis, sunt, quorum nomen est commune, ratio verò significata est eadem secundum terminum, diversa tamen secundum habitudinem ad illum, v. g. animal, medicina & urina sunt analogā prout significantur hoc nomine, sanum; quia ratio significata, scilicet sanitas, est eadem, secundum terminum, diversaque penes habitudinem ad illum. Est quidem eadem secundum terminum, quia eadem est sanitas, quam respiciunt animal, medicina, & urina; diversa tamen penes habitudinem ad illum, quia animal respicit sanitatem per modum

subiecti, medicina per modum causæ, & urina per modum signi, quæ habitudines sunt diversæ. Nota tamen, quod subiectum, in quo proprie, & simpliciter reperitur forma significata, vocatur principaliter analogatum, v. g. in exemplo apposito, animal, cetera verò significata dicuntur analogata minus principalia, v. g. urina, & medicina.

9 Analogā proportionalitatis sunt, quorum nomen est commune, ratio verò significata est proportionaliter eadem, hoc est similis secundum proportionem, quod contingit, quando una res ita comparatur ad aliquid, sicut altera comparatur ad aliud, v. g. fons, fundamentum, & causa, prout significantur hoc nomine principium, sunt analogā proportionalitatis, quia ratio principij in eis est tantum proportionaliter eadem, quatenus ita se habet fons ad rivus, sicut causa ad effectum, & ita se habet causa ad effectum, sicut fundamentum ad domum.

10 Analogā proportionalitatis, alia sunt analogā proportionalitatis propriae, & alia proportionalitatis impropriae. Analogā proportionalitatis propriae sunt, in quibus ratio significata proprie, & absque metaphora invenitur in omnibus analogatis, ut ratio principij respectu fontis, causæ, & fundamenti. Analogā proportionalitatis impropriae sunt, in quibus ratio significata tantum in uno analogato invenitur proprie in

in alijs verò metaphoricè, ut *res* respectu hominis, & *practica*

11 Analoga proportionalitatis propriæ, & analoga proportionis, seu attributionis cōtrarias habent proprietates: Proprietas analogorum attributionis est, quod ratio significata tantum in vno analogato inveniatur intrinsecè; in alijs verò tantum per extrinsecam denominationem. Secunda, quod ratio significata non multiplicetur in analogatis. Tertia, quod cætera analogata definiantur per ordinem ad principalius analogatum. Quarta, quod ab omnibus analogatis non possit abstrahi conceptus communis omnibus illis. Contra autem prima proprietas analogorum proportionalitatis propriæ est, quod ratio significata inveniatur intrinsecè in omnibus analogatis. Secunda, quod ratio significata multiplicetur in illis. Tertia, quod vnum analogatum non definiatur per aliud. Quarta, quod ab omnibus possit abstrahi ratio, vel conceptus aliquo modo communis. Hæc omnia in allatis exemplis facile conspicias.

QVÆSTIO II.

Verum ens tranſcendat ultimas rerum differentias?

ENS In præſenti nihil aliud est, quam possibile, sive po-

rens existere. Illud verò transcendere ultimas rerum differentias, nihil aliud est, quam quod nulla detur differentia, quæ ex suo formali conceptu non sit formalitèr ens, sive quod ratio entis sit formalitèr inclusa in qualibet differentia, quanvis ab omni alio præcisa. Sic ergò,

Nostra conclusio.

DICO Igitur: Ratio entis tranſcendit quaslibet differentias rerum quantumvis ultimas. Ita omnes Thomistæ, & merito, nam eam docet D. Thom. pluribus in locis, & præcipue quæst. 1. de veritate art. 1. ubi ait: *Enti nihil potest addi extraneum per modum quo differentia additur generi, quia qualibet natura, aut essentia est essentialitèr ens.* Ex quibus verbis tale formatur argumentum. Si aliqua differentia non includeret formalitèr ens, posset enti superaddi aliquid extraneum per modum quo differentia additur generi, rursusque illa differentia non esset essentialitèr ens; sed iuxta D. Thom. enti nihil potest addi extraneum, rursusque quælibet differentia est essentialitèr ens: ergò iuxta D. Thom. ens includitur formalitèr in qualibet differentia. Quod expressius docuit Angelicus Præceptor 1. 2. quæ 94. art. 2. dicens: *Illud quod primo cadit in apprehensione est ens, cuius conceptus in-*

cluditur in omnibus quæcumque intellectus apprehendit; sed apprehendit differentias: ergò includitur in conceptu differentiatum; & consequenter transcendit differentias.

3 Ratione vero probatur hoc modo: Ens transcendit ea, quæ formaliter sunt entia; sed differentia sunt formaliter entia: ergò transcendit differentias. Minor probatur: id est formaliter ens; quod formaliter est possibile, sive potens esse, sive existere; sed quælibet differentia, v. g. *rationalitas*, est formaliter possibilis, sive potens existere: ergò quælibet ex illis est formaliter ens. Minor probatur: quidquid ex suo conceptu formali non implicat contradictionem; est formaliter possibile; sive potens existere; sed *rationalitas* ex suo conceptu non implicat contradictionem: ergò *rationalitas* est formaliter possibilis. Maior patet; nam possibile definitur: quod ex suo conceptu non implicat contradictionem. Minor vero probatur: quia si *rationalitas* ex suo conceptu implicaret contradictionem; esset formaliter impossibilis, cum impossibile definiatur: quod ex suo conceptu implicat contradictionem; sed *rationalitas* non est formaliter impossibilis, ut per se patet: ergò nec formaliter implicat contradictionem.

4 Confirmatur: *Rationalitas* formaliter sumpta nõ præ-

cindit à possibili & impossibili, nec determinate est impossibilis: ergò formaliter est possibilis; quia non est excogitabile medium. Antecedens, quoad primam partem; quæ sola difficilis est, probatur: esse impossibile, est in suo conceptu formali includere, vel implicare contradictionem; & esse possibile; est in suo conceptu formali non implicare contradictionem; sed *rationalitas* formaliter sumpta non præcindit ab implicare, vel nõ implicare in suo conceptu contradictionem: ergò non præcindit ab esse impossibili, vel possibili. Et quidem interrogo; vel *rationalitas* includit, aut implicat contradictionem formaliter, vel non? vñum enim ex his teneris, concedere cum sint propositiones contradictoriae, quas simul esse falsas, est impossibile. Si primum, formaliter est impossibilis, quia impossibile formaliter est, quod implicat contradictionem. Si secundum: ergò est formaliter possibilis; quia possibile est, quod in suo conceptu non implicat contradictionem: ergò *rationalitas* non præcindit formaliter à possibili; & impossibili, sed formaliter est possibilis.

5 Vrgetur: Omnis formalitas formaliter exclusiva sui contradictorij negativi, est formalissime ens; sed omnis differentia quantumvis vltima, v. g. *rationalitas*, est formaliter exclusiva sui con-

contradictorij negativi : ergo
omnis differentia quantumvis
ultima est formaliter ens. Minor
patet; quia contradictorium ne-
gativum cuiuslibet differentie,
est non talis differentia, v. g. con-
tradictorium negativum ratio-
nalitatis ; est non rationalitas,
contradictorium negativum per-
fectitatis est non perfectitas, & sic
de alijs ; sed rationalitas est for-
maliter exclusiva non rationali-
tatis, perfectitas non perfectitatis,
& quaecumque talitas, hæccecitas,
vel differentia, non talitatis,
hæccecitatis, vel differentie;
nec enim est aliu. l per quod pos-
sit excludi tale, nisi per non ta-
le, nec hoc, nisi per non hoc, &c.
ergo. Maior vero non est mi-
nus evidens, explicatur autem
sic : quia omnis formalitas for-
maliter exclusiva sui contra-
dictorij negativi, est formaliter
potens excludere suum non esse,
siquidem hoc est formalissi-
me suum contradictorium ne-
gativum ; sed omnis formalitas
formaliter potens excludere
suum non esse est formaliter
ens; ergo. Probo minorem : quia
omnis formalitas formaliter po-
tens excludere suum non esse,
est formalissime potens esse; si-
quidem excludere suum non
esse, est formalissime esse; sed
omnis formalitas formaliter po-
tens esse, est formaliter ens, si-
quidem ens, & potens esse solis
vocibus differunt; ergo. *ultra 3*
6. Confirmitur : Ideo
ultima differentia, v. g. ratio-

nalitas, non esset formaliter ens,
quia non definitur per ens ; sed
hæc ratio est falsa, & quanvis
vera foret, est nulla; ergo. Quod
talis ratio sit falsa, probatur pri-
mo: quia rationalitas, quocumque
modo definiatur, definitur per
esse hoc, aut illud, v. g. per esse
principium discurrendi, seu per
esse id, quo homo differt ab
equo ; sed quod definitur per
esse definitur per ens formaliter,
quia esse idem est, sola dif-
ferentia in vocibus, ac esse ens;
sicut currere idem est, ac esse
currere, posse, idem, ac esse potens,
&c. Ergo rationalitas defini-
tur formaliter per ens. Ex quo
inferes, quam merito dixe-
rit D. Thom. quod in omni eo,
quod intellectus apprehendit
includitur conceptus entis, quia
nihil potest apprehendi, nisi
ut essens hoc, aut illud, nec
potest defini, nisi per esse hoc,
aut illud; unde, nisi dicas, est
nihil omnino defines; ergo
nihil omnino definitur, nisi
per est, seu per essens hoc, aut
illud; ergo nec rationalitas de-
finitur, nisi per ens. *ultra 3*
7. Quod vero talis ra-
tio sit nulla, etiam probatur:
quia licet rationalitas regulari-
ter non definiatur per ens, inde
non sequitur, quod non sit forma-
liter ens; ergo talis ratio est nul-
la. Antecedens probatur: quia
licet regulariter non definiatur
per esse intelligibilem, est ta-

mèn formalitèr intelligibilis: èrgò licet regularitèr non definiatur per ens, est tamèn formalitèr ens. Antecedens probatur: quia rationalitas formalitèr vt talis, & prout ab omni alio distincta, est vocibus significabilis; sed omne id, quod est vocibus significabile, est intelligibile: èrgò rationalitas formalitèr vt talis est intelligibilis. Urgetur: rationalitas formalitèr vt talis, cognoscitur quando definitur, & eum per illam definitur homo: èrgò est formalitèr intelligibilis. Pater consequentia; quia in ea arguitur ab actu ad potentiam.

8 Ex dictis colliges primo: Ens formalitèr transcendere differentias non solum non vltimas, sed etiam vltimas; non solù differentias nominatas, sed quacumque, licet non nominatas. Est contra Iesuitas aliquos, assertentes, quod licet quælibet differentia v.g. *rationalitas*, sit formalitèr ens, in quo convenit cum alijs, est tamèn aliquid aliud, per quod ab illis differt, & hoc aliud, quo vltimo differt, vocant vltimam differentiam, seu differentiam non nominatam, seu latentem, & hoc, aiunt, non esse formalitèr ens, sed aliud præter ens: Sed hoc esse falsum constat ex dictis; quia quælibet differentia, siue sit latens, & innominata, siue vltimata omninò, dummodo sit positiva (nam de differentijs positivis tantum procedit quæstio) per se & essentialitèr est po-

tens excludere sui non esse, & consequentèr est formalitèr potens esse; rursus formalitèr non implicat contradictionem, alias esset formalitèr impossibilis; ac demum nequit defini, nec explicari, nisi per esse hoc, aut illud; sed his rationibus efficacitèr probatur quod sic formalitèr ens: èrgò quælibet, siue latens, siue vltimissima differentia formalitèr est ens.

9 Colliges secundo, quamlibet differentiam esse formalitèr ens non solum in *quale*, sed etiam in *quid*. Pater; quia iuxta Scotum ens in *quale* est determinatio entis, quæ denominatur adiective ens ab ente, quod determinat, unde solum in obliquo importat ens. *Ens autem in quid*, est idem, ac potens existere, siue possibile absolutè, quod quidem substantive, & in recto est ens; sed quælibet differentia non solum est determinatio entis, importans ens in obliquo, sed etiam est in se & formalitèr potens esse; quia per se & formalitèr est potens excludere suum contradictorium: èrgò in recto, & substantive est ens: èrgò non solum in *quale*, sed etiam in *quid* quælibet differentia est ens.

Colliges tertio: Ens à differentijs non distingui per exclusionem vnius conceptus ab alio, sicut genus à differentia; sed tantum penes implicitum, & explicitum eo modo, quo distinguuntur definitio, & definitum.

Solvuntur argumenta.

10

CONTRARIAM
Sententiam te-
nent Scotus, Me-

rinero, Arriaga, Izquierdo, P. Linze, Quidos, &c. Pro qua arguitur primo: Si ultima differentia hominis esset formaliter ens, per illam conveniret homo cum alijs; sed homo per ultimam differentiam non convenit cum alijs: ergo ultima differentia hominis non est formaliter ens. Maior patet; quia quodlibet aliud ab homine est formaliter ens: ergo si differentia ultima hominis esset formaliter ens per illam conveniret homo cum alijs. Minor vero probatur: ideo sensibile non est ultima differentia hominis, quia per illam homo convenit cum alijs: ergo differentia, per quam homo convenit cum alijs, non est ultima, & consequenter per ultimam differentiam homo non convenit cum alijs.

11 Respondeo, distinguendo maiorem: per illam conveniret homo cum alijs adaequate, & totaliter, nego maiorem; inadaequate, & ex parte, concedo maiorem; & distincta minori, eodem modo, nego consequentiam. Ad probationem minoris, distinguo similiter antecedens: quia per illam convenit homo cum alijs adaequate, & totaliter, concedo antecedens; inadaequate, & ex parte, nego antec. & consequentiam, in eo-

dem sensu. Itaque ideo sensibile non est differentia ultima, quia per illud homo adaequate, & totaliter convenit cum equo, hoc est, quia ita convenit per sensibile cum equo, quod per illud formaliter sumptum nullo modo differt ab equo; at vero ultima hominis differentia, scilicet rationale, non est talis, quod per illam homo simpliciter, & adaequate conveniat cum alijs, sed tantum inadaequate, & ex parte, quia videlicet, quatenus est formaliter rationale, per illud differt ab alijs. Et quidem quod ultima differentia debeat aliquatenus convenire cum alijs, adhuc formaliter accepta, patet; quia ultima differentia est formaliter ultima differentia, sicut alia ultima differentia est formaliter ultima differentia: ergo ultima differentia formaliter sumpta convenit cum alijs. Unde argumentum in omnium sententia patitur instantiam.

12 Sed Replicabis primo: Si homo per ultimam differentiam conveniret cum alijs inadaequate, & inadaequate differret, ultima differentia constaret ratione communi, & ratione differentiali; rursumque illa ratio differentialis, cum etiam sit formaliter ens, constaret etiam ratione communi entis, & alia ratione differentiali, idemque de hac ratione differentiali, cum eadem ratio militet in qualibet ex illis; ex quo sequeretur, inter differen-

tias nullam esse ultimam, sed dari processum in infinitum; sed hoc est absurdum, & impossibile: ergo homo per ultimam differentiam non convenit cum alijs adhuc inadequate. Secundo: ita homo differt ab alijs per differentiam, sicut convenit cum alijs per genus; sed ita convenit cum alijs per genus, scilicet per animal, quod per illud formaliter acceptum nullo modo differt ab illis: ergo ita per differentiam differt ab alijs, quod per illam nullomodo convenit cum illis.

13. Ad primam respondet poterat ex P. Izquierdo, & Linco Jesuita, concedit maiori, negando minorem; quia isti AA. non putant absurdum, sed necessario admitendum processum in infinitum differentiarum, ita ut quælibet sit species composita ex genere entis, & ex differentia, & rursum talem differentiam esse compositam ex genere entis, & ex differentia, & rursum hanc differentiam iterum esse similiter compositam, & sic in infinitum. Quod probant hi AA. exemplo quantitatis, quæ semper est composita ex partibus, quarum quælibet iterum est composita ex partibus, & sic sine fine.

14. Sed contra est: primo: Nam exemplum quantitatis non est ad rem; nam compositio quantitatis non est

ex partibus essentialibus se habentibus per modum actus, & potentiae, nec per se subordinatis; sed ex partibus pure integralibus; compositio autem ex genere, & differentia est ex partibus essentialibus se habentibus per modum actus, & potentiae; nam differentia se habet per modum actus, & genus per modum potentiae, & consequenter inter se subordinatis; sed ex quo sit possibilis processus in infinitum in partibus primi generis, non sequitur esse admittendum similem processum sine fine in partibus secundi generis: ergo exemplum quantitatis nihil probat. Minor pater: nam in physicis datur prædicta compositio ex partibus integralibus quantitatis sine fine; & tamen non potest dari compositio physica ex partibus essentialibus sine fine compositis ex alijs partibus essentialibus, quia implicat compositum ex materia, & forma, ita ut forma sit ulterius composita ex materia, & forma, & sic sine fine: ergo ex partibus integrantibus nulla est consequentia ad partes essentielles se habentes per modum actus, & potentiae. Confirmatur: Licet Philosophi non pauci admittant processum in infinitum in causis per se non subordinatis, nullus tamen talem processum admittit in causis per se subordinatis: ergo pariter licet admittatur processus

Quaest. II. An ens transcendat differētia?

sus sine fine in partibus integrantibus; quae per se non subordinantur ad invicem, non propterea est admittendus in partibus essentialibus, neque physicis, nec metaphysicis, utpote per se subordinatis.

15 Contra secundo: quia si praedicta doctrina vera esset sub genere supremo entis esset aliud genus entis inferius, & sub illo aliud, & sic sine fine; sed hoc admitti non potest: ergo nec praedicta doctrina. Sequela patet: nam si quaelibet differentia constaret genere, & differentia sine fine, sicut esset processus infinitus differentiarum, ita esset processus infinitus generum, ex quibus tales differentiae sine fine constarent: ergo sicut darentur differentiae inferiores, & inferiores sine fine, ita darentur genera inferiora, & inferiora sine fine. Quod autem hoc admitti non possit, probatur, primo: quia alias series praedicamentalis ex illo genere supremo usque ad individuum esset series infinita nunquam terminata; sed hoc est chimericum, & intelligibile: ergo. Secundo: quia potentialitas generis supremi nunquam posset ultimo actuari; aut determinari, cum per infinita genera intermedia nunquam ad finem perveniri posset; sed hoc est contra experientiam, nam in quolibet individuo est ultimo terminata,

& actuata: ergo. Unde talis doctrina reiecta, melius.

16 Respondeo distinguendo antecedens: constaret ratione communi, & ratione differentiali adaequate distinctis, nego antecedens; inadaequate distinctis tantum, & mutuo se includentibus, concedo antecedens. Ex quo minime sequitur dari processum in infinitum differentiarum, quia in rationali, v. g. & ratio differentialis est formaliter, & implicite ratio communis, & ratio communis implicite etiam est ratio differentialis. Unde in rationali non inveniuntur plures rationes differentiales, sed unica, quae inadaequate, & pro implicito est communis: unde quando ulterius dicitur, quod illa ratio differentialis constat ratione communi, & differentiali, non superadditur nova ratio communis, & differentialis, sed praecedentes reperuntur; non ergo sequitur in differentijs processus in infinitum. Ad secundam distinguo maiorem: ita, & eodem modo, nego maiorem: ita, & diverso modo, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam: Disparitas est, quia nulla datur ratio differentialis transcendens rationes communes, & genera, at vero datur ratio communis, scilicet ratio entis, ratio intelligibilis, ratio differentiae transcendens omnes differentias,

rias, unde potest dari ratio communis, quæ nullo modo sit ratio differendi; at vero nequit dari ratio differentialis, quæ nullo modo sit ratio conveniendi.

17. **Obijcies secundo:** Id, per quod contrahitur, & determinatur ratio communis, non includit rationem communem; sed ratio communis entis contrahitur, & determinatur per differentias: ergo non includitur formaliter in differentijs. Distinguo maiorem: id per quod proprie, & simpliciter contrahitur, & determinatur ratio communis, concedo maiorem; id per quod improprie, & per maiorem expressionem contrahitur ratio communis, nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Itaque tunc ratio communis proprie, & simpliciter contrahitur, quando determinatur per additionem novæ formalitatis superadditæ rationi communi, v. g. animal per rationalitatem, & quodlibet genus per suam differentiam. Contrahitur vero ratio communis improprie, & per maiorem expressionem, quando non superadditur nova formalitas, sed quæ latebat implicite inclusa in ratione communi exprimitur, & declaratur; & hoc modo contrahitur ratio communis entis per differentias, quia cum differentia, ut postea probabimus, formaliter includantur in ratio-

ne communi entis, talis ratio communis non contrahitur superaddendo novam, & distinctam differentiam, sed exprimendo, & declarando differentiam inclusam formaliter in ratione entis.

18. **Sed instabis:** Rationalitas contrahit animal, superaddendo novam differentiam non inclusam in ratione communi: ergo eodem modo contrahit ens. Consequentia probatur primo; quia non datur maior ratio unius, quam alterius. Secundo, quia animal est formaliter ens; sed rationalitas superaddit novam differentiam ad animal: ergo superaddit novam differentiam ad ens.

19. **Respondeo negando consequentiam.** Ad primam probationem respondeo primo, quod animal iuxta omnes est genus, de cuius ratione iuxta Philosoph. est excludere à suo conceptu differentias; ens vero iuxta eundem, & plerisque philosophos, rationem generis non obtinet, unde differentias à suo conceptu non excludit, nec ipsi sunt superadditæ, sed in eo formaliter inclusæ. Secundo, quia rationes, quibus probavimus eas transcendere differentias, minimè probant, quod animal illas transcendat, ut consideranti patebit. Unde stat optime quod differentia animalis ipsi superaddantur, & differentia entis in eo formaliter includantur.

dantur. Ad secundam, in isto syllogismo: animal est formaliter vivens; sed sensibile addit novam differentiam ad vivens; ergo superaddit novam differentiam ad animal, quæ consequentia falsa est. Deinde respondeo distinguendo maiorem: animal est formaliter ens inclusum in animali, concedo maiorem; est formaliter ens inclusum in rationali, nego maiorem; & concessa minori, distinguo consequens eodem modo. Itaque ens formaliter multiplicatur in animali, & rationali; nam ens inclusum formaliter in animali est formaliter distinctum ab ente incluso formaliter in rationali; ens ergo determinatum ad animal, iam excludit à suo conceptu differentiam, ac per consequens contrahitur per differentiam ipsi superadditam. At vero ens inclusum in rationali, sive in tota sua latitudine acceptum, includit ipsum rationale, ac per consequens non contrahitur per differentiam superadditam, sed per differentiam in eo formaliter inclusam.

20 Obijcies tertio: Solum est de conceptu formali differentie id, per quod definitur; sed differentia, v.g. rationalitas non definitur per ens: ergo ens non est de eius conceptu formali. Minor probatur primo: quia si definitur per ens, definiretur per ens, & aliquid aliud; sed iuxta nos nihil datur aliud ab ente; ergo non definitur per

ens. Secundo: quia rationalitas definitur per esse principium discurrendi, ubi nulla fit mentio entis: ergo non definitur per ens. Respondeo primo, negando maiorem, quia ut supra vidimus, differentia definitur formaliter per esse, & consequenter per ens. Secundo respondeo distinguendo maiorem: solum est de conceptu formali differentie id, per quod definitur, aut implicite, aut explicite, concedo maiorem; id præcise, per quod definitur explicite, nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Ad primam probationem distinguo maiorem: per ens, & aliquid aliud adæquate distinctum, nego maiorem; & aliquid aliud distinctum inadæquate; & penes implicitum, & explicitum, concedo maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia rationalitas definitur per principium discurrendi, quod quidem est aliud ab ente inadæquate, & explicite, implicite vero est formaliter ens. Ex quo patet ad secundam; cum enim rationalitas definitur per principium discurrendi, implicite definitur per ens, quia principium discurrendi formaliter implicite est ens; sicut cum definitur animal per vivens, definitur per ens iuxta contrarios, quia vivens formaliter est ens.

21 Obijcies quarto: Aliqua formalitas non est for-
ma-

maliter ens: ergo ens non transcendit omnes formalitates. Antecedens probatur primo; quia malitia formalis peccati non est formaliter ens, ergo. Antec. probatur: quidquid est formaliter ens, producitur à Deo; malitia formalis peccati non producitur à Deo: ergo non est formaliter ens. Secundo: si omnis formalitas esset formaliter ens, Petrus in omni formalitate conveniret cum equo, sicut in omni formalitate convenit cum Paulo; ex quo sequitur æqualiter esse similem equo, & Paulo; quod est absurdum: ergo non omnis formalitas est formaliter ens. Respondeo primo; quod malitia peccati non est formalitas positiva, sed privatio, & sic nihil mirum, quod non sit formaliter ens; in præsentem autem solum dicimus ens transcendere omnes differentias, & formalitates positivas. Secundo; respondeo solutione communi; negando antecedens. Ad primam probationem; nego antecedens. Ad probationem distinguo maiorem: quidquid est formaliter ens producitur à Deo quoad expressiones non dicentes deformitatem, concedo maiorem: quoad expressiones dicentes deformitatem; nego maiorem; & concessa minori, nego consequentiam; quia malitia peccati, & quælibet alia formalitas, quanvis sit formaliter ens, tantum petit produci à Deo quoad bonitatem physicam, quoad ve-

ritatem; & alias expressiones, quæ deformitatem non explicant; non autem quoad malitiam, & pravitatem, quia explicant deformitatem. Ad secundam; dico, quod Petrus in omni formalitate convenit cum equo, & in omni formalitate convenit cum Paulo, sed cum hac diversitate, quod cum equo tantum analogice convenit in formalitate specifica, & individuali; in cæteris autem univoce; cum Paulo autem convenit univoce etiam in formalitate specifica, & tantum analogice in differentia individuali; unde magis assimilatur Petrus Paulo, quam equo, quia Petrus assimilatur univoce Paulo in omni formalitate præter individualem, equo verò tantum assimilatur univoce per differentiam genericam, non autem per specificam.

QVÆSTIO. III.

Verum possit abstrahi ratio communis entis, quæ formaliter non includat differentias?

EX His, qui transcendentiam entis tuentur, aliqui asserunt, posse abstrahi adæquate, & perfecte rationem communem entis, quæ formaliter non includat differentias. Contra hos tamen, qui sunt Soto, Ortiz, & aliqui moderni, sequens statuitur conclusio,

Nostra

Nostra conclusio.

DICO Igitur: *Non potest abstrahi ratio communis entis, quæ non includat formaliter differentias.* Probatur: Nulla datur differentia, quæ adæquatè sit extra rationem communem entis; sed si ratio communis entis non includeret formaliter differentias, d. differentia adæquatè essent extra rationem communem entis: ergò ratio communis entis includit formaliter differentias. Maior patet: quia nulla datur differentia adæquatè distincta à ratione communi entis, aliàs enim illa non esset formaliter ens; sed si aliqua differentia adæquatè esset extra rationem communem entis, illa adæquatè distingueretur ab ente: ergò nulla datur differentia, quæ adæquate sit extra rationem communem entis. Minor probatur: quod non includitur in ratione communi entis, est adæquate extra rationem communem entis: ergò si differentia non includuntur in ente, sunt adæquatè extra rationem communem entis. Confirmatur: vel differentia aliqua adæquatè sumpta est extra rationem & conceptum entis, vel non? Si primum, ergò aliqua datur differentia adæquatè distincta à conceptu entis, & consequenter, quæ non sit formaliter ens, contra præcedentem quæstionem. Si secundum: ergò nulla datur dif-

ferentia adæquatè sumpta, quæ non includatur in ratione communi entis, & consequenter ratio communis entis includit differentias.

3 Dices: quamlibet differentiam inadæquatè sumptam; scilicet quoad prædicatum entis, elaudi formaliter in ratione communi entis, non autem adæquatè sumptam; hoc autem sufficit, ut possit abstrahi ratio communis entis adæquatè excludens à suo conceptu differentias; sicut quanvis homo inadæquatè, & quoad prædicatum viventis claudatur in animali, non sequitur, quod non possit abstrahi ratio communis animalis ab homine, excludens à suo conceptu adæquatè differentias.

4 Sed contra: Tunc differentia non adæquatè, sed tantum inadæquatè esset inclusa in ratione entis, quando differentia constaret duobus prædicatis, quorum vnum adæquatè includeretur in ratione entis, & alterum adæquatè esset extra rationem entis; sed in differentia nullum datur prædicatum adæquatè extra rationem entis, cum quodlibet sit formaliter ens: ergò differentia non tantum inadæquatè, & quoad rationem communem, sed etiam adæquatè includitur in ratione entis. Maior patet in exemplo apposito: idè enim homo tantum inadæquatè, & quoad rationem viventis claudatur in

conceptu animalis, quia homo constat duobus prædicatis, quorum unum, scilicet vivens, adæquatè includitur in ratione animalis, & alterum, scilicet rationale, est adæquatè extra rationem animalis: ergo si differentia entis inadæquatè, & quoad rationem communem tantum esset inclusa in ratione entis, similiter constaret duobus prædicatis.

5 Vigetur: id quod secundum omnes formalitates suas includitur in ratione entis, adæquatè includitur in ratione entis; sed quælibet differentia secundum omnes suas formalitates includitur in ratione entis; cum quælibet formalitas sit formaliter ens: ergo omnis differentia adæquatè sumpta includitur in ratione communi entis. Confirmatur: Id, à quo distinguitur ens adæquatè, distinguitur ab ente adæquatè; sed differentia non distinguuntur adæquatè ab ente: ergo nec ens distinguitur adæquatè à differentiis: ergo non præscinditur adæquatè, & perfectè ab illis, sed illas includit in suo conceptu. Maior patet, cum à paritate distinctionis realis, nihil enim realiter adæquatè distinguitur ab extremo, quod realiter adæquatè non distinguatur ab illo. Tum ex terminis; quia id, à quo adæquatè distinguitur ens, nec est tota essentia entis, nec pars essentia entis; sed quod non est tota essentia entis, nec pars es-

sentia entis, adæquatè distinguitur ab ente: ergo id, à quo adæquatè distinguitur ens, adæquatè distinguitur ab ente.

6 Sed contra conclusionem restat argumentum difficile: Si differentia includerentur in ratione communi entis, essent de essentia entis; sed differentia non sunt de essentia entis: ergo. Probo minorem: si differentia essent de essentia entis, de quocumque prædicaretur ens, prædicarentur differentia; sed hoc est falsissimum, alias enim cum prædicatur ens de Petro, prædicarentur de Petro omnes differentia entis: ergo. Probo maiorem: cum aliquid prædicatur de subiecto, prædicatur de subiecto quidquid est de essentia prædicati; unde quia homo prædicatur de Petro, & de essentia hominis est animal rationale, etiam animal rationale prædicatur de Petro: ergo si differentia essent de essentia entis, de quocumque prædicaretur ens, prædicarentur differentia.

7 Respondeo, negando minorem. Ad probationem, nego maiorem. Ad eius probationem, distinguo antecedens; cum aliquid adæquatè tam pro implicito, quam pro explicito prædicatur de subiecto, prædicatur de illo quidquid est de essentia prædicati, concedo antecedens; cum aliquid prædicatur tantum inadæquatè, & pro explicito, subdistinguo: prædicatur

catur, quidquid est de essentia prædicati explicite, concedo antecedens: quidquid est de essentia prædicati implicite, nego antecedens, & consequentiam. Itaque in prædicatione univoca, quando prædicatum est simpliciter, & adæquate commune, prædicatum adæquate sumptum, id est, tam pro implicito, quam pro explicito, prædicatur de inferioribus; unde in tali prædicatione, v. g. quando homo prædicatur de Petro, prædicatur de subiecto, quidquid est de essentia prædicati tam implicite, quam explicite. At verò quando prædicatum est analogum, hoc est partim differentiale, & partim commune, tunc prædicatum non prædicatur adæquate tam pro implicito, quam pro explicito, sed tantum inadæquate, & pro explicito; unde non prædicatur de subiecto, nisi tantum quod explicite est de essentia prædicati; cum ergò de essentia entis explicite tantum sit esse, hoc enim, & non aliud explicat ens, & cū aliàs ens non sit prædicatum univocum, sed analogum, inde est, quod tantum prædicatur pro explicito, & quoad esse, non autem pro implicito, & quoad differentias.

8. Ex quo patet huic syllogismo responsio: *Ens prædicatur de substantia; sed ens est essentialiter substantia, & accidens: ergò substantia, & accidens prædicantur de substantia.* Distin-

guendo maiorem: ens pro explicito prædicatur de substantia, concedo maiorem; ens pro implicito adæquato, nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia cū prædicatur ens tantum prædicatur esse, quod importat pro explicito, non autem pro implicito adæquato, nam hoc implicitum sunt omnia inferiora, quæ implicite clauduntur in ente, & omnia de nullo particulari inferiori prædicantur.

9. Denique obijcies: Si differentie essent de conceptu entis, ens constitueretur intrinsece per differentias; sed hoc est impossibile: ergò. Minor probatur, nulla res potest constitui intrinsece per opposita; sed differentie entis sunt oppositæ, inter se: ergò nequit ens constitui intrinsece per differentias. Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo maiorem: nulla res simpliciter, & adæquate una potest constitui per opposita, concedo maiorem; si tantum sit una pro explicito, & pro implicito sit multiplex, & diversa, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia ens tantum pro explicito, & secundum quid est unum, pro implicito verò est multiplex, & diversum, quia includit differentias.

10. Ex dictis colliges, disparitatem magnam inter differentias entis, & differentias alie-

alterius generis proprie tatis, v. g. animalis, itemque in eo modum, quo contrahitur ratio communis entis, & modum, quo contrahitur animal, sive aliud genus. Primo enim differunt in eo, quod differentia entis nihil positivum superaddunt ad rationem communem entis adaequate sumptam; at vero differentia animalis superaddunt ad rationem animalis adaequate sumptam novam actualitatem, perfectionem, & entitatem positivam. Secundo differunt in eo, quod ens dividitur in modos, & differentias tanquam in varias portiones, & partes formales sui ipsius quarum quaelibet est formaliter ens, admodum quo aqua dividitur in plures portiones aquae, quarum quaelibet est formaliter aqua. At vero animal, v. g. non dividitur in suas differentias tanquam in portiones, & partes formales animalis, quia differentia non sunt formaliter animal, sed tanquam in actualitates perfectivas, & divisivas simul ipsius animalis. Differunt denique in eo quod ens in ordine ad sua inferiora non est positive potentiale, aut perfectibile, sed solum limitabile; at vero quodlibet genus proprie tale in ordine ad sua inferiora est limitabile simul, & perfectibile. Ratio est, quia ens in suis inferioribus non accipit aliquid entitatis, aut perfectionis, quod non includat formaliter in communi, sed solum limitatur, & coar-

ctatur in unoquoque, ut dicitur in fine minus in particulari, quam in communi; at vero animalia quaelibet suo inferiori accipit aliquid entitatis, & perfectionis, quam non includit formaliter in communi, scilicet ratione differentiae; licet etiam limitatur extensio generis; dum ad minus se extendit in particulari quam in communi. Unde differentiae entis solum sunt limitativae entis in communi, non vero perfectivae illius, quia illi non superaddunt perfectionem; at vero differentiae generis sunt perfectivae simul, & limitativae ipsius. De quo vide tract. de Provid. quest. XI. num. 63. & quest. XX. a num. 97.

QUESTIO IV.

Verum ratio entis sit univoca, vel analogica ad Deum, & creaturas, substantiam, & accidens, vel ad alia inferiora?

Supponendum est primo ens non esse univocum ad ens reale, & ad ens rationis. Patet, quia ens reale est ens verum, & ens rationis est ens fictum, ad verum autem & fictum nihil est univocum, sicut homo ad verum hominem, & ad hominem pictum non est univocum, sed analogum: ergo ens ad verum, & fictum, sive ad reale, & rationis non est univocum, sed analogum. Supponendum

Sum est secundo, ens non dici pure æquivoce de suis inferioribus, quia inferiora entis non solum conveniunt in hoc nomine ens, sed etiam in re significata per illud, scilicet, in esse: ergo ens non dicitur pure æquivoce de suis inferioribus. Tertio notandum est, quod inferiora entis sunt: primo Deus, & creatura, secundo substantia, & accidens, tertio decem prædicamenta, denique omnia entia realia, cuiuscumque generis sint. Quo supposito.

Prima conclusio.

DICO Igitur: Ratio entis prout præscindit à completo, & incompleto ad omnia sua inferiora est analogum, & non univocum. Probat: Ratio, in qua inferiora partim conveniunt, & partim differunt, non est univoca, sed analogica; sed omnia inferiora entis partim conveniunt; & partim differunt in ratione entis: ergo ratio entis ad omnia sua inferiora est analogica, & non univoca. Maior est definitio analogorum. Minor verò probatur quoad secundam partem, quia quoad primam ab omnibus conceditur: etenim omnia inferiora entis differunt per differentias; sed differentie sunt formaliter ens, ut patet ex questione præcedenti: ergo omnia inferiora entis differunt per ratio-

nem entis. Confirmatur primo: omnia inferiora entis differunt per aliquid: ergo per ens, quia ens, & aliquid convertuntur. Antecedens patet, quia quod non differt per aliquid, per nihil differt; sed non potest dici, quod inferiora entis per nihil differunt, alias enim non differunt: ergo inferiora entis differunt per aliquid. Confirmatur secundo: inferiora entis differunt per differentias: ergo differunt per id, quod formaliter sunt differentie; sed differentie sunt formaliter ens, & aliquid: ergo differunt per ens, & aliquid.

Secundo probatur conclusio: Ratio univoca debet adæquate præscindi à differentiis inferiorum; sed ratio entis non potest adæquate præscindi à differentiis inferiorum: ergo ratio entis ad omnia inferiora est univoca, sed analogica. Maior patet: quia ratio univoca debet esse adæquate, & simpliciter una; sed non potest esse adæquate, & simpliciter una, nisi adæquate præscindatur à differentiis, alias enim includeret illas, & consequenter esset partim diversa: ergo ratio univoca debet adæquate præscindi à differentiis. Minor verò etiam patet: quia ratio includens in suo conceptu differentias inferiorum, nequit ab illis præscindi adæquate; sed ratio entis, ut constat questione præcedenti, includit differentias inferiorum in suo conceptu.

ergò nequit adequatè ab illis præscindi. Confirmatur : ratio includens in suo conceptu diversitatem inferiorum est partim diversa & consequenter non univoca, sed analogà ; sed ratio communis entis includit diversitatem inferiorum, cum includat illorum differentias : ergò non est univoca, sed partim diversa, & analogà.

4 Ex dictis inferes, omnem rationem transcendens differentias inferiorum esse analogam, & non univocam. Quod patet ; nam si transcendit differentias inferiorum, inferiora differunt per talem rationem, & talis ratio includit differentias inferiorum ; sed ratio in qua differunt inferiora, & quæ includit differentias inferiorum, non est univoca, sed analogà : ergò ratio quælibet transcendens differentias inferiorum est analogà & non univoca.

5 Sed objicies primo : Petrus, & Paulus, equus, & homo conveniunt univoce in ratione entis : ergò aliqua inferiora conveniunt univoce in ratione entis. Antecedens probatur primo : quia conveniunt univoce in ratione animalis ; sed animal formaliter est ens : ergò conveniunt univoce in ratione entis. Secundo : quia magis conveniunt in ratione entis, quam in ratione animalis : ergò si in ratione animalis conveniunt

univoce, etiam in ratione entis. Respondeo negando antecedens ; quia Petrus, & Paulus, homo, & equus differunt in differentiis, quæ sunt formaliter ens, ac per consequens differunt in ratione entis. Ad probationem, concessa majori, & minori, nego consequentiam ; quia sicut homo formaliter est animal, & Petrus, & Paulus, quanvis conveniant specificè in ratione hominis, non tamen conveniunt specificè, sed tantum genericè in ratione animalis ; ita quanvis animal sit formaliter ens, & inferiora conveniant univoce in ratione animalis, non sequitur, quod conveniant univoce in ratione entis. Et ratio est, quia ratio entis non solum est de conceptu animalis, sed etiam de conceptu differentiarum ; unde licet inferiora conveniant in illa ea parte, qua est de conceptu animalis, differunt per illam ea parte, qua est de conceptu differentiarum, unde in illa partim conveniunt, & partim differunt, & consequenter tantum est analogà ; ratio vero animalis non est de conceptu differentiarum.

6 Ad secundam distinguo antecedens : magis conveniunt in ratione entis extensive, quam in ratione animalis, concedo antecedens, intensive ; nego antecedens, & consequentiam, quia Petrus, & Paulus quoad omnes suas for-

formalitates conveniunt in ratione entis in ratione vero animalis tantum conveniunt, quoad formalitatem genericam; vnde convenientia in ratione entis est maior extensive, quia ad plures extenditur formalitates; sed convenientia in ratione animalis est maior intensivè, quia in illa conveniunt adæquate absque vlla diversitate Petrus, & Paulus; ac verò in ratione entis tantum inadæquate, & cum diversitate conveniunt.

7 Sed replicabis: Si ratio entis includeret diversitatem inferiorum, etiam animal includeret talem diversitatem; sed animal illam non includit: ergò nec ratio entis. Maior probatur: animal includit rationem entis; ergò includit quidquid includit ratio entis: ergò si ratio entis includit diversitatem inferiorum, etiam ratio animalis illam includit. Respondeo negando maiorem. Ad probationem, distinguo antecedens: animal includit rationem entis adæquate sumptam pro omni incluso in illam, nego antecedens: inadæquate sumptam pro aliquo tantum incluso in illa, concedo antecedens; & nego consequentiam, quia quod includit aliquam rationem, tunc tantum includit omne, quod includitur in tali ratione, quando illam rationem includit adæquate sumptam, non au-

tem quando illam tantum inadæquate sumptam includit; animal autem includit rationem entis inadæquate sumptam, scilicet, quoad unum tantum ex partibus, quas includit; scilicet, quoad animalitatem, non autem adæquate sumptam, & quoad omnes partes, quas ratio entis includit; vnde non sequitur, quod includat diversitatem inferiorum, sicut ratio entis.

8 Secundo obijcies: Verum est transcendens; & tamen ratio veri est univoca: ergò licet ens transcendat differentias potest esse univocum. Minor probatur: quia ratio veri est obiectum specificativum potentie intellectivæ, quæ simpliciter est una; sed obiectum potentie simpliciter unæ debet esse simpliciter unum, quia unitas potentie sumitur ab unitate obiecti: ergò ratio veri est simpliciter una, & consequenter univoca. Respondeo negando minorem. Ad probationem, concessa maiori, nego minorem, vel illam distinguo: debet esse unum simpliciter absolute loquendo, nego minorem respectu ad potentiam, concedo minorem; & nego consequentiam; quia sicut potentie una specificè respicit pro obiecto rationem simpliciter, & absolute genericam, ut potentia visiva colorem, quæ quidem ratio coloris dicitur una specificè respectu potentie visivæ, licet

tantum sit genericè vna; ità similiter potentia vna simpliciter poterit specificari ab obiecto, quod non sit simpliciter vnum, nec univocum, sed tantum dicitur tale respectivè ad potentiam, quia videlicet, nec includit, nec actu, nec in potentia plura obiecta specificativa potentiarum similium. Hæc autem unitas respectiva, nec est univoca, nec analogà, nec genericà, nec specifica propriè loquendo, sed atomica, & indivisibilis omnino, & alterius generis.

9 Denique obijciens: Divinitas transcendit differentias Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, includitur enim essentialiter in conceptu illorum; & tamen divinitas est simpliciter vna in illis: ergò licet ratio entis transcendat differentias, poterit esse simpliciter vna, & consequenter univoca. Respondeo concessa majori, & minori, negando consequentiam; quia hoc est speciale in mysterio Trinitatis Sanctissimæ; sicut enim ibi vna entitas realiter identificatur cum pluribus manens realiter immultiplicata, & realiter vna, quod extra mysterium Trinitatis nullibi potest accidere; ità ibi Divinitas manens vna formaliter, & simpliciter, formaliter transcendit plures differentias personarum absque sui diversitate, quod nullo modo extra mysterium Trinitatis accidere po-

test. Vbi nota; quod Divinitas transcendit realiter, & non logice differentias; quia non multiplicatur in illis; ac verò ratio entis logice transcendit differentias, quia in illis multiplicatur; ratio autem quare dicimus rationem entis esse analogam; est, quia transcendit logice differentias, unde non currit paritas in Divinitate, quæ tantum realiter transcendit.

Specialiter probatur conclusio.

10 **E**X Dictis colliges primo: Ens non esse univocum ad Deum & creaturas; quod patet ex dictis, quia ens ad nulla inferiora est univocum, cum transcendat differentias omnium inferiorum. Estque sententia omnium Thomistarum, quos sequitur Suarez, Vazquez, Hurtado, Tellez, Conimbricenses, Franciscus Alphonsus, & alij; estque expressa D. Thom. qui 1. contra gentes cap. 32. ait: *Relinquitur ergò nihil de Deo, & rebus alijs univocè predicari; si nihil: ergò nec ens.*

11 Ratione verò specialiter probatur: Ratio, quæ plene & totaliter vni convenit, alteri verò tantum ex aliqua parte, & cum restrictione, & limitatione, non est illis univoca; sed sic se habet ratio entis ad Deum, & creaturas: ergò non est illis univoca. Maior patet; quia albi respectu Æthiopsis, & Hispani non

non est univocum, quia albedo convenit Hispano plene, & totaliter, Æthiopi vero cum limitatione, & restrictione, tantumque ex parte, scilicet, secundum dentes. Minor vero probatur: quia Deus plene, & totaliter est ens; est enim ipsa plenitudo essendi, creatura vero tantum ex parte, cum restrictione, & limitatione est ens, immo magis habet de non esse, quam de esse, cum esse, quo caret, sit infinitum, & esse, quod habet, finitum sit: ergo ratio entis Deo convenit plene, & totaliter, creaturae vero ex parte tantum cum limitatione, & restrictione.

12 Secundo probatur conclusio: Ratio, quae praecise considerata invenitur in vno dependenter ab altero, non est utrique univoca; sed ratio entis praecise considerata invenitur in creaturis dependenter à Deo: ergo. Probo maiorem: ratio, quae praecise considerata invenitur in vno dependenter ab altero, praecise considerata dicit dependentiam unius ab altero, & consequenter diversitatem unius ab altero; omnis enim dependentia diversitatem importat; sed ratio, quae praecise considerata dicit diversitatem, non est univoca, sed analogica: ergo ratio, quae praecise considerata invenitur in vno dependenter ab alio, non est utrique univoca. Minor vero primi syllogismi probatur: quia ratio entis praecise considerata non invenitur

in creaturis independenter à Deo: ergo cum dependentia ab illo. Antecedens patet: quia ratio entis in creaturis non est à se: ergo non invenitur independenter à Deo.

3 Confirmatur: Nequit abstrahi ratio communis entis à Deo, & creaturis, quae non includat dependentiam creaturatum à Deo, & consequenter diversitatem; sed ratio univoca non includit diversitatem inferiorum: ergo à Deo, & creaturis nequit abstrahi ratio univoca. Maior probatur: ratio entis, quae non includat formaliter dependentiam, non est communis Deo, & creaturis, sed essentialiter, & determinate est Deus: ergo nequit abstrahi ratio entis communis Deo, & creaturis, quae non includat dependentiam. Antecedens probatur: ratio entis, quae non includit formaliter dependentiam, formaliter sumpta non dependet ab alio: ergo formaliter sumpta est ens à se: ergo formaliter est Deus determinate, & consequenter non erit communis, Deo, & creaturis. Vergetur: talis ratio entis formaliter est ens: ergo vel ab alio, vel non ab alio. Si formaliter est ens ab alio: ergo non est univoca Deo, & creaturis. Si formaliter est ens non ab alio: ergo formaliter est ens à se & consequenter Deus: ergo non erit univoca Deo, & creaturis: non ergo datur talis ratio univoca.

Sed dices; quid dicendum est de ratione communi entis respectu Dei & creaturæ? Respondeo quod talis ratio explicitè tantum dicit esse, sed formalitèr implicite dicit dependentiam, & independentiam, esse à se, & esse ab alio, quia formalitèr includit differentias Dei, & creaturæ, unde non est communis univoce, sed tantum analogicè.

14 Tertio probatur conclusio: si ratio entis esset univoca ad Deum & creaturas, etiam ratio bonitatis & perfectionis esset univoca ipsis: sed hoc est absurdum; ergo & primum. Major patet, quia bonitas & perfectio est passio entis; quibus autem est univocæ essentia, debent esse univocæ proprietates, seu passionis. Minor vero probatur: quia ratio univoca formalitèr sumpta est æqualis in inferioribus: sed bonitas & perfectio, adhuc formalitèr sumpta, nequit esse æqualis in Deo, & creaturis, & hoc dicere est absurdum; ergo & illud ex quo sequitur.

15 Mihi sic arguenti, responsum fuit, non esse absurdum, nec inconveniens, quod bonitas & perfectio formalitèr sumpta, esset eadem omnino & æqualis in Deo & creaturis; quia tota inæqualitas, & diversitas provenit ex differentiis, non ex ratione formali bonitatis & perfectionis. Sed contra sic instabam;

valde absurdum est dicere, quod Deus non excedat formicam, v. g. in perfectione formalitèr sumpta: sed hoc dicit, qui dicit perfectionem formalitèr sumptam esse æqualem in Deo & creaturis; ergo. Minor patet, quia si ratio perfectionis formalitèr sumpta non dicit inæqualitatem nec diversitatem, absdubio in illa formalitèr sumpta non dicit excessum. Urgebam sic: ratio perfectionis præcisa à differentiis finitæ & infinitæ, per vos, non est inæqualis, nec in illa excedit Deus formicam: sed aliunde per differentiam infinitæ non excedit Deus creaturam in perfectione: ergo nec in ratione communi perfectionis, nec in ratione differentiali excedit Deus creaturam in perfectione. Minor probatur: quia licet Deus excedat in differentia creaturam, differentia illa iuxta contrarios non est formalitèr perfectio, sicut nec formalitèr entitas, nec bonitas, quia iuxta ipsos, nec entitas, nec bonitas, nec perfectio transcendit formalitèr differentias: sed excessus in talitate, vel differentia, quæ non est formalitèr perfectio, non est excessus in perfectione formalitèr: ergo de primo ad ultimum non excedit Deus creaturam in perfectione formalitèr: quo nihil absurdius excogitari potest.

conclusio: Ratio communis univoca, quæ prædicatur in quid de inferioribus, vel est genus, vel species; sed ratio entis prædicatur in quid de Deo, & creaturis, & non est genus nec species: ergò non est univoca. Cætera patent. Minor quoad secundam partem probatur: quia imprimis nullus dixit, quod ens est species respectu Dei, & creaturæ; aliàs enim Deus, & creatura essent duo individua sub eadē specie contenta. Deinde nec est genus; primo, quia aliàs Deus componeretur ex genere, & differentia, cuius contrarium tract. sequenti probabimus. Secundo, quia Deus, & creatura essent duæ species sub eodem genere proximo contentæ, quod nullus dixit: ergò ratio entis respectu Dei, & creaturæ, nec est genus, nec species.

17 Sed obijcies primo: Ratio, quæ proprie, & simpliciter invenitur in inferioribus, non est illis analogica; sed ratio entis proprie, & simpliciter invenitur in Deo, & creaturis: ergò non est illis analogica, sed univoca. Minor patet; quia tam Deus, quam creatura sunt proprie, & simpliciter ens. Respondeo distinguendo maiorem: non est illis analogica analogia attributionis, aut proportionalitatis improprie, concedo maiorem: analogia proportionalitatis proprie, nego maiorem, & concessa minori, nego conse-

quentiam; quia ut constat ex dictis quæst. 1. in divisione analogorum, analogia proportionalitatis proprie petit quod ratio significata inveniat intrinsece, & proprie in inferioribus; licet hoc sit contra analogiam attributionis, aut proportionalitatis improprie.

18 Obijcies secundo: Mensura debet esse eiusdem rationis cum mensurato; sed esse Dei est mensura creaturarum: ergò debet esse eiusdem rationis, & consequenter univocum. Distinguo maiorem: mensura homogenea & æqualis, qualis est quantitas palmaris respectu alterius similis quantitatis, concedo maiorem: mensura heterogenea, & excedens, qualis est Deus respectu creaturarum, nego maiorem, quia hæc potius debet esse diversæ rationis.

19 Denique obijcies: differentia, aut diversitas orta à differentiis non tollit univocationem; sed diversitas entis in Deo, & creaturis oritur à differentiis, quia, videlicet, Deus est ens infinitum, creatura vero finitum: ergò talis diversitas non tollit univocationem. Distinguo maiorem: diversitas orta à differentiis inclusis in ratione communi, nego maiorem: diversitas orta à differentiis superadditis rationi communi, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo nego consequentiam; quia cum differentia finiti, & infiniti in-

cludantur formaliter in ente, diversitas orta ab illis etiam oritur à ratione communi, ac per consequens non est univoca, sed analogia.

2. Contra secundam rationem sumptam à dependentia, obijcies: Ratio qualitatis est univoca potentia, & eius actui; & tamen ratio qualitatis participatur ab actu dependentèr à potentia: ergò licet ratio entis participetur à creaturis dependentèr à Deo, poterit esse univoca-Concessa maiori, distinguo minorem: ratio qualitatis præcisive sumpta participatur ab actu dependentèr à potentia, nego minorem: ratio qualitatis prout contracta ad actum, concedo minorem, & nego consequentiam; quia ratio qualitatis præcisive sumpta non dependet à potentia, sed tantum dependet ab illa prout contracta per differentiam actus; actus enim non dependet à potentia sub ratione qualitatis; sed sub ratione talis; at vero ratio entis præcisive sumpta dicit dependentiam à Deo, quia creaturæ sub ratione entis dependent essentialiter à Deo.

Probatum analogia entis ad substantiam, & accidens, & ad decem prædicamenta.

21. **S**VFFICIENTER Patet ex dictis, ens esse analogum ad substantiam, & accidens,

cum probatum maneat esse analogum ad omnia sua inferiora; sed specialiter probatur: quia ratio, quæ uni convenit proprie, & simpliciter, alteri vero secundum quid, est analogia; sed substantia est simpliciter ens, accidens vero est ens secundum quid: ergò ratio entis est illis analogia. Cetera patent. Minor quoad secundam partem probatur: quia quod absolute, & in se non est ens, sed tantum per respectum ad aliud, non est simpliciter ens; sicut medicina non est simpliciter sana, sed tantum secundum quid, quia tantum est sana per respectum ad animal; sed accidens non est ens absolute, & in se; sed per respectum ad aliud, est enim ens in alio, sive entis ens; ergò non est simpliciter ens.

22. Ex quo patet, rationem entis non esse univocam ad decem prædicamenta, quia primum prædicamentum est substantia, cetera vero accidentia; sed ens non est univocum ad substantiam, & accidens: ergò nec ad decem prædicamenta. Tum, quia si ens esset univocum ad decem prædicamenta, esset genus respectu illorum, ex quo fieret, quod decem prædicamenta non essent suprema genera, contra Arist. & D. Thom. ergò ens non est univocum ad decem prædicamenta. Contra dicta nihil obijcitur à contrarijs præter relata in præcedentibus.

TRA

TRACTATUS SEXTVS,

DE PRÆDICAMENTIS.



COMMVNIOR iam consuetudo obtinuit; vt in hoc tractatu quæstiones haud pauca, & leues de substantia præsertim; quantitate, & relatione scitentur, re ipsa potius ad Metaphysicam, quam ad logicam attinentes, cuius tantum est seriem, ac coordinationem prædicamentalem cuiuslibet designare prædicamento. Veruntamen consuetudini, licet compendiose, morem geram; pro omittendis ad Metaphysicam lectorem mitto.

QVÆSTIO. I.

Quid, & quotuplex sit prædicamentum?

PRædicamentum est: *Series, & coordinatio prædicatorum essentialium ab vno supremo genere, quo nihil est superius, vsque ad individuum, quo nihil est inferius.* Ex hac definitione rectè perpensa, colliges primo, quod id, quod non est genus, nec sub genere continetur, non ponitur in prædicamento. Vnde ens, quod propter sui analogiam non est genus, nec sub genere contentum; itemque Deus, qui propter sui infinitatem sub nullo genere continetur, sed est super omnia genera; & simili-

ter quodlibet prædicatum analogam, non ponuntur in prædicamento

2 Inferes secundo, quod ens rationis non ponitur in prædicamento, quia prædicamenta sunt genera entis. realis, in quæ ipsum ens reale dividitur, ens autem rationis sub genere entis realis minimè continetur. Denique colliges, genera, species, & individua poni directe in linea recta in prædicamento, differentias verò poni ad latus, & indirecte, quod quidem patet in arbore prædicamentali statim apponendo, nullaque maiori indiget probatione.

3 Dico igitur: *Ens reale creatum adæquate dividitur in decem prædicamenta, sive genera suprema, scilicet, in substantiam, quan-*

quantitatem, qualitatem, relationem, actionem; passionem, ubi, situm, quando, & habitum. Hæc divisio est communis inter Philosophos, quibus SS. PP. consentiunt, & in hunc modum declaratur: quia omne ens reale, vel est substantia, vel accidens: si substantia, suum constituit prædicamentum. Si autem accidens, vel est absolutum, vel relativum: si absolutum, est *quantitas*, quando consequitur ad materiam, vel *qualitas* quando sequitur ad formam. Si relativum, vel respicit terminum, ut purum terminum, & sic est *relatio*, vel respicit terminum tanquam effectum, & est *actio*, vel respicit agens ut sibi superius, & est *passio*, vel respicit locum, ut commensuratum cum illo, & est *ubi*, sive *ubicatio*: vel respicit tempus, ut mensuram suæ existentie, & est *quando*, sive *duratio*: vel respicit locum ordinando partes in illo, & est *situs*: vel respicit aliquid extrinsecum ut ornamentum substantie, & est *habitus*. Sed hæc omnia tantum sunt decem, scilicet, substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, ubi, situs, quando, & habitus: ergo rectè dividitur ens reale in his decem prædicamentis.

4 Sed inquires ad quod prædicamentum pertineant partes substantie, ut sunt materia, & forma; & modi substantie, vel accidentis, ut sunt substantia, existentia, & inhaerentia,

& quælibet unio? Respondeo, quod partes cuiuslibet rei, & modi intrinseci pertinent ad prædicamentum, cuius partes sunt, aut modi; indirecte quidem, nam directe non ponuntur in speciali prædicamento. Unde partes substantie, partesque quantitatæ in prædicamento quantitatæ; similiter etiam substantia, & existentia ponuntur indirecte in prædicamento substantie, quia sunt modi illius; & inhaerentia in prædicamento accidentis, cuius est inhaerentia; & similiter unio in prædicamento rei unitæ. Ex quo inferes, entia incompleta in aliquo genere, qualia sunt prædicta, non poni directe in speciali prædicamento.

5 Inquires secundo: In quo prædicamento ponantur complexa, v. g. *homo albus*, *animal rationale*? Respondeo, quod directe in nullo ponuntur prædicamento, quia constant essentijs diversi generis, & prædicamenti. Unde *homo albus* constat homine, qui pertinet ad prædicamentum substantie, & *albedine*, quæ pertinet ad prædicamentum qualitatis. Itemque *animal rationale* constat animali, quod directe ponitur in prædicamento, & *rationali*, quod indirecte tantum, & ad latus in illo ponitur. Ex quo colliges, quod id, quod ponitur in prædicamento directe, debet esse unius essentia, & quidditatis, sive unum ens per se,

6 Pro complemento nota, Arist. plures divisiones, & regulas appoluisse, quas vocant antepredicamentales, quae quidem mihi parum utiles videntur, ideòque, ceteris omisis, vnā tantum, vt magis conducentem, proponam, ea est: *Cum quidpiam de quopiam, vt de subiecto, praedicatur, quidquid dicitur de predicato, dicitur etiam de subiecto.* V.g. quia animal praedicatur de homine tanquam de subiecto, quod dicitur de animali, scilicet, esse vivens, esse corpus, esse substantiam, &c. hoc etiam dicitur de homine.

7 Sed dices: Animal est genus, & homo non est genus: ergò aliquid dicitur de animali, quod praedicatur de homine, quod de homine non dicitur, & consequenter regula ante predica mentalis falsa est. Respondeo distinguendo antecedens: animal, vt praecisum ab homine est genus, concedo antecedens: animal secundum se, nego antecedens, & distinguo consequens eodem modo. Et enim regula Arist. debet intelligi de predicato, quod praedicatur de subiecto, non in statu abstractionis, & praecisionis, sed de ipso secundum se, & in omni statu: genus autem non praedicatur de animali secundum se & in omni statu, sed tantum in statu abstractionis, vnde non sequitur quod etiam praedicetur de homine.

QVÆSTIO II.

Quid, & quotuplex sit substantia?

1 **D**ICO Primo: *Substantia non constituitur formalitèr per negationem essendi in alio.* Est communis sententia contra paucos. Et probatur: ens positivum nequit formalitèr constitui per negationem; sed substantia est ens positivum: ergò nequit constitui formalitèr per negationem essendi in alio.

2 **D**ICO secundo: *Substantia non constituitur formalitèr per substare accidentibus.* Est etiam communis, contra paucos. Probatur breviter: Prius intelligitur substantia constituta in se, quam intelligatur substare accidentibus: ergò non constituitur formalitèr per substare accidentibus. Antecedens probatur: quodlibet ens, praecipue si sit absolutum, prius intelligitur constitutum in se, quam intelligatur in ordine ad aliud; sed substantia est ens absolutum: ergò prius intelligitur in se constituta, quam in ordine ad aliud. Tunc sic; sed substare accidentibus dicit ordinem ad aliud: ergò prius intelligitur constituta, quam intelligatur substare accidentibus. Confirmatur: substare accidentibus est proprietas substantiae, vt postea videbimus ex Philosoph. sed nulla res constituitur formalitèr per suam pro-

proprietatem : ergò substantia non constituitur formaliter per substare accidentibus.

Sed obijcies : substantia dicitur à substando : ergò constituitur per substare accidentibus. Respondeo , concesso antecedenti, negando consequentiam, quia non semper res accipit suum nomen ab essentia, in qua consistit, sæpe enim denominationem sumit ab aliqua proprietate ; sicut lapis dicitur à lædendo pedem, & tamen eius essentia non est lædere pedem ; sic similiter substantia appellatur talis à substando accidentibus, quin eius essentia in hoc consistat, quia videlicet est eius proprietas.

3 Dico tertio: *Substantia formaliter constituitur per exigentiam existendi per se*, unde sic debet definiri : *Est ens petens existere per se*. Est communis Thomistarum, & aliorum, expressaque D. Thom. pluribus in locis, traditurque à Damasceno cap. 3. Logicæ ubi ait : *Substantia est res per se existens, non indigens alio ad consistentiam*. Et probatur: ens absolute constituitur per ordinem ad existendum: ergò ens tale, vel talis debet constitui per ordinem ad taliter existendum, scilicet, per ordinem ad existendum modo sibi proprio ; sed modus proprius existendi substantiæ, est existere per se : ergò debet constitui per ordinem, sive exigentiam ad existendum per se. Confirmatur : substantia constitui debet

per oppositum ad constitutivum accidentis ; sed constitutivum accidentis est exigentia existendi in alio, cuius oppositum est exigentia existendi per se : ergò substantia debet constitui per exigentiam existendi per se.

4 Sed contra obijcies: Substantia incompleta, qualis est materia, forma, & unio, non existunt per se : ergò substantia non constituitur per existere per se. Antecedens probatur: quia forma existit in materia, & materia existit per formam, & unio existit in extremis : ergò non existunt per se. Respondeo distinguendo antecedens : non existunt per se *ut quod*, concesso antecedens : *ut quo*, nego antecedens, & consequentiam. Ad cuius probationem dico, quod existere per se convenit omni substantiæ tam completæ, quam incompletæ; completæ quidem convenit proprie, & *ut quod*: quia sola substantia completa, quæ suppositum dicitur, existit per se, *ut quod*; incompletæ autem convenit existere per se, *ut quo*, & improprie, quia hoc modo existere per se nihil aliud est, quam esse id, quo constituitur substantia existens per se, *ut quod*. De ratione autem substantiæ incompletæ, qualis est unio, materia, aut forma, &c. est, quod per illam constituatur substantia existens per se, *ut quod*, unde existit per se *ut quo*.

5 Sed dices : Existere per se, *ut quo*, non est proprie

loquendo existere per se; sed substantiæ incompletæ tantum convenit existere per se, ut *quod*; ergo illi non convenit proprie existere per se. Tunc sic; sed constitutum substantiæ debet proprie convenire omni substantiæ; ergo existere per se non est constitutum substantiæ. Concedo totum syllogismum, & ad minorem subsumptam distinguo: constitutum substantiæ debet proprie convenire omni substantiæ, quæ proprie, & univocè est substantia, concedo minorem: quæ tantum improprie, & analogice est substantia, nego minorem, & consequentiam; quia substantia incompleta proprie, & simpliciter non est substantia, sed tantum est constitutum substantiæ; sicut homo incompletus proprie, & simpliciter non est homo, sed constitutum hominis; unde constitutum substantiæ non debet proprie convenire substantiæ incompletæ, sed sufficit, quod illi conveniat improprie, & ut *quod*.

6 Et quidem quod constitutum metaphysicum substantiæ non possit univocè convenire substantiæ completæ, & incompletæ, sic probatur: Non potest dari ratio substantiæ univocè communis substantiæ completæ, & incompletæ: ergo nec potest constitutum substantiæ univocè convenire substantiæ completæ, & incompletæ. Antecedens probatur: non

potest dari ratio substantiæ univocè communis substantiæ completæ, & eius partibus; sed substantia incompleta nihil aliud est, quam pars substantiæ; ergo non potest dari ratio substantiæ univocè communis completæ, & incompletæ. Maior probatur: non potest dari ratio communis substantiæ, quæ univocè prædicetur de substantia completa, & eius partibus; ergo. Antecedens probatur: quia ratio communis substantiæ, vel in suo conceptu includit plusquam partem substantiæ, vel tantum includit partem substantiæ. Si primum: ergo nequit prædicari univocè de parte substantiæ, quia includit plusquam illam. Si secundum: ergo nequit prædicari de substantia completa; quia pars nequit prædicari de suo toto: ergo nequit dari ratio communis substantiæ, quæ univocè prædicetur de substantia completa, & eius partibus.

7 Secundo obijcies: Accidentia Eucharistiæ existunt per se, cum existant sine subiecto: ergo non est proprium substantiæ existere per se, & consequenter per illud non constituitur. Confirmatur: Accidentis non constituitur per existere in alio: ergo nec substantia per existere per se. Antecedens probatur: forma substantialis proprie existit in alio, scilicet, in materia vel in composito; & tamen non est accidens: ergo accidens non constituitur per existere in alio.

Ref-

8 Respondeo, distinguendo antecedens: Existunt per se contra, vel supra propriam exigentiam, concedo antecedens: iuxta propriam exigentiam; nego antecedens: & consequentiam in eodem sensu; itaque substantia non constituitur per existere per se utcumque sed per exigentiam existendi per se; hæc autem exigentia ita est propria substantiæ, ut accidentibus nunquam possit convenire, quia licet accidentia Eucharistiæ per se existant sine subiecto, hæc tamen evenit supernaturaliter, & contra propriam exigentiam, accidentia enim semper exigunt inherere subiecto, & non existere per se.

Ad confirmationem, distinguo antecedens: accidens non constituitur per existere in alio actualiter, concedo antecedens: per existere in alio exactivo, nego antecedens, & consequentiam in eodem sensu. Ad probationem antecedentis, distinguo maiorem: forma substantialis materialis proprie existit in alio tanquam in supposito adæquate à se distincto, nego maiorem: tanquam in primo subiecto, concedo maiorem, & minorem, & distinguo consequens in eodem sensu. Itaque accidens constituitur per exigentiam existendi in alio tanquam in supposito adæquate à se distincto hæc autem omni accidenti convenit, & soli acci-

denti, quia forma substantialis tantum existit in alio tanquam in primo subiecto, non autem tanquam in supposito adæquate à se distincto, nec in composito, quia compositum non distinguitur adæquate à forma, cum illam includat.

Dividitur substantia.

PRIMO Dividitur substantia in creatam, & incretam. Substantia creata est, quæ existit per existentiam ab alio participatam. Increta est, quæ existit per suam essentiam. Distinctionem inter utranque substantiam videbis in Metaphysica, ubi de distinctivo primario entis creati ab increato agemus. Secundo dividitur substantia creata in completam, & incompletam. Substantia completa est suppositum per se existens, v. g. homo, equus substantia incompleta est constitutum quodlibet suppositi per se existentis, v. g. unio, materia forma, existentia, & substantia

Substantia completa creata, quæ est supremum genus substantiæ, à quo incipit prædicamentum ipsius, dividitur in primam, & secundam. Prima substantia est iuxta Philosophum, quæ nec in subiecto aliquo est, nec de subiecto dicitur, huiusmodi sunt substantiæ individue, & singulares, ut Petrus, Bucephalus. Secunda substan-

stantia est, quæ in subiecto non est, dicitur tamen de subiecto. Huiusmodi sunt, species, & genera substantiæ, ut homo, & animal, quæ licet non sint in subiecto, tamen de illo prædicantur, scilicet, de individuo, sive de prima substantia.

12 Denique substantia completa creata primo dividitur in spirituales, & corporeas. Spirituales deinde in plures Angelos. Corporea subdividitur in coelestem, & sublunarem. Coelestis in plures caelos, sublunaris in elementum, & mixtum. Elementum, in quatuor elementa, scilicet, ignem, aerem, aquam, & terram. Mixtum vero in animatum, & inanimatum. Inanimatum in diversa genera metallorum, & lapidum. Animatum, quod est vivens, dividitur in pure vegetabile, & sensibile. Vegetabile in plures plantas. Sensibile, quod est animal, in rationale, & irrationale. Irrationale in diversa genera brutorum, volatilium, & reptilium, quadrupedum, & bipedum &c. Rationale, quod est homo, dividitur in plures homines, v. g. Petrum, & Paulum, quam divisionem sequenti figura videri potest.

QVÆSTIO III.

Verum Deus ponatur in predicamento substantie?


DICO Igitur: Deus non ponitur directe

in predicamento substantie. Est communis inter Thomistas, & plures extraneos contra Gabrielem, Gregorium Ariminensem, Holcot, Baconem, Marsilium, & Maiorem, & aliquatenus contra Hurtado; Arriaga, Oviedo, Pontium, & alios, qui quavis censeant, Deum non contineri in predicamento substantiæ ab Arist. instituto, quia Arist. solum instituit predicamentum pro substantiis creatis, asserunt tamen contineri sub genere supremo substantiæ, quod ipsi aiunt, esse substantiam communem ad Divinam, & creatam.

1. Probatur conclusio, primo auctoritate D. August. qui lib. de cognitione vera vitz cap. 3. loquens de predicamentis, sic ait: *Sed quod ex his nullum proprio Deo conveniat manifesta ratio probat.* Ergo ex mente August. sub nullo predicamento continetur Deus.

2. Deinde probatur ratione: Quidquid ponitur in predicamento substantiæ directe, vel est genus supremum substantiæ, vel sub illo continetur; sed Deus nec est supremum genus substantiæ, nec sub illo continetur: ergo Deus non ponitur directe in predicamento substantiæ. Maior ex se patet. Minor vero probatur: quia imprimis Deus non est supremum genus, etenim genus debet esse multiplicabile in plures species; Deus autem nec in plura

in-



Corporea.

Incorporea.

Alterabile.

Inalterabile.

Compositū.

Simplex.

Animatum.

Inanimatum.

Sensibile.

Insensibile.

Rationale.

Irrationale.

Substantia.

Corpus.

Generabile.

Mixtū.

Vivens.

Animal.

Homo.

Ioannes.

hic hom.

Frācisus.

individua multiplicabilis est: nõ ergò est genus supremũ. Quod autem nec sub illo contineatur, probatur: quia quod est simpliciter infinitum, nequit contineri sub genere simpliciter finito; sed Deus est simpliciter infinitus, & genus supremum substantie est simpliciter finitum: ergò Deus nequit contineri sub genere supremo substantie. Maior & minor quoad primam partem patent. Quoad secundam vero probatur: omne, quod est potentiale, & ulterius perfectibile, est simpliciter finitum, cum careat perfectione, & actualitate, per quam est actuabile, & perfectibile, sed genus supremum substantie, sicut quodlibet aliud genus, est essentialiter perfectibile, potentiale, & actuabile: ergò est simpliciter finitum.

4 Confirmatur: Ratio generica substantie formaliter, & in se non includit perfectionem simpliciter infinitam; alias enim omnis substantia esset simpliciter infinita, quia quod formaliter includitur in ratione generica, debet inveniri in quolibet inferiori sub illa contento: ergò ratio generica substantie in se tantum continet formaliter perfectionem finitam: ergò est ratio finita, & limitata, & consequenter Deus sub illa contineri non valet.

5 Respondebis pro contrariis, quod ratio generica substantie est permissive finita, & infinita

quia est contrahibilis tam per differentiam finitam, quam infinitam; positive autem, & formaliter non est finita, nec infinita, sed ab utraque præscindit. Sed contra: ratio generica substantie prout talis, non permissive, sed positive & formaliter est potentialis, & perfectibilis; sed eo modo, quo aliquid est potentiale, & perfectibile, est simpliciter finitum: ergò ratio generica substantie non solum permissive, sed positive, & formaliter est simpliciter finita. Minor patet: quia eo modo, quo aliquid est actus purus, eo modo est simpliciter infinitum: ergò eo modo, quo aliquid est perfectibile, & potentiale est simpliciter finitum.

6 Secundo: Implicat quod ratio generica substantie sit permissive infinita: ergò Probo antecedens: si esset permissive infinita, esset contrahibilis per differentiam infinitam simpliciter; sed repugnat differentia substantie contractiva, quæ sit simpliciter infinita: ergò & quod ratio generica substantie sit permissive infinita. Minor probatur: quia differentia substantie simpliciter infinita perficeret substantiam simpliciter infinite, & consequenter non relinqueret illam perfectibilem, & actuabilem per aliam differentiam; sed implicat differentia contractiva rationis communis generice, quæ non relinquat illam perfectibilem, & actuabilem

lem per aliam differentiam: ergo implicat differentia substantiæ simpliciter infinita. Ex quo inferes, nullum inferius contentum sub genere substantiæ posse esse simpliciter infinitum, quia illud tantum constare potest ratione generica, & differentiali; sed neutra potest esse iuxta dicta simpliciter infinita: ergo nullum inferius contentum sub genere substantiæ potest esse simpliciter infinitum.

7. Confirmatur prædicta ratio: quod continetur sub genere supremo substantiæ, habet rationem substantiæ participatam; sed Deus non habet rationem substantiæ participatam; aliàs esset substantia, & ens per participationem: ergo implicat quod Deus concineatur sub genere supremo substantiæ, & consequenter quod ponatur in prædicamento. Maior, quæ sola difficilis est, probatur: omne inferius contentum sub aliqua ratione generica, eo ipso illam non adæquat, aliàs enim non esset inferius, sed æquale; sed quod non adæquat rationem communem, illam solum habet inadæquate participatam: ergo quidquid continetur sub genere supremo substantiæ, habet rationem substantiæ participatam. Urgetur: quidquid continetur tanquam inferius sub aliquo genere, nequit continere in se omnem perfectionem illius generis; aliàs enim adæquaret genus, & non esset inferius illi;

sed quod non continet omnem perfectionem alicuius generis, nequit esse simpliciter infinitum, in illo genere: ergo quidquid continetur sub genere supremo substantiæ nequit esse simpliciter infinitum in genere substantiæ. Amplius: Deus est simpliciter infinitus in omni genere: ergo continet in se omnem perfectionem cuiusvis generis: ergo adæquat, seu excedit quodcumque genus: ergo sub nullo continetur tanquam inferius.

8. Ex quo ultimo probatur conclusio: Quod ponitur in prædicamento debet constare genere & differentia; sed Deus genere, & differentia non constat: ergo nequit poni in prædicamento. Maior à contrarijs admittitur, & minor probatur: nulla ratio in Deo invenitur contracta, & restricta per differentiam; sed quod constat genere, & differentia habet aliquam rationem, nimirum genericam, contractam, determinatam, & restrictam per differentiam: ergo Deus non constat genere, & differentia. Maior, quæ sola difficilis est, probatur: omnis ratio contracta, determinata, & restricta per differentiam, per eam differentiam limitatur, & coarctatur; sed implicat in Deo ratio aliqua limitata & coarctata cum sit simpliciter infinitus in omni genere, & ratione: ergo in Deo nulla ratio invenitur contracta, determinata, & restricta per differentiam.

Q. III. *Utrum Deus ponatur in predicamento substantie* 335

Soluntur argumenta.

ARGVES Primo: Quidquid continetur sub genere supremo substantie, ponitur in predicamento substantie; sed Deus continetur sub genere supremo substantie: ergo ponitur in predicamento substantie. Minor, que sola difficilis est, probatur: omne id, de quo predicatur genus supremum substantie, continetur directe sub tali genere; sed genus supremum substantie de Deo predicatur: ergo Deus continetur sub illo. Minor, que sola difficilis est, probatur: genus supremum substantie consistit in ratione entis per se existentis; sed Deus verè & proprie est ens per se existens: ergo genus supremum substantie de Deo predicatur.

10 Respondeo negando min. Ad cuius probationem, nego etiam minorem. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: consistit in ratione entis per se existentis finite, concedo maiorem; infinite nego maiorem; & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Itaque genus substantie, sicut quodlibet aliud genus, essentialiter est potentiale, & perfectibile, ac per consequens finitum, & limitatum, unde debet consistere in ratione entis per se existentis finite, & cum limitatione; cum autem Deus sub hac ratione non contineatur, nec hæc ratio de illo predicetur, inde est, quod Deus non continetur sub

genere supremo substantie, nec ponitur in predicamento.

11 Sed replicabis genus supremum substantie non est substantia finita, & limitata, sed substantia prout præscindens à finita & infinita; sed Deus continetur sub ratione substantie præscindens à finita & infinita: ergo Deus continetur sub genere supremo substantie. Mai. que sola difficilis est, probatur: genus supremum substantie est substantia magis communis; sed substantia præscindens à finita; & infinita est magis communis, quam substantia finita: ergo non substantia finita, sed substantia præscindens à finita, & infinita est genus supremum substantie.

12 Respondeo negando maiorem. Ad cuius probationem, distinguo maiorem: genus supremum substantie est substantia magis communis univoce, concedo maiorem; magis communis analogice, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Quia genus quodlibet, quanvis supremum, debet esse ratio universalis, & univoca, quia ratio analogica nec potest esse universalis, nec genus; unde ratio substantie præscindens à finita, & infinita, cum analogica sit, & non univoca, non potest esse genus supremum substantie.

13 Sed urgebis: Ratio communis præscindens à differentiis est univoce communis; sed ratio substantie præscindens à finita, & infinita præscindit à differen-

cijs: ergo est univocè communis, & consequenter genus. Secundo: ratio substantiæ proprie, & simpliciter dicitur tam de substantia infinita, quam de finita; sed ratio, quæ proprie, & simpliciter dicitur de pluribus, est illis univocè communis: ergo ratio substantiæ est univocè communis finitæ, & infinitæ.

14 Ad primam respondeo distinguendo maiorem: Ratio adæquate, & perfecte præscindens à differentijs, est illis univocè communis, concedo maiorem: præscindens imperfecte tantum, & penes implicitum, & explicitum, nego maiorem, & distincta minori eodè modo, nego consequentiam, quia substantia potest præscindi imperfecte tantum à finita, & infinita, non autem perfecte, ita ut excludat à suo conceptu differentias, hoc autem requirebatur, ut esset univoca; & ratio est, quia ut tract. præcedenti probavimus, ratio includens in suo conceptu differentias, non est univoca, sed analogæ unde ratio substantiæ communis creatæ, & increatæ nequit esse univoca, nec genus.

15 Sed dices: Animal perfecte præscindit à differentijs rationalis, & irrationalis, ita ut illas non includat: ergo similiter ratio substantiæ respectu finitæ, & infinitæ. Nego consequentiam; quia ratio præscindens perfecte à differentijs, est potentialis, & perfectibilis per illas, & per eas limitatur, ut probatū manet. Cum au-

tem ratio substantiæ communis Deo, & creaturis non possit esse potentialis, perfectibilis, & limitata; aliàs enim Deus haberet rationem substantiæ potèntialem, & limitatam; inde est, quod talis ratio substantiæ communis non potest præscindere à finita, & infinita perfecte, & excludendo differentias; at verò ratio animalis communis rationali, & irrationali, potentialis est, & limitata, ac per consequens potest esse univoca, & perfecte præscindi à differentijs, & illas excludere. Imò retorquetur argumentum: quia enim ratio animalis perfecte præscindit à differentijs, & illas excludit à suo conceptu, est potèntialis, & perfectibilis, & in quolibet animali reperitur limitata, & coarctata: ergo si ratio substantiæ communis finitæ, & infinitæ perfecte præscinderet à differentijs, & illas excluderet, esset potentialis, & in qualibet substantia, sive finita, sive infinita reperiretur limitata, & coarctata, quo quid absurdius?

16 Sed urgebis: Licet substantia pro explicito præscindat à differentijs, non sequitur, quod pro explicito sit potentialis, & finita: ergo ex eo quod etiã pro implicito præscindat ab illis, non sequitur, quod sit potèntialis, & finita. Nego consequentiam, quia illud tantū est potèntiale, & perfectibile, quod caret aliqua perfectione, sive illā formalitèr non includit, per quā perfici potest; cū autem substantia, licet pro explicito præscindat à differentijs, illas tan-

tamen formaliter includat, inde est, quod nequit esse potentialis, aut perfectibilis per ipsas; at vero si præscinderet perfecte ab illis, iam illas non includeret, ac per consequens esset potentialis respectu illarum.

17 Ad secundam replicam principalem, respondeo distinguendo minorem: Ratio, quæ proprie, & simpliciter convenit pluribus, est univoca communis, si illis conveniat adæquate tam pro implicito, quam pro explicito, concedo minorem si illis conveniat rãtum inadæquate, & pro explicito, nego minorem, & consequentiam. Quia ratio univoca, cum sit omnino, & simpliciter eadem, adæquate sumpta potest convenire pluribus; at vero ratio substantiæ, cum includat differentias, nequit adæquate sumpta convenire Deo, & creaturis, quia est partim eadem scilicet pro explicito, & partim diversa, scilicet pro implicito, unde non est ratio univoca, sed analogã, non quidem analogia attributionis, aut proportionalitatis improprie, sed analogia proportionalitatis proprie, quæ exigat quod ratio communis omnibus inferioribus conveniat proprie, & sine metaphora.

18 Obijcies secundo: Deus componitur ex genere, & differentia: ergo ponitur in predicamento. Consequentia patet ex dictis. Antecedens probatur: compositio ex genere, & differentia nullam arguit imperfec-

tionem realem in Deo: ergo potest in Deo reperiri. Antecedens probatur: compositio ex genere, & differentia est compositio rationis; sed compositio rationis nullam arguit imperfectionem realem: ergo compositio ex genere & differentia nullam arguit imperfectionem realem. Respondeo negando antecedens. Ad cuius probationem; nego etiam antecedens. Ad cuius probationem; distinguo maiorem: est compositio rationis cum fundamento in re, concedo maiorem: sine fundamento, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia compositio ex genere, & differentia fundatur in eo, quod aliqua ratio ex se communis inveniatur à parte rei restricta, & coarctata per aliquam differentiam, & consequenter arguit limitationem realem illius rationis, quæ in Deo nequit reperiri, & ulterius arguit etiam imperfectionem realem, quia fundatur in similitudine reali plurium in aliqua ratione, quæ eo ipso in nullo illorum potest esse infinita, sed in quolibet ex illis debet inveniri coarctata, & limitata, sive participata.

19 Argues tertio: Hoc nomen *substantia* est terminus univocus: ergo & ratio substantiæ est univoca respectu Dei, & creature. Concedo antecedens, & nego consequentiam; quia ad rationem termini univoci solum attenditur admodum significandi; ut autem aliqua res, vel ratio obiectiva

fit univoca attenditur ad ipsam rem, vel rationem; cum autem hoc nomen *substantia* eodem modo significet substantiam in communi, ac si esset univoca, inde est, quod à Summorum terminus univocus appellatur; ac verò ratio ipsa substantiæ nequit esse univoca, quia partim est eadem, scilicet, pro explicito, & partim diversa, scilicet, pro implicito.

20 Obijcies quarto: Christus Dominus ponitur in prædicamento substantiæ; sed Christus est Deus: ergò Deus ponitur in prædicamento substantiæ. Maior probatur: Christus est homo, sed homo ponitur in prædicamento substantiæ: ergò Christus ponitur in prædicamento substantiæ. Respondeo distinguendo mai. Christus Dominus inquantum homo ponitur in prædicamento substantiæ: concedo maiorem: inquantum Deus, nego maiorem; & concessa minori, nego consequentiam, quia licet Christus sit homo, & Deus, tamen quatenus homo ponitur in prædicamento, ut individuum sub specie hominis; sed quatenus Deus minimè, quia ut sic est simpliciter infinitus, & sub nullo genere, aut specie continetur.

21 Sed replicabis: Christus Dominus inquantum homo includit aliquid infinitum; sed per nos inquantum homo ponitur in prædicamento: ergò aliquid infinitum potest poni in prædicamento. Mai. patet; quia Christus

inquantum homo includit suppositum; suppositum est infinitum: ergò includit aliquid infinitum. Respondeo distinguendo Maiorem: Christus Dominus inquantum homo includit pro materiali aliquid infinitum, concedo maiorem: pro formali, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens distinctione maioris. Ex quo patet ad probationem; quia Christus inquantum homo de formali importat naturam humanam, & pro materiali suppositum Divinum, unde bene potest poni in prædicamento, quatenus de formali importat naturam finitam; ac vero quod est infinitum pro formali, qualis est Deus, non potest poni in prædicamento.

22 Obijcies quinto: Si daretur quantitas infinita, poneretur in prædicamento quantitatis: ergò substantia infinita, qualis est Deus, ponitur in prædicamento substantiæ. Nego antecedens; quia talis quantitas non contineretur tanquam inferior sub genere quantitatis, contineret enim in se omnem perfectionem illius generis, & non haberet rationem quantitatis participatam, & inadæquate, sed totaliter, & adæquando rationem genericam, unde non esset inferior, sed æqualis respectu generis quantitatis, ac per consequens sub illo non contineretur.

23 Obijcies ultimo: iuxta D. Agust. lib. 5. de Trinitate cap. 9. *Quædam prædicamenta, scilicet, sub-*

Q. IV. In quo consistat ratio formalis quantitatis?

§ 37

Substantia, actio, & relatio proprie dicuntur de Deo: ergo Deus continetur sub predicamentis substantiæ, actionis, & relationis. Resp. August. manifeste sentire, Deum in nullo predicamento collocari, ut patet ex probatione conclusionis, unde in presenti explicandus est D. August. quod scilicet, aliqua predicamenta conveniunt Deo, non formaliter ut predicamenta, sed per proportionem, & analogiam proportionalitatis propriæ, quatenus ratio substantiæ Dei, & predicamentalis habent aliquam proportionem, & analogice conveniunt; non autem quod ratio univoca substantiæ predicamentalis proprie, & univoce predicetur de Deo, hoc enim expresse negatur ab August. loco à nobis relato.

24 Pro complemento nota, quod proprietates substantiæ ab Arist. assignatæ, sunt sequentes. Prima est, non esse in subiecto inhesionis, hoc est, non recipi in supposito, sive substantia completa à se distincta. Secunda est, quod predicetur univoce de subiecto; pro subiecto intelligitur prima substantia, sive individuū, de quo predicatur univoce substantia secunda. Tertia est, quod substantiæ nihil sit contrarium; contraria enim sunt, quæ ab eodem subiecto mutuo se expellunt, & sub eodem genere maxime distant; cum autem substantia non sit in subiecto, non potest expelli à subiecto per aliam, àq̄ per consequens non

potest habere contrariū. Quarta est, non suscipere magis, & minus; hoc est, quod non possit augeri, aut minui quoad intentionem, licet possit augeri, aut minui quoad extensionem, quia licet vna substantia possit esse maior altera, non tamen potest esse magis substantia, quam altera; & licet vnus homo possit esse maior altero, non tamen potest esse magis homo, quam alter. Quinta, & vltima proprietas substantiæ est, quod sit susceptiva contrariorum. Quæ proprietas solum convenit substantiæ creatæ, quæ est susceptiva qualitatum contrariorum, ut sunt corpora corruptibilia sublunaria; & motuum contrariorum, ut sunt cæli, vel actuum intentionalium contrariorum, ut sunt Angeli, qui possunt habere odium, & amorem, affirmationem, & negationem eiusdem obiecti.

QVÆSTIO IV.

In quo consistat ratio formalis quantitatis?

QUANTITAS potest sumi, vel metaphorice pro quantitate virtutis, vel proprie pro quantitate molis. Quantitas virtutis nihil aliud est, quam perfectio intrinseca cuiuslibet rei, penes quam dicitur magna, vel parva, maior, vel maxima; unde Deus dicitur mag-

nus, & excelsus, non à quantitate molis, sed à quantitate virtutis, scilicet à sua perfectione. Quantitas molis est illud accidens, quod substantiam materialem reddit extensam, & quasi dilatam.

2. Nota tamen quod in quantitate reperiuntur plura, de quibus dubitari potest, in quo eius ratio formalis consistat. Primo enim reperitur ratio mensuræ, & mensurabilis, in quantum quælibet quantitas determinata potest esse mensura alterius, vel ab altera mensurabilis, v. g. vna, in qua ratione mensuræ censent aliqui consistere formaliter quantitatem, vt Capreolus, Iandunus, & alij. Secundo reperitur in quantitate divisibilitas in partes eiusdem rationis, in qua quidem divisibilitate consistere rationem formalem quantitatis tenent Antonius Andreas, & alij veteres. Tertio reperitur in quantitate extensio partium in ordine ad locum, tam actualis, quam aptitudinalis; licet autem nullus asserat, rationem formalem quantitatis consistere in extensione actuali in ordine ad locum, quia in Eucharistia reperitur quantitas corporis Christi sine illa, tamen consistere in extensione aptitudinali in ordine ad locum docent Suarez, Paulus Valius, & alij RR.

3. Quarto reperitur in quantitate impenetrabilitas, cum altero eiusdem rationis. Etenim impenetrabilitas consistit

in eo, quod vna quantitas habet vim, & efficaciam expellendi alteram ab eodem loco, ita vt cum illa, naturaliter non compatiantur, in hac enim impenetrabilitate asseruati consistere rationem formalem quantitatis Arriaga, Pontius, Quirós, Merincero, Hurtado, & alij. Vltimo reperitur in quantitate extensio partium in ordine ad se, quod consistit in habere partes, extra partes vnicalque medijs extremitatibus, sive in ordine partium intra eorum. In hac extensione consistere rationem formalem quantitatis ceteri communis Thomistarum opinio. Pro qua sit.

Nostra conclusio.

4. **D**ICO igitur: Ratio formalis quantitatis non recte explicatur nec per rationem mensuræ, nec per esse divisibilem in partes eiusdem rationis, nec per extensionem partium in ordine ad locum, nec per impenetrabilitatem cum altero eiusdem rationis; sed debet explicari per extensionem partium in ordine ad se. Probatum primo ex D. Thom. qui opusc. 48. expresse differens de quantitate art. 4. ait: *Alio modo positio est ordo partium in toto, & sic positio est differentia quantitatis.* Sed ordo partium in toto est extensio partium in ordine ad se: ergo extensio partium in ordine ad se est differentia quantitatis. Cum ergo

Q. IV. In quo consistat ratio formalis quantitatis?

ergo ratio formalis quantitatis de-
beat explicari per eius differen-
tiam, clare patet, quod debet ex-
plicari per extensionem partium
in ordine ad se.

Deinde probatur ratio-
ne: Ratio formalis quantitatis
debet explicari per id, quod pri-
mo intelligitur in quantitate,
tanquam ratio a priori, sive ra-
dix ceterorum, non autem in
eo, quod fundatur in aliquo pre-
dicato priori; sed extensio par-
tium in ordine ad se est quod
primo intelligitur in quantitate
tanquam ratio a priori, sive ra-
dix ceterorum, cetera vero re-
lata in conclusione fundantur in
illa tanquam in predicato prio-
ri: ergo per solam extensionem
partium in ordine ad se, non au-
tem per cetera, debet explicari
ratio formalis quantitatis. Maior
est certa. Minor vero probatur
quia id est quantitas potest men-
surare aliam, vel ab alia men-
surari, quia est extensa per par-
tes in ordine ad se: & ideo est di-
visibilis in partes, quia illas ha-
bet extensas in ordine ad se:
ideoque extenditur in ordine ad
locum, quia in se est extensa, &
dilatata per partes: & denique
ideo est impenetrabilis in co-
dem loco cum altera quantitate
quia in se est extensa per partes:
ergo extensio partium in ordine
ad se est quod primo intelligitur
in quantitate tanquam ratio a
priori, sive radix ceterorum, ce-
tera vero relata fundantur in illa
tanquam in predicato priori.

6 Confirmatur: Prius
intelligitur in quantitate, quae
accidens absolutum est, quod
est in ordine ad se, quam quod
est in ordine ad aliud; ac per-
consequens per illud, & non per
istud debet explicari ratio for-
malis ipsius; sed ratio mensurae,
divisibilitas, extensio in ordine
ad locum, & impenetrabilitas
cum alio corpore sunt in ordine
ad alia, ut ex se patet, extensio
vero partium in toto est in ordi-
ne ad se: ergo per hanc, & non
per illa debet explicari ratio for-
malis quantitatis.

7 Secundo probatur
conclusio: Ratio formalis quan-
titatis consistit in effectu forma-
li inseparabili a quantitate com-
municata subiecto, non autem
in effectu formali separabili ab
ipsa subiecto communicata; sed
sola extensio partium in ordine
ad se est inseparabilis a quanti-
tate communicata, ceteri vero
effectus separabiles sunt: ergo
in sola extensione partium in
ordine ad se, & non in ceteris
effectibus, consistit ratio forma-
lis quantitatis. Minor probatur:
quia in quantitate corporis
Christi existentis in Eucharis-
tia non separatur extensio in
ordine ad se; & tamen ceteri
effectus separantur; ergo. An-
tecedens quoad primam par-
tem probatur: quia Christus Do-
minus in Eucharista vere habet
caput, brachia, manus, & pedes
suo ordine se habentes inter se;
sed hoc est habere partes extensas
in

in ordine ad se: ergo Christus Dominus in Eucharistia habet extensionem partium in ordine ad se, & consequenter ab eius quantitate non separatur.

8 Confirmatur ex D. Thom. in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 5. quæst. hanc. 3. ad 2. vbi ait: *Quantitas non sit accipere ordinem partium corporis Christi secundum comparationem ad partes hostiæ, tamen est accipere ordinem ipsarum partium ad invicem in corpore Christi secundum propriam quantitatem.* Quid clarius? Ergo ordo sive extensio partium inter se non separatur à corpore Christi in Eucharistia? Quod autem cæteri effectus separantur, quæ erant secunda pars antecedentis, probatur: quia corpus Christi in Eucharistia non est mensura, nec mensurabile, nec ibi est proxime divisibile in partes suas, item ibi non est extensum in ordine ad locum, nec impenetrabile cum altera quantitate, penetratur enim cum quantitate panis; sed hi sunt cæteri effectus quantitatis, in quibus rationem eius formalem constituunt RR. contrarij: ergo omnes illi separantur à quantitate corporis Christi in Eucharistia.

Impugnatur frequens solutio RR.

RESPONDENT Communiter RR. quod licet corpus quodlibet prius intelligatur extensum per partes in ordine ad se, non

tamen quantitas in hac extensione consistit, quia substantia ex se, & independenter à quantitate habet partes extensas in ordine ad se; unde hæc extensio non est effectus formalis quantitatis.

Sed contra hanc solutionem sic insurgo: substantia ex se, & independenter à quantitate non habet partes extensas inter se: ergo hæc extensio est effectus formalis primarius quantitatis, & consequenter in illa consistit ratio formalis quantitatis. Antecedens probatur primo ex D. Thom. in duobus locis supra relatis, in quibus ordinem partium in toto quantitati attribuit, & non substantiæ. Secundo: si substantia haberet ex se independenter à quantitate partes extensas, haberet partes unitas penes extremitates tantum; sed substantia ex se, & independenter à quantitate, non habet partes unitas penes extremitates tantum; ergo non habet partes extensas ex se independenter à quantitate. Minor probatur: partes unitæ penes extremitates tantum sunt impenetrabiles, & resistentes penetrationi; sed iuxta contrarios substantia ex se non habet partes impenetrabiles, & resistentes penetrationi; ergo nec habet partes unitas secundum extremitates tantum. Maior probatur: partes unitæ tantum penes extremitates, habent impedimentum, ut una sit intra aliam; sed

sed nihil aliud est esse impenetrabiles, & resistere penetrationi, quam habere impedimentum ut una sit intra aliam: ergo partes unice secundum extremitates sunt impenetrabiles, & resistunt penetrationi. Maior patet; quia ipsa unio secundum extremitates impedit, quod una sit intra aliam; implicat enim quod sint unice secundum extremitates, & quod una sit intra aliam, alias enim essent unice se totis: ergo partes unice tantum penes extremitates, habent impedimentum, ut una sit intra aliam.

11 Confirmatur: unio partium penes extremitates constituit formaliter unam partem extra aliam, sed quod constituit formaliter unam partem, extra aliam, impedit, ne una pars sit intra aliam: ergo unio partium secundum extremitates impedit, ne una pars sit intra aliam, sive quod penetraretur cum illa. Tunc sic; sed si substantia ex se haberet partes extensas, ex se haberet partes unitas penes extremitates: ergo haberet partes impenetrabiles, quod negant contrarij. Urgetur: ideo quantitas habet partes impenetrabiles, quia habet partes unitas secundum extremitates; ergo si substantia ex se haberet partes unitas secundum extremitates, haberet etiam partes impenetrabiles.

12 Respondebis pro contrarijs: quod substantia ex se habet partes non penetratas,

non autem partes impenetrabiles; quia substantia ex se non habet necessitatem habendi partes extensas, & impenetratas, sed quantum est ex se, potest illas habere unitas secundum se totis, & una intra aliam. Sed contra primo: implicat quod substantia ex se, & independenter a quantitate habeat partes extensas, & non penetratas, quin ex se habeat necessitatem habendi eas extensas, & non penetratas; sed hoc ipso ex se habet partes impenetrabiles: ergo si substantia ex se habet partes extensas, & non penetratas, ex se habebit etiam partes impenetrabiles. Maior probatur, ipsa extensio, & non penetratio partium necessitat substantiam ad habendas partes extensas, & non penetratas: ergo implicat quod substantia ex se habeat partes extensas, & non penetratas, quin habeat necessitatem habendi eas extensas, & non penetratas. Confirmatur: prior est necessitas habendi partes extensas, & non penetratas, quam habere partes extensas, & non penetratas; sed antecedenter ad quantitatem iuxta contrarios substantia habet partes extensas, & non penetratas: ergo etiam ante quantitatem habebit necessitatem habendi eas extensas, & non penetratas, & consequenter impenetrabiles.

13 Contra secundo: quia extensio partium, vel est predicatum substantiale, vel acci-

accidentale. Si primum : ergo substantia ex se est necessitata, & non indifferens ad illam habendam; predicatum enim substantiale debet necessario convenire substantiæ. Si secundum : ergo substantia ex se non habet extensionem partium. Patet consequentia ; quia substantia ex se nullam habet predicatum accidentale. Confirmatur: quantitas est accidens, quod primo advenit substantiæ: ergo si extensio partium substantiæ est accidens non convenit substantiæ ante quantitatem.

Solvuntur argumenta.

14. **A**RGUES Primo: Ratio formalis quantitatis consistit in ratione mensuræ: ergo non consistit in extensione partium in ordine ad se. Antecedens probatur ex D. Thom. opusc. 52: dicente quod propria ratio quantitatis est ratio mensuræ. & 1. part. quest. 28. art. 2. definit quantitatem per hoc quod sit mensura substantiæ: ergo ratio formalis quantitatis consistit in ratione mensuræ. Respondeo, negando antecedens. Ad probationem dico, quod D. Th. quando ait, quod ratio propria quantitatis est ratio mensuræ, pro ratione propria intelligit proprietatem, nos autem non negamus, rationem mensuræ esse proprietatem quantitatis. Idemque dicimus

ad secundum locum; quod scilicet ibi D. Th. definit quantitatem descriptivè, videlicet per eius proprietatem; unde tantum sequitur, quod ratio mensuræ sit proprietas quantitatis.

15. Argues secundo: Ratio formalis quantitatis consistit in eo, quod sit divisibilis: ergo non consistit in prædicta extensione. Antecedens probatur ex Philosoph. qui 5. metaph. cap. 13. definit quantitatem in concreto hoc modo: *quantum dicitur quod est divisibile in ea que insunt, quorum utrumque, aut singula, unumquid, & hoc aliquid aptum est esse*: ergo ratio formalis quantitatis in prædicta divisibilitate consistit. Eodem modo respondetur, quod Philosoph. ibi definit quantum descriptivè per eius proprietatem, ex quo solum sequitur divisibilitatem esse proprietatem quantitatis, non autem rationem formalem.

16. Argues tertio: Ratio formalis quantitatis non consistit in extensione partium substantiæ; aliàs nec in extensione partium quantitatis: ergo non consistit in extensione partium. Maior patet; quia in Eucharistia existit quantitas panis, & non extendit partes substantiæ, cum ibi non dentur: ergo non consistit in extensione partium substantiæ. Minor etiam patet; quia nullius accidentis ratio formalis explicatur per ordinem ad se, sed per ordinem ad

sub

Q. IV. In quo consistat ratio formalis quantitatis?

545

substantiam, quam afficit, & cui inhaeret, tanquam entia-
ens: ergo ratio formalis quanti-
tatis non debet explicari in or-
dine ad se, sive per extensionem
suarum partium.

17 Respondeo negan-
do maiorem. Ad probationem
distinguo antecedens: non ex-
tendit partes substantiae, actua-
liter, concedo antecedens: ap-
titudinaliter, nego antecedens;
& distinguo consequens: ergo
non consistit in extensione par-
tium substantiae, ut actualiter
eas extendente, & afficiente,
concedo consequentiam: ut ap-
titudinaliter eas extendente, &
afficiente, nego consequentiam.
Quia nullum accidens consistit
in actuali inhaerentia substantiae,
sed in aptitudinali; unde sicut
albedo in accidentibus Eucha-
risticis actualiter non dealbat
substantiam panis, sed tantum
aptitudinaliter, ita quantitas
actualiter non extendit partes
substantiae, sed tantum aptitu-
dinaliter; unde colliges, quan-
tatem sic definiendam: quan-
titas est *accidens extensivum par-
tium substantiae in ordine ad se.*

18 Denique obijcies:
Extensio partium substantiae non
est effectus formalis quantitatis:
ergo in tali extensione non con-
sistit ratio formalis quantitatis.
Antecedens probatur primo:
substantia pro priori ad quanti-
tatem habet partes extensas; er-
go extensio partium non est ef-
fectus formalis quantitatis. An-

tecedens probatur: substantia
pro priori ad quantitatem ha-
bet partes non penetratas; sed
partes non penetratae sunt partes
extensae: ergo substantia pro
priori ad quantitatem habet
partes extensas. Vegetur: sub-
stantia pro priori ad quantitatem
habet partes unitas secundum
extremitates: ergo partes exten-
sas. Antecedens probatur: partes
unitae non se totis, sunt partes
unitae secundum extremitates;
sed substantia pro priori ad
quantitatem habet partes unitas
non se totis: ergo habet partes
unitas secundum extremitates.
Minor patet quia imprimis ha-
bet partes; deinde illae parte:
non sunt separatae, sed unitae
non quidem se totis, cum pene-
tratae non sint: ergo habet par-
tes unitas secundum extremi-
tates.

19 Secundo probatur
primum, antecedens: casu, quo
Deus separaret substantiam, de-
struendo quantitatem, substan-
tia tunc existens sine quantitate
haberet suas partes extensas: er-
go extensio partium non est ef-
fectus formalis quantitatis. An-
tecedens probatur primo: quia
in illo casu, destructa quantita-
te, substantia haberet suas par-
tes e modo, quo illas habebat
sub quantitate; sed sub quantita-
te illas habebat extensas: ergo
destructa quantitate haberet
partes extensas. Secundo: quia
non haberet in illo casu partes
penetratas, & ad unum pun-
ctum

etiam redactas: ergo haberet partes extensas.

20 Hoc argumentum plures inter AA. excitavit opiniones. Imprimis enim propter illud aliqui RR. asseruere, substantiam antecedenter ad quantitatem, siue quantitate sublata, habituram partes extensas nondum inter se, sed etiam in ordine ad locum. Alij vero, quoscit, & sequitur Izquierdo tom. 1. de Deo vno tract. 5. dist. 10. quest. 5. num. 354. quales sunt Oviedo, & Carleton, asserunt, sublata quantitate, substantiam indifferenter posse habere partes localiter extensas, siue localiter penetratas.

21 Sed hæc opinio sufficienter impugnata manet. Si enim substantia ante quantitatem, siue sublata quantitate nequit habere partes extensas in ordine ad se, ut probatum manet, minus poterit habere partes extensas in ordine ad locum, siue localiter. Deinde impugnatur specialiter: quia implicat substantiam sine quantitate habere longitudinem, latitudinem, & profunditatem; implicat etiam mensurari, esse æqualem, vel inæqualem, dividi, aut continuari, habere figuram, & colorem, & alia huiusmodi sine quantitate: sed si substantia, sublata quantitate, haberet partes localiter extensas, haberet etiam sine illa longitudinem, latitudinem, & profunditatem; ex quo ulterius sequitur, quod posset

mensurari, dividi, aut continuari, posset etiam habere figuram, colorem, & alia huiusmodi: ergo substantia sine quantitate, siue antecedenter ad illam nequit habere partes extensas. Minor patet: quia omnia illa sunt proprietates quantitatis, & speciales effectus illius.

22 Deinde prædictum argumentum, in fallor, movit Nominales antiquos, ut negarent quantitatem realiter distinctam à re quantam; asserunt enim, quantitatem substantiæ realiter non distinguí ab ipsa, sed substantiam per se, & formaliter esse quantam; unde negabant possibile, quod substantia existeret sine quantitate. Sed hic modus dicendi iam pridem exulavit ab scholis: Etenim in Sacramento Eucharistiæ existit quantitas panis absque substantia panis: ergo quantitas panis realiter distinguitur à substantia panis.

23 Respondent Nominales, quod in Sacramento Eucharistiæ non existit quantitas panis, sed solum quantitas cæterorum accidentium; asserunt enim, substantiam habere se cum identificatam suam specialem quantitatem, & similiter quodlibet accidens suam identificare quantitatem. Sed contra est: quia si quælibet entitas materialis, siue substantialis, siue accidentalis suam identificaret quantitatem, ut volunt Nominales, tot darentur quantitates in quolibet subiecto, quot dantur enti-

entitates materiales; unde daretur in pane v. g. quantitas materiæ primæ, quantitas formæ, quantitas coloris, quantitas odoris, & quantitates cæterorum accidentium, & modorū; sed hoc est impossibile: ergo sententia nominalium est falsa. Minor probatur: quia si tot quantitates darentur, omnes illæ naturaliter essent penetratæ localiter, cum omnes existant in eodem loco; sed plures quantitates non possunt naturaliter penetrari localiter: ergo impossibile est quod darentur tot quantitates in eodem subiecto. Urgetur: substantia, & accidentia existunt penetrata in eodem loco, accidentia enim non existunt in vno loco, & substantia in alio, ut est per se notum: ergo si substantia, & accidentia haberent speciales, & diversas quantitates, omnes illæ essent penetratæ in eodem loco, quod naturaliter esse impossibile omnes fatentur Philosophi. Maneat ergo certum dari quantitatem realiter distinctam à substantia, & à cæteris accidentibus, substantiamque per se non esse quantam, sed per talem quantitatem in illa receptam tanquam verum accidens; ac proinde posse Deum miraculose conservare substantiam materialem absque quantitate, sicut conservat in Eucharistia quantitatem absque substantia: si enim quantitas, cum accidens sit, magis dependet à substantia, quam substantia ab accidenti; & Deus, non

obstante prima dependentia, conservat quantitatem absque substantia, cur non poterit conservare substantiam sine quantitate.

24 Denique prædictum argumentum alios compulit AA. ut assererent, substantiam independentem à quantitate minime habere partes realiter distinctas, ex quibus aliqui ut sūt compluteenses in logica, & in lib. de generatione, & M. Parra, in præfati, qui pro se plures citant AA. tenaciter defendunt, substantiam dum est sub quantitate, non habere partes substantiæ distinctas, sed esse substantialiter simplicem, tanquam sub tota quantitate, & totam sub qualibet minutissima parte. Alij autem, ut sunt Ioannes à S. Thoma Flandria, & Araujo, asserunt, substantiam sub quantitate habere partes distinctas realiter, sed non pro priori ad quantitatem, sed formaliter per ipsam quantitatem. Hi AA. facile argumento relato respondent negando suppositum illius, quod, scilicet, substantia pro priori ad quantitatem habeat partes, aut illa sublata, unde nec illas habet penetratas, nec extensas, nec unitas, nec separatas, cum iuxta eos sit omnino simplex absque vlla distinctione partium. Quia tamen hæc sententia falsa nobis videtur, licet aliàs satis probabilis, ut præfati argumento veram adhibeamus responsionem, sequentem excito quæst.

QUESTIO V.

Verum substantia materialis habeat partes realiter distinctas independenter ab actuali quantitate?

DICO Igitur primo: Substantia sub quantitate habet partes realiter distinctas, & proinde non est tota sub tota quantitate, & tota sub qualibet parte. Probat^{ur} primo: In statua lignea v. g. substantia pedis realiter distinguitur a substantia capitis: ergo substantia illius ligni habet partes realiter distinctas. Antecedens probatur: 1^o, quæ possunt realiter separari, realiter distinguuntur: sed substantia pedis potest realiter separari a substantia capitis: ergo substantia pedis realiter distinguitur a substantia capitis.

2^o Distinguunt PP. Complutenses maiorem: ea, quæ possunt realiter separari, realiter distinguuntur potentialiter, sive in potentia, concedunt: actualiter, & formaliter, negant maiorem; asserunt enim, quod ex eo quod substantia capitis, & pedis separari possint, solum sequitur, quod possint distinguere, sive quod distinguantur distinctione potentiali, non autem sequitur quod actualiter distinguantur, hoc enim tantum sequitur ex eo, quod actualiter separantur.

3^o Sed contra hanc so-

lutionem obstat primo; quod prædicta distinctio potentialis noviter est inventa à PP. Complutensibus, & ad solam effugiendam vim huius argumenti excogitata. Secundo: quod omnia argumenta, quibus Philosophi probant distinctionem realem actualem inter extrema ex eo quod separari possint, totaliter corruunt: quod certe mirum esset, cum prædicta argumenta evidenter censeantur ab omnibus. Tertio, quod eadem ratione posset quilibet asserere, partes quantitatis realiter actualiter identificari, & tantum potentialiter esse distinctas, quod contrarij non admittunt.

4^o Sed quidquid sit de hoc, prædictam solutionem sic efficaciter impugno: Substantia pedis separata a substantia capitis est realiter formaliter distincta a substantia capitis: ergo ante separationem est etiam realiter formaliter ab illa distincta. Probo consequentiam, (nam antecedens conceditur a contrarijs:) substantia pedis separata est eadem realiter, quæ erat ante separationem; sed post separationem est realiter actualiter distincta a substantia capitis: ergo ante separationem est etiam realiter actualiter ab illa distincta. Maior patet: quia quando substantia pedis separatur a substantia capitis, non destruitur substantia pedis, quæ antea erat, & producit^{ur} alia de novo, sed tantum, quæ erat antea separatur;

tur, quod precipue fateri tenentur de materia prima, quæ minime destruitur, aut producitur per separationem, cum sit ingenerabilis, & incorruptibilis, æternaque à parte post: ergò substantia pedis separata est realitèr eadem, quæ erat ante separationem.

5 Confirmatur hoc syllogismo expositorio: Substantia pedis separata est realitèr actualitèr substantia pedis, quæ erat ante separationem; sed substantia pedis separata non est realitèr substantia capitis: ergò substantia pedis ante separationem non est realitèr actualitèr substantia capitis. Vergetur: substantia, quæ est realitèr substantia capitis non est eadem realitèr cum substantia, quæ non est realitèr substantia capitis, cum eadem realitèr substantia nõ possit esse realitèr substantia capitis, & non esse realitèr illam; sed substantia pedis antea unita est eadem realitèr cù substantia pedis iam separata: ergò implicat quod substantia pedis unita sit realitèr substantia capitis, & substantia pedis separata non sit realitèr substantia capitis.

6 Ex quo colliges, iuxta contrarios primo falsificari illud principium: *Quæ sunt eadem realitèr uni tertio, sunt eadem realitèr inter se*; nam cù substantia pedis coniuncta identificatur ipsa substantia pedis separata, itemque substantia capitis; & tamèn substantia pedis separata, & substantia capitis realitèr inter se distinguuntur. Secundo etiam falsi-

fificari, aliud principium *Ea, quorù unum identificatur cum tertio, & alterù distinguitur à tertio distinguuntur realitèr inter se*, quia iuxta ipsos substantia capitis realitèr distinguitur à substantia pedis separata, cum qua est eadem substantia pedis, quæ erat coniuncta; & tamèn substantia pedis unita, & substantia capitis non distinguuntur realitèr.

7 Infertur tertio, quod aqua continuata cù altera non maneat eadè, quæ erat antea. Pater; quia quod est realitèr aliud ab eo, quod erat antea, non est realitèr idè, quod erat antea, sed substantia aquæ, quæ manet post continuationem, est realitèr aliud ab eo, quod erat antea; ergò nõ manet realitèr eadem. Minor patet quia post continuationem est realitèr aqua cum qua continuatur, & ante continuationem id non erat. Ex quo ulterius sequeretur per continuationem, & discontinuationem substantias totalitèr destrui, & aliàs de novo produci; unde qui in Oceano guttam aquæ iniiceret, totam substantiam Oceani destrueret, & aliam de novo produceret, non enim remaneret eadè realitèr substantia Oceani post continuationem cum illa gutta, ac illa, quæ antea erat, imò tota quantitas Oceani periret; cum enim quantitas sit accidens, & substantia sit subiectum illius, destructa substantia Oceani, quæ erat antea, debet etiam destrui quantitas, quæ in illa recipiebatur; destructo enim

subiecto accidentium, accidentia naturaliter permanere non possunt.

8 Infertur quarto, totam aquam Oceani existere sub qualibet minutissima gutta, & simul totam sub toto Oceano, quod imprimis mirabilius videtur, quam corpus Christi existere sub tota hostia; & sub qualibet minutissima parte. Deinde ex illo sequitur, passerem ebibentem guttullam aquæ in Oceano, totam substantiam Oceani ebibere; quod sic probatur: Passer ebibens guttullam aquæ, bibit totam substantiam, quæ erat sub illa guttulla aquæ; sed sub illa guttulla aquæ erat tota substantia Oceani: ergo bibit totam substantiam Oceani.

9 Hæc & alia absurda inferre poteris ex contraria sententia recte perpensa Contra quam sic denique argumentor: quando ignis producit ignem illum sibi continuando, datur in illo igne, & substantia ignis producti, & substantia ignis producentis, realiter vna ab altera distincta: ergo in substantia materiali sub quantitate dantur partes realiter distinctæ. Antecedens prob. causa, & effectus realiter tales non possunt realiter identificari, sed debent realiter distinguere; sed substantia ignis producentis est realiter causa substantiæ ignis producti, & hæc est realiter effectus illius: ergo in illo igne datur substantia ignis producentis realiter distincta à

substantia ignis producti, & e contra. Confirmatur: ex eo quod inter Divinas personas vna sic producat, & altera producta, probant PP. evidentem distinctionem realem actualem vnius personæ ab alia; sed in substantia ignis relati reperitur substantia producat, & substantia producta: ergo evidentem sequitur in illo reperiri substantias realiter actualiter distinctas.

10 Obijciunt: ergo primo ex Div. Thom. qui quodlibet. 9. quæst. 4. art. 2. ait loquens de partibus materiæ: *Diversitas autem partium non potest intelligi in materia, non intellecta divisione, nec divisio non intellecta dimensione, quia substantia, quantitate sublata, remanet indivisibilis, ut dicitur 1. Physicorum.* Ergo iuxta Div. Thom. substantia, aut materia ex se non habet partes diversas, sed tota diversitas partium se tenet ex parte quantitatis. Sed respondeo negando consequentiam; quia dū D. Th. ait, quod nequit intelligi diversitas partium non intellecta divisione, dimensione, aut quantitate, non est intelligendus, ita ut diversitas partium formaliter proveniat à quantitate, vel dimensione, sed ita, quod talis diversitas non possit intelligi, nisi per ordinem ad quantitatem, & dimensionem, sive per connotationem ad illam, quia videlicet substantia materialis non habet partes distinctas, separabiles, aut divisibiles,

les, nisi quatenus radicatur diver-
sas partes quantitatis: sicut enim
non potest intelligi causa, non
intellecto effectu, nec natura,
non intellecta operatione, quia
causa est talis per ordinem ad
effectum, & natura per ordinem
ad operationem, quam radi-
cat; ita similiter nequit intel-
ligi materia cum diversitate
partium, non intellecta quanti-
tate, quia materia non constat
partibus, nisi quatenus radicatur
partes quantitatis, non vero
quia ipsam multitudinem par-
tium accipiat à quantitate. Cū
autem dicitur quod *substantia*,
sublata quantitate, manet indivi-
sibilis, debet intelligi sublata
quantitate radicali, sive subla-
ta formali ut connotata, sublata
inquam non reali separatione,
nam hoc pacto separari non po-
test quantitas radicalis, sed sepa-
ratione intentionali, id est, nega-
ta, aut non intellecta, quo sensu
loquitur D. Thom.

11. Secundo obijciunt
Complutenses ex D. Th. 3. part.
quæst. 76. art. 3. in corpore,
vbi sic ait: *Manifestum est an-*
tem quod natura substantie tota
est sub qualibet parte dimensio-
num sub quibus continetur, sicut sub
qualibet parte aeris est tota natu-
ra aeris, & sub qualibet parte pa-
nis est tota natura panis. Et postea
subiungit, quod ad huius simili-
tudinem est corpus Christi in Eu-
charistia sub tota quantitate pa-
nis, & sub qualibet parte. Ergo
substantia sub quantitate est tota

sub tota, & tota sub qualibet
parte, & consequenter non ha-
bebit partes realiter distinctas.
Respondeo distinguendo conle-
quens: ergo substantia sub quan-
titate est tota sub qualibet par-
te, tota, inquam, quoad essentiã
mataphysicã specificè sumptam,
consequenter quoad naturam, &
entitatẽ physicã realiter consi-
deratam, nego consequenter. Itaque cū
D. Th. ait, totam naturam pa-
nis esse sub qualibet parte quan-
tatis, & similiter de tota na-
tura aeris, loquitur de tota na-
tura quoad prædicata essentia-
lia & specifica, quia, videlicet,
cuilibet parti substantie conve-
niunt omnia prædicata essentia-
lia & specifica panis, eo modo,
quo dicimus in quolibet indivi-
duo reperiri totam naturam ho-
minis, non quidem quoad omnes,
eius individuationes, sed quoad
prædicata specifica; quod quidem
explicavit D. Th. dum opusc. de
natura materie cap. 5. ait: *To-*
ta forma ignis secundum totali-
tatem sue essentie est in quali-
bet parte materie, cum tota diffi-
nitio ignis cuilibet eius parti con-
veniat. In hoc ergo sensu intel-
ligendus est Div. Thom. loco
nobis obiecto.

12. Dico secundo: *Substan-*
tia antecedenter ad quantitatem
habet suas partes realiter distin-
ctas, ac proinde earum distinctio
non est effectus formalis quanti-
tatis. Probatum primo auctori-
tate Angelici Præcepti. qui 1. 2.
quæst. 17. art. 4. in corp. ait:

Totum in genere substantiæ compo-
situm ex suis partibus, vel integra-
libus, vel essentialibus, est unum
simpliciter. Ergo iuxta D. Thom.
datur totum in genere substan-
tiæ compositum ex partibus in-
tegralibus: ergo etiã dantur par-
tes integrales in genere substan-
tiæ. Tunc sic; sed quod datur in
genere substantiæ, datur antecede-
nter ad accidentia, & conse-
quenter ante quantitatem: ergo
antecedenter ad quantitatem da-
tur totum in genere substantiæ
compositum ex partibus integra-
libus, & dantur partes integrales
substantiæ inter se distinctæ.

13 Deinde probatur ratione:
Antecedenter ad quantitatem sub-
stantiæ pedis non est realiter sub-
stantiæ capitis, sed quod non est
realiter aliud, realiter distingui-
tur ab illo: ergo antecedenter ad
quantitatem substantiæ pedis rea-
liter distinguitur à substantiæ ca-
pitis. Maior probatur: antecede-
ter ad quantitatem substantiæ pe-
dis non identificatur realiter cū
substantiæ capitis, cum in eodem
instanti reali pro posteriori reali-
ter distinguantur; sed quod non
identificatur realiter cum alio,
non est realiter illud: ergo substā-
tiæ pedis antecedenter ad quan-
titem, non est realiter substan-
tiæ capitis. Explicatur: ea, quæ an-
tecedenter ad quantitatem reali-
ter existunt, & realiter non iden-
tificantur, realiter distinguuntur
ante quantitatem; sed antecede-
ter ad quantitatem realiter exi-
stunt substantiæ pedis, & substantiæ

capitis; & antecedenter ad illam
realiter non identificantur: ergo
antecedenter ad illam, realiter di-
stinguuntur. Minor quoad secun-
dam partem patet; quia quæ semel
realiter identificantur, nunquam
possunt separari, & distingui, ut
iam probavimus; sed substantiæ
pedis, & substantiæ capitis pos-
sunt realiter separari, & realiter
distingui: ergo nunquam realiter
identificantur.

14 Dices: antecedenter ad quan-
titem dari partes substantiæ, scili-
cet, substantiæ capitis, & substan-
tiæ pedis; ceterum pro illo priori
nec realiter distingui, nec realiter
identificari, sed ab utroque præ-
cindere, & postea per quantita-
tem constitui formaliter inter se
distinctas. Sed contra: quia iuxta
omnes ferè metaphysicos, duo
realiter distingui, nihil aliud est,
quam ea realiter existere, &
vnum non esse realiter aliud: duo
autem identificari est, ea realiter
existere, & vnum esse realiter
aliud; sed implicat quod pro
priori ad quantitatem, pro quo
realiter existunt substantiæ pe-
dis, & substantiæ capitis, nec sub-
stantiæ capitis sit realiter, nec
non sit realiter substantiæ pedis:
ergo implicat quod anteceden-
ter ad quantitatem substantiæ
pedis, & substantiæ capitis nec
realiter identificentur, nec rea-
liter distinguantur. Minor patet
ex illo principio: *Quodlibet est,
vel non est.*

15 Vergetur: Hæ sunt proposi-
tiones cōtradictoriæ; *Substantiæ
pedis*

pedis antecedenter ad quantita-
tem est realiter substantia capi-
tis: substantia pedis antecedenter
ad quantitatem non est realiter
substantia capitis: ergo altera ex
illis debet esse vera, non enim
possunt duæ contradictoriae esse
simul falsæ. Tunc sic: si prima
est vera, antecedenter ad quan-
tita-tem identificatur realiter
substantia pedis cum substantia
capitis, quia vnum esse reali-
ter aliud, est realiter identifica-
ri cum illo. Si est vera secunda:
substantia pedis realiter distin-
guitur à substantia capitis ante
quantitatem, quia vnum non
esse realiter aliud, est realiter ab
illo distingui: ergo vnum e duo-
bus tenentur fieri contrarij,
aut substantiam pedis realiter
identificari, aut realiter distin-
gui à substantia capitis antece-
dentèr ad quantitatem, & non
possunt ab utroque præscindere.

16 Confirmantur dicta:
Substantia capitis non consti-
tuitur formaliter in suo esse per
quantitatem, cum realiter ab il-
la sit distincta: ergo nec distin-
guitur realiter à substantia pe-
dis per quantitatem formaliter,
& consequenter distinctio utrius-
que non erit effectus formalis
quantitatis. Probo consequen-
tiam: idem est constitutum
cuiuslibet rei, & distinctivum
ipsius ab altera: ergo per idem
constituitur res in suo esse, & di-
stinguitur à qualibet altera, &
consequentèr si substantia pedis
non constituitur in suo esse per

quantitatem, nec per illam realiter
distinguitur à substantia capitis.
17 Denique probatur
conclusio: Si Deus, ut potest
miraculose, separaret substan-
tiam, & illam conservaret sine
quantitate, partes substantiæ
manerent realiter distinctæ: era-
gò distinctio realis partium non
est effectus formalis quantita-
tis. Antecedens probatur: non
manerent realiter identificatæ
ergo manerent realiter distin-
ctæ. Antecedens probatur: quæ
semel realiter distinguuntur
non possunt realiter identifica-
ri, ut dicebamus quæst. præce-
denti: sed partes substantiæ dum
erant sub quantitate realiter di-
stinguebantur: ergo sublata quan-
titate realiter non manent iden-
tificatæ.

Soluntur argumenta.

18 **R**ESTAT Ergo sol-
vere argumentum
ultimum præcedentis quæstio-
nis, occasione cuius præsentem
excitavimus quæstionem. Ad il-
lud ergo, nego antecedens. Ad
primam probationem, nego an-
tecedens. Ad cuius probationem,
distinguo maiore: substantia pro-
piori ad quantitatem habet partes
non penetratas, præcisive, conc-
mai, non penetratas repugnãter,
nego mai. & distingo min. eo-
dè modo, negoque consequen-
tiam. Itaque partes substantiæ
pro priori ad quantitatem, nec sunt
formaliter penetratæ, nec sunt
formaliter extensæ quia tam

formalis extensio, quam formalis penetratio sunt accidens substantiæ; substantia autem ante quantitatem nullum accidens habet; unde possunt dici non penetratæ præcisive, quatenus præcludunt à penetratione; non autem possunt dici non penetratæ repugnantèr, quia nullam habent repugnantiam, aut impedimentum penetrationis, hoc enim in sola extensione consistit, quæ fit per quantitatem.

19 Ad confirmationem, nego antecedens. Ad eius probationem, concessa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, dico, quod substantia ante quantitatem habet partes unitas se totis, non quidem immediate inter se, sed mediate in tertio, quatenus omnes se totis sunt unitæ uni, & eidem existentia, per quam actuantur, & adunantur in genere substantiæ; per hanc autem unionem non penetrantur; penetratio enim petit, quod partes uniantur inter se immediate se totis, non autem sufficit quod se totis uniantur cum tertio, alias enim omnes partes materiæ primæ anima sub rationali penetrarentur inter se, cum se totis uniantur animæ rationali indivisibili.

20 Ad secundam probationem primi antecedentis nego antecedens. Ad cuius primam probationem, distinguo maiorem: haberet suas partes eo modo, quo illas habebat sub

quantitate; pro priori ad quantitatem, omitto maiorem: eo modo, quo illas habebat formalitèr per quantitatem, nego mai. & distincta minori eodem modo, nego conseq. quia in illo casu, quo Deus miraculose conservaet substantiam sine quantitate, non haberet eas eo modo, quo antea erant per quantitatem ob rationem dictam; posset tamen illas habere eo modo, quo illas habebat pro priori ad quantitatem, scilicet, unitas totalitèr in tertio, videlicet, uni existentia, ex quo non sequitur illas habere penetratas, ut dictum est. Ad secundam omisso antecedenti, nego consequentiam; quia partes possunt esse unitæ se totis uni tertio præcise, quin sint penetratæ, & ad unum punctum redactæ. Omissi quod illæ partes in prædicto casu non essent penetratæ, quia revera essent prout vellet Deus, possent enim miraculose à Deo penetrari tam inter se, quam localitèr, vel relinqui in eo statu, quem habebant pro priori ad quantitatem, scilicet, unitæ uni, & eidem existentia, cum qua facerent unum per se in genere substantiæ.

21 Sed contra replicant primo RR. Societatis: in prædicto casu partes substantiæ remanerent in loco: ergo vel omnes essent in eadem parte loci, & sic manerent penetratæ localitèr, vel quælibet maneret in parte loci sibi correspondente, & sic manerent extensæ: ergo vel essent penetratæ, vel extensæ.

Ita. Prima consequentia patet; quia non est excogitabilis alius modus essendi partes in loco. Antecedens etiam patet; quia partes debebant existere alicubi: ergo in loco; alias enim nullibi existerent. Respondeo omisso antecedenti, apud Thomistas falso; ut videbimus in 4. phisic. concedendo consequentiam quoad primam partem; quia videlicet casu, quo ille partes manerent sine quantitate in loco, omnes esset in unico, & indivisibili loco ratione presentiae supernaturalis, & miraculose, quam Deus in illo casu miraculoso produceret; non autem possent manere in loco, ita ut quaelibet pars corresponderet cuilibet parti loci, quia haec presentia est effectus proprius, & formalis quantitatis, & absque illa minime reperiri valet.

22. Secundo replicabis: illae partes ante quantitatem constituunt unum ens per se; sed nisi immediate inter se uniantur, non possunt id facere: ergo partes substantiae ante quantitatem uniantur immediate inter se, & non tantum uni tertio. Min. prob. si non uniantur immediate, inter se, non possunt existere per eandem existentiam; sed quae non existunt per eandem existentiam, non constituunt unum ens per se, ergo. Mai. probatur: ideo duae formae substantiales non possunt existere per eandem existentiam, quia inter se immediate non possunt uniri; ergo si partes substan-

tiae proprii ad quantitatem non uniantur immediate inter se, non possunt existere per eandem existentiam. Confirmatur ex partibus, quae non comparantur ad invicem tanquam actus, & potentia, non potest fieri unum ens per se; sed partes integrales substantiae non comparantur tanquam actus & potentia: ergo ex illis non potest fieri unum ens per se.

23. Respondeo, concessa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem; distinguo maiorem: si non uniantur immediate inter se nec formaliter, nec radicaliter, conc. maiorem: si non uniantur immediate inter se formaliter, & uniantur radicaliter, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam, vel distinguo consequens eodem modo. Ad probationem maioris, distinguo causalem distinctione relata; ideo enim duae formae substantiales non possunt existere per eandem existentiam, quia nec formaliter inter se uniri possunt, nec radicaliter, quatenus non radicant unionem immediatam inter se ipsas, imo tali unioni repugnant. At vero partes substantiae ante quantitatem, licet formaliter inter se non uniantur immediate per continuationem; quia continuatio est propria quantitatis; tamen radicaliter sunt unites, & continuatae, quatenus radicant quantitatem utrique parti communem, & continuam, ratione cuius

exigunt continuari, & hoc sufficit ut possint existere per eandem existentiam.

24 Sed urgebis: Partes inter se formaliter non unitz, sunt inter se formaliter separatæ; sed per nos partes substantiæ inter se non sunt formaliter unitz ante quantitatem: ergo ante illam sunt formaliter separatæ inter se; sed ex partibus inter se formaliter separatæ nõ potest fieri unum per se; nec possunt per eandem existentiam existere: ergo. Respondeo negando maiorem, vel illam distinguendo: sunt inter se formaliter separatæ positive, & immediatè, nego maioreta; negative tantum, concedo maiorem, & minorem, & distinguo consequens in eodem sensu; quia formalis, & immediata unio, aut separatio partium integralium inter se idem est, & continuatio, aut discontinuatio; quæ minimè potest intelligi ante quantitatem. Unde partes integrales propriæ ad quantitatem; nec sunt formaliter, & immediatè inter se continuatæ; aut unitz; nec formaliter discontinuæ, aut separatæ positive loquendo; possunt autem dici negative discontinuæ, & separatæ, quatenus præscindunt pro illo priori ab unione, & conservatione, quæ tantum provenit formalitèr à quantitate.

25 Ad confirmationem, distinguo maiorem: Si comparentur in ordine ad unum tertium per modum potentia, vel actus; nego maiorem; si nec ad

tertium comparentur per modum potentia, vel actus, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo; nego consequentiam; quia non requiritur ut aliqua partes componant unum per se; quod immediatè inter se comparentur per modum actus, & potentia, sed sufficit quod omnes comparentur ad tertium per modum actus, aut per modum potentia; unde ex omnibus partibus materiæ primæ sub anima rationali fit unum per se, quia comparantur ad formam per modum potentia.

26 Sed dices: Partes aquæ ex se sunt indifferentes, ut existant sub una quantitate continua, vel sub pluribus discontinuis: ergo non magis radicant unam quantitatem eas continuantem, quam plures eas discontinuantes: ergo non sunt potius radicalitèr unitz, quam radicalitèr separatæ; ergo non possunt existere per unicam existentiam. Patet consequentia; quia ut existant per unicam existentiam, requiritur per nos saltem quod sint radicalitèr unitz, & continuatæ. Respondeo concessa prima, & secunda consequentia; negando tertiam. Ad cuius probationem, dico, quod partes aquæ ex se continent radicalitèr quantitatem continua ipsi communiem, & continent etiam radicalitèr quantitates discontinuas, & distinctas cuiuslibet parti speciales. Prout continent radicalitèr unicam quantitatem ipsi

ipsis communem, & continuam petunt univiam existentiam; & prout continent quantitates diversas, & speciales, exigunt diversas existentias; ad agens autem pertinet, attentis praevisis dispositionibus, dare partibus materialibus univiam existentiam, prout radicaliter praecontinentibus quantitate continuam, vel existentias diversas, prout continentibus quantitates discontinuas, ut explicabimus in lib. de gener.

27. **Replicabis pro Complutensibus:** Duae substantiae materiales inter se distinguuntur individualiter, per quantitatem formaliter: ergo similiter duae partes eiusdem substantiae. Antecedens probatur: quia individuatione sumitur a quantitate. Urgetur: omnis distinctio provenit ab actu; sed in materia prima ex se ante quantitatem nullus est actus: ergo nec distinctio partium. Maior est Philosoph. qui 7. Metaph. text. 49. ait: *Actus est, qui distinguit.* Respondeo negando maiorem; alias enim sine quantitate non possent dari substantiae materiales distinctae adhuc miraculose. Ad eius probationem, distinguo antecedens: individuatione sumitur a quantitate, tanquam a forma, nego antecedens: a quantitate, hoc est, per ordinem ad quantitatem, omitto antecedens. Itaque substantiae materiales se ipsis individuuntur, & distinguuntur, prout ex se radi-

cant diversas numero quantitates, non autem formaliter individuuntur per quantitatem. Ad confirmationem, distinguo maiorem: omnis distinctio provenit ab actu, vel ab ordine ad actum; concedo maiorem: semper ab actu formaliter, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequenter. Sicut enim materia coelestis ex se distinguitur a materia sublunari, non quia ex se habeat aliquem actum, sed quia ex se dicit ordinem ad actum distinctum, scilicet, ad formam incorruptibilem, & sublunaris ad corruptibilem; ita similiter materia ex se habet partes distinctas, quia ex se dicit ordinem ad quantitatem divisibilem.

28. **Argues ultimo:** Si substantia ex se haberet partes distinctas, illi conveniret definitio quantitatis tradita a Philosoph. hoc est absurdum: ergo substantia ex se non habet partes distinctas. Maior probatur: quia Philosoph. definit quantitatem per divisibilitatem; sed si substantia ex se haberet partes distinctas, ex se esset divisibilis: ergo illi conveniret definitio quantitatis tradita a Philosoph. Respondeo negando maiorem. Ad probationem distinguo maiorem: Philosoph. definit quantitatem per divisibilitatem naturalem, concedo maiorem; per divisibilitatem miraculosam, & supernaturalem, nego maiorem, & distincta minori eodem modo, nego

nego consequentiam ; quia cum Philosoph. definit quantum per hoc quod sit *divisibile in ea, quae in sunt, &c.* Loquitur de divisibili per agens naturale, sive naturaliter, non autem de divisibili miraculose, & per divinam potentiam. Substantia autem sine quantitate, licet sit divisibilis miraculose per divinam potentiam, non tamen naturaliter ab agente creato, quia ad hoc est necessaria quantitas, agens enim creatum non operatur immediate in substantiam, sed mediante quantitate, quae per prius terminat actionem eius, ad differentiam Dei, qui immediate omnia pertingit.

29 Ex dictis colliges, partes substantiae materialis ante quantitatem non uniri immediate inter se modo aliquo substantiali, nec divisibili, nec indivisibili. Primo, quia nec ununtur immediate inter se penes extremitates tantum, ut faterentur, qui talem modum substantialem propugnant, quia alias per talem modum substantialem essent formaliter extensa ante quantitatem, siquidem esset pars extra partem. Deinde nec ununtur immediate se totis ; ergo. Probo hanc minorem, quia si modo illo substantiali essent immediate uniae se totis, essent substantialiter penetratae : hoc est falsum : ergo. Minor probatur, quia si essent substantialiter penetratae id etiam haberent, sive ante, sive post

quantitatem, quia quod habent partes substantialiter, non amittunt per quantitatem supervenientem non enim substantialiter variantur per adventum accidentis ; sed falsum est, quod post quantitatem partes substantiae sint substantialiter penetratae, alias enim pes meus esset substantialiter penetratus de facto cum manu mea ; ergo.

30 Secundo ; quia si ille modus esset indivisibilis medianus inter partem, & partem, implicat in terminis, quod partes illas uniret se totis, indivisibile enim medium inter partem, & partem divisibilem implicat quod partes attingat nisi tantum penes extremitates. Et rursus ; quia ut modus ille indivisibilis formaliter attingeret immediate partes divisibiles secundum se totas, oportebat quod esset actualior ipsis partibus, si quidem esset simplicior, hoc enim modo anima indivisibilis immediate attingit partes materiae divisibilis, & unica existentia indivisibilis actualiter attingit partes divisibiles, quia actualior, & consequenter simplicior partibus ipsis : sed modus ille substantialis inter partem, & partem substantiae materialis, non esset actualior ipsis, quia non actualiter attingeret ipsas, cum non faceret compositionem cum illis essentialiter ex actu, & potentia, sed esset aequaliter potentialis cum ipsis in ordine ad formam, & existentiam ; ergo non posset

Q. V. Vtrum substantia materialis habeat partes, &c.

posset vnire partes se totis.

31 Si autem ille modus ponatur divisibilis, restat explicari qualiter partes eius vniuntur ante quantitatem. Si alio modo substantiali, tabibimus in infinitum, quia eadem manebit difficultas de secundo, tertio, & ceteris modis. Si vero immediate per se ipsas vniuntur; imprimis hoc est impossibile, quia partes ille non sunt essentialiter vnite per modum actus & potentie, sed integraliter, & per accidens, vnio autem integralis partium implicat quod illis conveniat essentialiter, & per se. Deinde si partes illius modi per se ipsas vniuntur integraliter, nulla omnino ratione probari poterit, partes substantie indigere modo superaddito, ut immediate vniantur; quia partes illius modi aequae materiales sunt, aequae per accidens comparantur ad invicem, aequae integraliter concurrunt, ac partes substantie materialis; ergo si partes illius modi se ipsis immediate vniuntur integraliter, id poterit dici de partibus substantie; ac per consequens superfluum erit ille modus. Nec solvitur difficultas, si dicatur, partes illius modi esse rationem formalem sui, & ceterarum. Contra enim est: quia difficultas est, quo modo cum sint aequaliter materiales, aequaliter separabiles, aequaliter integrantes, possint esse ratio formalis vniendi se ipsas; cum tamen partes substan-

tie in nihilo differentes non possint esse ratio formalis vniendi se ipsas immediate. Dicere autem hoc provenire ex dispositione Conditoris, qui voluit partes illius modi vniiri immediate per se, non vero partes substantie, est pro libito discurre; si namque non est maior ratio vnus, quam alterius, vnde scimus quod Deus aliter de partibus illius modi, quam de partibus substantie disposuerit. Deinde quia Deus supplere nequit defectum rationis formali; si ergo tam partes illius modi, quam partes substantie aequae egent ulteriori ratione vniendi, vel aequae non egent; ergo vel Deus vtrisque superaddit rationem vniendi, vel neutris, Deus enim in rationibus formalibus non dispensat.

QUESTIO VI.

Quotuplex sit quantitas?

QUANTITAS Ergo primo dividitur in continuam, & discretam. Quantitas continua est, cuius partes copulantur medio termino communi, v. g. linea, cuius partes vniuntur medio puncto hinc inde illas afficiente. Quantitas discreta est, cuius partes nullo termino communi copulantur, v. g. numerus, qui componitur ex unitatibus, quae inter se nullo medio vniuntur. Rursus quantitas continua dividitur

158
dicitur in permanentem, & successivam. Quantitas permanens est, cuius partes simul existunt, v. g. quantitas ligni. Quantitas successiva est, cuius partes non simul, sed una post aliam existunt, v. g. tempus.

2 Quantitas continua permanens dividitur in lineam, superficiem, & corpus. Linea est quantitas extensa penes longitudinem sine latitudine, & profunditate. Superficies est quantitas extensa penes latitudinem sine longitudine, & profunditate. Corpus est quantitas triplex dimensionis, id est extensa penes longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Quantitas successiva dividitur in motum, & tempus. Motus est actus entis in potentia, hoc est, via, & tendentia mobilis ab vno termino in alium, quorum primus dicitur terminus a quo, secundus dicitur terminus ad quem. Tempus definitur ab Aristotele. *numerus motus secundum prius, & posterius.* De his omnibus agemus in Physica.

3 Rursus quantitas discreta dividitur in numerum, & orationem. Numerus est multitudo numerata per vnum, vt sex homines. Vbi adverte, numerum aliam esse numerum numerantem, & aliam esse numerum numeratum. Numerus numerans est actus intellectus, quo res distinctas numeramus. Numerus numeratus, est ipsa multitudo numerata. Deinde

numerus numeratus, alius est numerus formalis, & alius materialis. Numerus formalis, est ipse numerus abstractus à materia supra quam cadit, v. g. senarius, quinarium, &c. Numerus materialis, est ipsa materia determinata, & numerata, vt sex homines, quinque vinas, &c.

4 Deinde oratio, quæ hinc sumitur pro qualibet multitudine syllabarum, ita definitur: *Est numerus syllabarum, & mensura durationis earum.* Vnde in oratione, quæ est species quantitatis discretæ, attenditur numerus syllabarum, & etiam duratio earum penes longitudinem, aut brevitatem. Oratio autem hoc modo sumpta dividitur in pedes carminis, & tonos musicæ, rursusque pedes carminis in spondeum, iambum, pyrrhichium, dactylum, &c. vt docetur in lib. 5. Grammaticæ. Toni musicæ in diapente, diapasone, diatessaron, vt docetur ab arte musicæ. Nota tamen, quod circa relatas divisiones, plures quæstiones excitantur AA, an scilicet, sint essentialia, an univocæ, an generis in species, & alia huiusmodi, quæ omnia omitto, quia parum utilia, & nimis fastidiosa.

5 Solum ergo proprietates quantitatis breviter referam. Prima est non habere contrarium, quia videlicet non dantur quantitates, quarum vna alteram à subiecto expellat. Secunda est, non suscipere ma-

magis, & minus; non quia non datur vna quantitas maior alia; sed quia non datur quantitas, quæ sit magis quantitas, quam alia. Tertia est, quod ab ea res dicantur æquales, vel inæquales, quod iuxta Arist. est maxime proprium quantitatis. Quarta, quod sit divisibilis in partes eiusdem rationis. Quinta, quod sit mensura substantiæ, & alterius quantitatis. Sexta, quod sit finita, vel infinita. Septima, quod sit longa, vel brevis, profunda, vel lata. Et denique quod sit gravis, vel levis, aspera, vel lenis, densa, vel rara, diaphana, vel opaca, &c. Et hæc de prædicamento quantitatis.

QVÆSTIO VII.

Quid, & quotuplex sit qualitas?

AD E O Difficilis est qualitatis definitio, ut quilibet pro suo eaptu specialiter illius essentiam describere conetur, quia nullus talem potuit invenire definitionem, quæ cæteris non displiceat, suasque patiatur difficultates; ideo tres adhibeam qualitatis definitiones, quas melius declarare qualitatis essentiam iudicavi: prima est Philosoph. secunda D. Thom. tertia meliorum ex modernis.

1 Arist. ergo sic qualitatem definiit: *Qualitas est, qua quales esse dicimur.* Sed plures moderni, quorum mos est

antiquorum Philosophorum sententias contemnere, suasque de novo intromittere, definitionem Arist. carpunt; primo, quia exponit ignotum per æquè ignotum, æquè enim videtur ignota qualitas, & quale. Sed negatur assumptum; nam semper concretum est nobis notius, & clarius quam abstractum; clarius enim nobis videtur sapiens, quam sapientia, & iustus, quam iustitia, &c. Secundo eam despiciunt, quia Philosoph. postea definiit quale in concreto per qualitatem in abstracto, dicendo: *Qualia sunt, quæ denominative ab his dicuntur*, scilicet, à qualitatibus: ergo commisit circulum vitiosum definiendo qualitatem per quale, rursusque quale per qualitatem;

3 Respondeo negando consequentiam; quia Philosoph. postquam egit de qualitate, illius essentiam varie explicando, iam reddita clarior qualitatis essentia, per illam definiit quale; non est autem circulus vitiosus definire rem ignotam per notiores, & postquam res ignota reddita est clarior, per illam definire rem, quæ antea erat notior.

Tercio illam impugnant; quia, scilicet, definire qualitatem per quale in concreto, æquè liceret definire quantitatem per quantum in concreto, dicendo: *Quantitas est, qua quantos esse dicimur: Actio est, qua agentes esse dicimur, & sic de alijs præ-*

dica-

dicamentis; hoc non licet: ergo nec illud. Respondeo negando maiorem; quia in quantitate, & cæteris prædicamentis inveniuntur prædicata specialia, per quæ definiti possunt; at verò cum qualitas propter sui specialem difficultatem maxime sit nobis obscura, & ignota, ideò Philosoph. recurrit in illius definitione ad concretum quale, dicendo: *qualitas est, qua quales esse dicimur.*

4 Secunda definitio qualitatis est D. Thom. qui 1. part. quæst. 28. art. 2. sic illam definit: *qualitas est dispositio substantiæ, quæ definitio optima est: etenim dispositio est accidens, quo res bene, vel male se habet, debitè, vel indebitè iuxta propriam naturam.* Vnde dicere, quod qualitas est dispositio substantiæ, idem est, ac dicere, quod est accidens, quo substantia bene, vel male se habet conformiter ad sui naturam.

5 Tertia definitio hoc modo se habet: *Qualitas est accidens absolutum consequens formam.* Hæc etiam definitio est bona; etenim per ly *accidens* convenit qualitas cum omnibus accidentibus, & per ly *absolutum* differt ab omnibus, excepta quantitate; quia cætera omnia sunt respectiva ad aliquid extrinsecum, vel prædicamentaliter, vel transcendentaliter. A quantitate tamen differt per ly *consequens formam*; etenim quantitas semper sequitur ad mate-

riam; ideò enim res est quanta, quia constat materia; at verò qualitas non sequitur ad materiam, cum etiam inveniatur in formis spiritualibus; scilicet, in Angelis, sed sequitur ad formam, omnis enim forma, ex eo quod forma est, est capax qualitatum.

6 Sed argues: Etiam figura sequitur ad materiam, cum inveniri non possit, nisi in rebus materia constantibus; & tamen est qualitas; ergo male definitur qualitas per consequi ad formam. Item: lux aeris, & gratia in anima sunt qualitates; & tamen, nec lux consequitur ad aerem, cum in illo non radicetur, nec gratia ad animam, cum anima non sit radix gratiæ; ergo male definitur qualitas per consequi formam. Respondeo negando maiorem; quia licet forma, aut figura prærequirat quantitatem, & materiam, nõ tamen sequitur ad illam sicut quantitas, sed tantum sequitur ad formam; vnde iuxta diversitatem formarum, sequuntur figure diversæ, licet materia sit eadem; at verò quantitas est eadem semper propter uniformitatem materiæ, licet formæ sint diversæ. Ad secundam, dico, quod licet lux non sequatur ad formam aeris, nec gratia ad animam, tamen capacitas animæ ad gratiam, & aeris ad lucem illis convenit, quia formæ sunt, & ad rationem formæ subsequitur.

Dividitur qualitas.

NATURA Qualitatis melius per divisionem, quam per definitionem innotescit, quare

Philosophi dividit qualitatem in quatuor species, quarum prima est habitus, & dispositio. Secunda potentia, & impotentia. Tertia passio, & passibilis qualitas. Quarta forma, & figura. Hæc divisio, ut recta communiter acceptatur ab omnibus. *Habitus ergo sic definitur: Est qualitas difficile mobilis à subiecto, per quam subiectum bene, vel male se habet. Dispositio autem sic definitur: Est qualitas facile mobilis à subiecto, per quam subiectum bene, vel male se habet.*

8 Pro cuius intelligentia nota, quod esse facile, vel difficile mobile à subiecto, potest accidere dupliciter, scilicet, vel per se, vel per accidens. Illud est facile mobile per se à subiecto, quod ex natura sua petit cito transire, & parum durare. Illud autem est per se difficile mobile à subiecto, quod ex natura sua petit permanere, & diu durare in subiecto. Deinde illud dicitur per accidens difficile mobile à subiecto, quod licet ex natura sua petat parum durare, tamen ab aliqua causa extrinseca conservatur diu ne pereat. Illud autem dicitur per accidens facile mobile à subiecto, quod licet ex natura sua petat multum durare, tamen,

vel propter indispositionem subiecti, vel propter causam extrinsecam cito transit, & destruitur. Vbi nota, quod quando aliqua qualitas per se est difficile mobilis, & per accidens facile mobilis à subiecto, dicitur quod habet modum dispositionis, licet revera sit habitus; e contra autem quando aliquid est facile mobile per se, per accidens autem fit difficile mobile à subiecto, tunc revera est dispositio, habet tamen modum habitus.

Secunda species qualitatis est potentia, quæ in præfenti sumitur pro potentia physica ad actum realiter distinctum, non autem pro potentia obiectiva; & logica ad existendum. Potentia ergo sic sumpta definitur: *Qualitas per se primo ordinata ad actionem, & passionem.* Sed dices: etiam habitum per se primo ordinari ad actionem: ergo definitio potentie convenit habitui, & consequenter non est bona. Respondeo negando antecedens, primo, quia sanitas, & infirmitas quando immobiliter adhærent subiecto sunt habitus; & tamen operativi non sunt, nec ordinantur ad operationem, idemque de gratia habituali, quæ absque dubio est habitus, & tamen per se primo non ordinatur ad operandum. Secundo; quia habitus in hoc distinguitur à potentia, quod potentia per se primo ordinatur ad absolute operandum, sive ad actionem absolute sumptam;

ram, præcindendo à modo agendi, sive male, sive bene, sive difficiliter, sive faciliter; habitus verò per se primo non ordinatur ad simpliciter, & absolute operandum, sed ad modum operationis, scilicet, ad rectè, vel male operandum; unde vitia, & virtutes sunt habitus, quia vitia ordinantur ad male, virtutes verò ad rectè operandum; intellectus verò est potentia, & simul voluntas, quia absolute ordinantur ad operandum cum indifferentia ad rectam, vel pravam operationem. Ex his colliges, virtutes supernaturales esse habitus, & non potentias, quia ordinantur ad rectè operandum, quanvis dent posse simpliciter. Itemque colliges characterè impressum in anima esse potentiam, quia datur ad recipiendum, vel operandum bene, vel male cum indifferentia; baptizatus enim ratione characteris potest recipere ordines rectè, vel prave; itemque ordinatus potest illas exercere bene, vel male.

10 Quod si inquiras: quænam sint potentia passivæ ad hanc speciem qualitatis pertinentes? Respondeo non esse substantiam prout receptivam accidentium, quia substantia per se primo non ordinatur ad receptionem accidentium, sed ad sui existentiam: ergo potentia per se primo ordinata ad passionem, sive receptionem, non est substantia; sunt igitur illæ

qualitates, quæ per se primo ordinantur ad recipiendum, ut character, qui per se primo ordinatur ad ordines recipiendos, & diaphanum, quod per se primo ordinatur ad recipiendas species intentionales colorum, & alia huiusmodi.

12 Tertia species qualitatis est passio, & passibilis qualitas. Passio in præsentia non sumitur pro qualibet receptione formæ ab agente extrinseco, sed pro receptione formæ nocivæ, & disconvenientis subiecto, per quam amittit formam sibi convenientem, & commodam. Unde receptio sapientis non dicitur passio prout sumitur in præsentia, sed tantum receptio infirmitatis. Definitur autem hoc modo: Passio est qualitas sensibilis, causata ex alteratione. Vbi nota passibilem qualitatem tantum differre à passione in eo, quod passio est qualitas cito transiens, relicta ex alteratione, ut rubor in maxillis ex verecundia ortus, & ita brevis. Passibilis qualitas verò dicitur illa, quæ diu permanet, relicta ex alteratione, ut diuturnus color pallidus ex metu aliquo relictus.

17 Quarta species qualitatis est forma, sive figura, quæ in præsentia sic definitur: Est qualitas resultans ex terminatione quantitatis, v. g. figura circuli, quæ resultat ex eo quod quantitas, undique terminetur, per unicam lineam sphericam, & circularem; & figura quadrati, quæ

Quest. VIII. Quid & quoduplex sit relatio?

quæ resultat ex eo, quod quanti-
tas terminetur per quatuor li-
neas rectas mutuo se contin-
gentes;

13 Restat ut proprietates
qualitatis assignemus. Prima er-
gò est habere contrarium; dan-
tur enim qualitates contrarias;
ut calor & frigus, nigrum, & al-
bum, quæ in eodem genere ma-
ximè distant, & ab eodem subie-
cto mutuo se expellunt. Secun-
da est, recipere magis & minus,
quæ solum convenit qualitati-
bus, quæ possunt incendi, & re-
mitti, ut calor, à quo subiectum
potest dici magis, & minus ca-
lidum. Tertia est, quod à quali-
tate dicuntur res similes, aut dissi-
miles; quia sicut à quantitate di-
cuntur æquales, aut inæquales;
ita à qualitate similes, aut dissi-
miles.

QUESTIO VIII.

Quid & quoduplex sit relatio?

RELATIO in tota sui
latitudine nihil
aliud est, quam habitudo, vel or-
do unius ad aliud. Dividitur pri-
ma sui divisione in creatam, &
increatam. Increata est, quæ in-
ter personas infinitas versatur,
ut relationes Paternitatis, & Fi-
liationis in divinis. Creata est,
quæ fundatur in creatura, divi-
diturque in prædicamentalem,
& transcendentallem. Prædica-
mentalis est, cuius totum suum esse
est ad aliud se habere; sive quæ
respicit terminum, ut purum

terminum, v. g. relatio similitu-
dinis inter duos parietes. Rela-
tio transcendentalis est, quæ res-
picit terminum, ut ab illo aliqua
ratione dependens, ut effectus
respicit causam, accidens subie-
ctum, actus obiectum, &c.

Quia tamen difficiliter à pluribus percipitur, &
obscurè explicatur discrimen
inter relationem transcendentem,
& prædicamentalem. Nota
primo, eas primo differre in eo,
quod prædicamentalis est purus
respectus, ita ut nihil aliud for-
malitè faciat, quam respectu
terminum, & referre funda-
mentum ad illud, quod patet;
ita ex definitione Arist. asser-
tari; quod relatio prædica-
mentalis est: *Calor totum esse est
ad aliud se habere.* Tum etiam
quia relationes prædicamenta-
les nihil aliud sunt, quam mu-
tua, vel non mutua correspon-
dentia partium univèrsi inter
se, ratione cuius totius univèrsi
si resultat admirabilis pulchri-
tudo; quæ quidem correspon-
dentia nullum alium præstat ef-
fectum, nisi reddere partes mu-
tuo se respicientes, & inter se
relatas, & ordinatas. E contra
verò relatio transcendentalis
non est purus respectus, sed
ad terminum tendit; aliquod
exercitium speciale exhibendo
erga ipsum, vel causalitatis, vel
dependentiæ, &c. v. g. unio unien-
do respicit extrinsecam, causa cau-
sando, actio agendo, visio viden-
do, &c.

3 Differunt secundo in eo, quod relativa prædicamentalia sunt simul natura, & cognitione. Sunt simul cognitione, quia non petit cognosci unum prius, quam aliud, sed simul absque ordine prioris, aut posterioris. Sunt etiam simul natura, quia neutrum naturaliter præcedit aliud, nec est causa alterius, nec villo modo ratio à priori alterius, sed vtrumque simul, & purè comitanter existunt, vt duo similia. Relativa verò transcendentalia, nec sunt simul cognitione, quia sæpè alterum petit prius cognosci, vt obiectum prius quam potentia, & actio vt prior suo termino. Nec sunt simul natura, quia semper alterum est aliquo modo prior altero, vel ratio à priori alterius, sicut causa, & effectus, materia, & forma, actus & obiectum. Hinc oritur aliud discrimen, quod, scilicet, relatio transcendentalis ex suo genere non exigit existentiam sui termini; vnde cognitio, volitio, & alia, non requirunt existentiam sui obiecti; at vero relatio prædicamentalis ex suo genere petit existentiam termini, vnde nequit dari, nisi inter extrema coexistentia.

4 Deinde relatio prædicamentalis dividitur in relationem secundum esse, & relationem secundum dici. Relatio secundum esse est, cuius esse consistit formaliter in respectu, vt paternitas, & similitudo. Re-

latio secundum dici est, cuius esse non consistit formaliter in respectu, non tamen potest explicari sine respectu, & comparisone ad aliud. Ex quo inferes, illud dici relativum secundum dici, quod quanvis verum in absoluto consistat, aut in respectu aliquo transcendentali, nequit explicari, nisi per ordinem, & respectum ad aliud, vnde scientia, & habitus dicuntur à Div. Thom. relativa secundum dici, quia suum esse in respectu prædicamentali non consistit, nequit tamen nisi per illum explicari; similiterque intelligibile, amabile, audibile, &c. debent dici relativa secundum dici, quia licet in relatione non consistant, debent tamen cognosci, & explicari, intelligibile per ordinem ad intellectum, amabile per ordinem ad voluntatem, audibile per ordinem ad auditum, &c.

5 Relationes prædicamentales istorum dividuntur in tria genera. Relationes primi generis sunt illæ, quæ fundantur in convenientia, aut conformitate, vel e contra in diversitate, aut disconvenientia, vt similitudo, aut dissimilitudo, æqualitas, aut inæqualitas. Relationes secundi generis sunt, quæ fundantur in actione, & passione, vel in agente, & patiente, vt relatio patris ad filium, servi ad dominum, discipuli ad Magistrum. Relationes tertij generis sunt, quæ fundan-

tur supra mensuram, & mensurabile, non quoad quantitatem, sed quoad perfectionem, sicut relatio scientiæ ad obiectum, imaginis ad prototypum, sensus ad sensibile, quia scientiæ perfectio mensuratur per obiectum, & similiter perfectio imaginis per prototypum, nec non perfectio sensus per sensibile.

6. Rursus relatio dividitur in mutua, & non mutua. Mutua est, cui ex parte termini correspondet alia relatio, ut similitudo, & paternitas. Non mutua est, cui ex parte termini non correspondet alia relatio, ut relatio scientiæ ad obiectum, & relatio dependentiæ creaturarum à Deo. Relatio mutua subdividitur in relationem æquiparantiæ, & in relationem disquiparantiæ. Relatio æquiparantiæ est, cui ex parte termini similis correspondet relatio, ut relatio similitudinis, cui ex parte termini correspondet etiam relatio alia similitudinis. Relatio disquiparantiæ est illa, cui ex parte termini correspondet dissimilis relatio, ut relatio paternitatis, cui ex parte termini correspondet non relatio paternitatis, sed relatio filiationis. Hæc sufficiant dicta pro brevi noticia relationis; sed restat quæstiones satis difficiles, quæ circa illam excitari solent, enodare,

quare sit,

(o)

QVÆSTIO IX.

Verum dentur relationes reales, & prædicamentales, & in quo consistant?

AVREOLVS Avicenna, & Averroes negaverunt dari à parte rei veras, & reales relationes prædicamentales, quibus ex parte adherent plures RR. qui existimant, relationes nihil aliud esse præter denominationes extrinsecas desumptas ab entitatibus absolutis, vel respectus rationis ab intellectu confictos; & alij, qui iudicant, relationes prædicamentales formalitèr consistere in motivo sufficienti ex parte rerum, ut intellectus comparet unam alteri. Contra quos omnes sit:

Nostra conclusio.

DICO Igitur: Dantur ex parte obiecti relationes reales prædicamentales. Est communis Philosophorum, & Theologorum sententia, imò docetur à SS. PP. præcipue ab Agust. & D. Thoma pluribus in locis, & à pluribus reputatur de fide. Probaturque ratione: relatio paternitatis in creaturis est prædicamentalis, sed datur ex parte obiecti in creaturis Relatio realis paternitatis: ergò datur relatio realis prædicamentalis ex parte obiecti. Maior est certa: quia relatio pa-

Na a

ccc

ternitatis respicit filium per modum puri termini, nullum exercitium erga ipsum exhibendo; licet enim fundetur in generatione, qua ipsum causavit, tamen per relationem paternitatis pater non causat filium, cum post filium genitum talis relatio permaneat. Deinde probatur minor: in divinis datur relatio realis Paternitatis, quia Pater generat Filium; sed etiam in creatis pater verè, & realitèr generat filium: ergo etiam in creatis datur relatio paternitatis. Urgetur: quodlibet prædicatum divinum potest à creaturis finite, & limitate participari; sed relatio Paternitatis est prædicatum divinum: ergo potest à creaturis participari; quare ergo non dabitur inter patrem creatum, & eius filium?

3. Secundo probatur conclusio: Similitudo, & dissimilitudo, æqualitas, & inæqualitas sunt relationes prædicamentales; sed hæ relationes dantur à parte rei: ergo dantur à parte rei relationes prædicamentales, & consequenter reales. Minor probatur: quia à parte rei unum simile verè, & realitèr est alteri simile, sicut unum album alteri albo, & etiam una una à parte rei est æqualis alteri unæ: ergo à parte rei datur similitudo, & dissimilitudo, æqualitas, & inæqualitas.

4. Sed dices: Æqualitatem, & inæqualitatem, &c. non consistere formalitèr in aliqua rela-

tione, sed tantum esse relativa fundamentalitèr, quatenus præbent intellectui fundamentum; ut unum comparet alteri. Sed contra: in eo consistit æqualitas formalitèr ex suo conceptu obiectivo, quod intellectus concipit ex parte obiecti, dum concipit æqualitatem; sed dum intellectus concipit æqualitatem, concipit ex parte obiecti relationem unius ad aliud extremum: ergo æqualitas formalitèr ex suo conceptu obiectivo consistit in relatione unius extremi ad aliud. Sed à parte rei datur formalitèr æqualitas: ergo & relatio unius ad aliud.

Respondebis: Quod dum intellectus concipit æqualitatem extremorum, non concipit ex parte obiecti relationem, sed tantum ex parte actus, & ex modo tendendi cognoscit comparative extrema, quæ sunt ex parte obiecti omnino absoluta. Sed contra hanc solutionem imprimis militat ea, quæ diximus tract. 1. quæst. 5. à num. 15. & quæ diximus tract. 3. quæst. 11. à num. 32. ibi enim late probavimus, cognitionem comparativam extremorum repræsentare semper relationem ex parte obiecti, & non posse attingere extrema comparative, quin in illis relationem repræsentet; sed iuxta adversarios dum intellectus cognoscit æqualitatem, cognoscit extrema comparative: ergo repræsentat ex parte obiecti relationem in ipsis.

6. Deinde impugnatur: Quia
æqua-

Quest. IX. Vtrum dentur relationes reales, &c.

æqualitas nequit concipi, quin ex parte obiecti concipiatur proportio; sed proportio est formaliter ordo unius ad aliud: ergo nequit concipi æqualitas quin concipiatur ex parte obiecti ordo unius ad aliud, & consequenter relatio. Secundo: plus concipit, qui concipit similitudinē duorum alborū, quam qui absolute, & sine comparatione cognoscit duo alba; sed nihil aliud datur, quod possit concipi præter duo alba, nisi relatio unius ad aliud: ergo concipit relationem unius ad aliud.

7. Dices iterum: quod dum concipitur æqualitas, concipitur ex parte obiecti relatio, sed non relatio, quæ sit realis, sed relatio, quæ sit rationis. Sed contra: dum concipitur æqualitas, concipitur relatio, in qua æqualitas formaliter consistit; sed æqualitas non consistit formaliter in respectu rationis: ergo dum concipitur æqualitas, non concipitur respectus, aut relatio rationis, sed relatio realis. Minor probatur: quod datur à parte rei & ante operationem intellectus, non consistit formaliter in respectu rationis, hic enim non datur à parte rei; sed æqualitas duarum quantitarum, v.g. datur à parte rei, & ante operationem intellectus: ergo non consistit formaliter in respectu rationis. Minor patet: quia ante operationem intellectus duæ quantitates palmares formaliter sunt æquales. Urgetur:

relatio realiter possibilis, dum relatio rationis, sed realis; relatio, quam intellectus concipit inter æqualia, est realiter possibilis: ergo non est rationis, sed realis. Minor probatur: quia illa relatio, ex suo conceptu obiectivo nullam contradictionem involvit, cum extrema sint realiter distincta, & habeant reale fundamentum relationis, vel assignent contrarij repugnantiam: ergo prædicta relatio est realiter possibilis.

8. Denique probatur conclusio: Admirabilis pulchritudo univèrsi est ens verum, & reale, ac proinde verè existens à parte rei; sed hæc pulchritudo formaliter consistit in relationibus prædicamentalibus: ergo relationes prædicamentales sunt verè entia realia à parte rei existentia. Maior evidens videtur: quis enim dicat pulchritudinem univèrsi esse ens rationis ab intellectu fictum? Minor verè probatur: pulchritudo univèrsi consistit in concordia, & discordia, rerum, in similitudine, & dissimilitudine, in æqualitate, & inæqualitate, convenientia, & disconvenientia, &c. Sed hæc omnia formaliter important relationes prædicamentales: ergo pulchritudo univèrsi formaliter consistit in relationibus prædicamentalibus. Minor patet: nam ea omnia formaliter important proportionem admirabilem univèrsi; sed proportio est ordo, seu relatio unius ad aliud: ergo ea

omnia important formaliter relationem.

Aliqua inferuntur ex dictis.

2 **E**X Dictis inferes primo contra paucos RR. Relationem prædicamentalem esse realem, non solum secundum conceptum in, in quo convenit cum omnibus accidentibus, sed etiam secundum ad, per quam differt ab illis. Probatum primo: quia in qualibet re conceptus communis, & differentialis realiter identificantur, nequitque vnum existere sine alio: ergo conceptus communis relationis, scilicet conceptus in, & conceptus differentialis ad realiter identificantur, nequitque vnus sine altero existere: ergo si primus est realis, etiam secundus; & si primus existit à parte rei, etiam secundus. Probatum secundo: quia concordia, & pulchritudo vniuersi importat formaliter relationem, non solum secundum conceptum in, sed etiam secundum conceptum ad; sed talis concordia, & pulchritudo datur à parte rei: ergo etiam ratio secundum conceptum ad, ergo est realis.

10 Sed obijcies: Ratio secundum conceptum ad non dicit ordinem ad existentiam; sed ens reale formaliter vt tale dicit ordinem ad existentiam: ergo ratio secundum conceptum ad non est ens reale. Maior probatur: quia existentia cu-

iuslibet accidentis est inhærentia in subiecto; sed ratio secundum conceptum ad non dicit ordinem ad subiectum: ergo nec ad existentiam. Min. patet, quia ratio non est ad subiectum, sed ad terminum.

11 Respondeo distinguendo maiorem: Ratio secundum conceptum ad non dicit explicitè ordinem ad existentiam; concedo maiorem: implicitè, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia, vt aliquid sit ens reale implicitè, sufficit, quod pro implicito dicat ordinem ad existentiam; ratio autem secundum conceptum ad non explicat, nec dicit explicitè realitatem, quia explicitè non est aliquid, sed ad aliquid; tantum ergo ratio secundum conceptum ad est ens reale implicitè, vnde sufficit, quod implicitè dicat ordinem ad existentiam; & hoc sufficit, quod etiam implicitè dicat ordinem ad subiectum, quod relationi negari non potest adhuc secundum conceptum ad, quia per illud afficit subiectum, illud ad terminum ordinando.

12 Instabis: Ratio secundum conceptum ad non est explicitè ens reale: ergo est explicitè ens rationis, cum inter vtrumque non detur medium. Nego consequentiam; quia licet reuera, & pro implicito non detur medium, tamen pro explicito bene potest aliquid præscindere à reali, & ra-

rationis, à possibili, & impossibili; sicuti omnes agnoscunt obiectum logicæ, dubitant tamen an sit reale, vel rationis, vnde pro explicito ab utroque præscindit: & etiam omnes apprehendunt substantiam supernaturalem; dubitant tamen an sit realis, vel rationis, an sit possibilis, vel impossibilis, vnde explicitè ab utroque præscindit; ita similiter relatio secundum conceptum ad explicitè præscindit à reali, & rationis, implicitè tamen potest esse realis, vel rationis.

13 Infertur secundo: *Relationem realem predicamentalem non consistere in aggregato ex entitatibus absolutis, aut in denominatione extrinseca ab eis desumpta.* Patet: quia entitates absolutæ, sive aggregatum ex illis præcise consistit in eo, quod datur unum album, v. g. & aliud album absolute sumptum, sed in eo, quod datur unum, & aliud album absolute sumptum, nulla formaliter explicatur relatio realis unius ad aliud: ergo relatio realis non consistit præcise in aggregato ex entitatibus absolutis. Confirmatur: qui negabant dari à parte rei relationes reales, negabant dari à parte rei id, in quo formaliter consistit relatio realis; si enim hoc non negabant, non negavissent relationes reales; sed isti non negabant dari à parte rei aggregatum ex entitatibus absolutis: ergo relatio realis aliquid est præter aggregatum ex entitatibus abso-

lutis, & consequenter non consistit præcise in tali aggregato.

14 Confirmatur secundo: *Nam ex opposito sequitur non dari à parte rei relationes reales; hoc est falsum, ut ostensum, manet, & contra AA. præfate modo constituentes relationem, qui non audent negare relationes reales; ergo. Sequela probatur: nam sequitur, nihil dari à parte rei præter entitates absolutas; sed hoc est formalissimè non dari à parte rei relationes reales: nec enim aliud dicebant, qui negabant relationes reales, nisi à parte rei nihil dari præter entitates rerum absolutas: ergo. Vnde huiusmodi AA. vocetenus tantum admittunt relationes reales, re ipsa tamen illas negant, siquidem aiunt, nihil dari à parte rei, in quo consistant præter aggregatum ex entitatibus absolutis, ac proinde nihil admittunt dari à parte rei præter entitates absolutas.*

15 Infertur tertio: *Relationem realem non consistere in motivo sufficienti ex parte rei, ut intellectus comparet unum extremum alteri.* Quia à parte rei datur sufficiens motivum, & fundamentum, ut intellectus comparet Deum ad creaturas, animal per modum generis ad rationale, & intellectum divinum per modum principij ad intellectionem; & tamen non datur relatio realis Dei ad creaturas, animalis ad rationale, nec intellectus divini ad intellectionem: ergo relatio realis non consistit in prædicto motivo.

Major patet; quia cum intellectus illa extrema comparat; illa comparat cum fundamento; & motivo ex parte rerum, non chimericè, & sine fundamento.

16. Denique inferes: *Relationem consistere formalitèr in respectu positivo intrinseco subiecto relato, cuius totum suum esse est ad aliud ordinare subiectum.* Patet ex dictis, & ex definitione relationis, etiam; quia in eo formalitèr consistit relatio, quod cognoscimus in obiecto, dum in illo relationem concipimus; sed dum concipimus relationem in vno albo, v.g. ad aliud, planè concipimus in illo respectum positivum, & intrinsecum, cuius totum suum esse est referre subiectum ad terminum: ergò in tali respectu formalitèr consistit relatio.

QUESTIO X:

Utrum relatio prædicamentalis realitèr distinguatur à fundamento, & termino.

PRO Fundamento relationis intelligimus illam rationem formalem, in qua fundatur relatio, v. g. fundamentum relationis paternitatis est ipsa generatio activa hominis, qua generavit filium, supra quam fundatur, quod pater sit formalitèr pater; itemque albedo vnius subiecti est fundamentum relationis similitudinis ad

alterum. Querimus ergò: utrum relatio, v. g. paternitas distinguatur realitèr à generatione, quæ est eius fundamentum, & à filio, qui est terminus; & utrum relatio similitudinis vnius albi ad aliud distinguatur realitèr ab utraque albedine; quorum vna fundat relationem, & altera illam terminat; idemque inquiremus de qualibet relatione prædicamentali. Unde sit.

Prima conclusio.

DICO Primo: *Relatio realitèr adæquate distinguitur à termino.* Est communis omnium Thomistarum, contra PP. Societatis, à quibus excipies Molinã, & Rubium, qui pro nobis stant. Probatur autem ratione: id, cuius totum, & adæquatum esse est aliud à termino, adæquate distinguitur à termino; sed totum esse relationis est aliud à termino: ergò distinguitur adæquate à termino. Minor probatur: terminus relationis est aliud à toto esse relationis: ergò totum esse relationis est aliud à termino. Antecedens probatur quia terminus relationis est id, ad quod est relatio; sed totum esse relationis est ad aliud: ergò terminus relationis est aliud à toto esse relationis. Min. patet; quia relatio sic definitur, à Philosoph. *cuius totum suum esse est in ordine ad aliud.*

Dices: Relationem constitui per fundamentum in recto,

recto, & per terminum in obliquo. Unde relatio sumpta inadæquate pro eo, quod dicit in recto, realiter distinguitur à termino; sumpta verò adæquate pro eo, quod importat tam in recto, quam in obliquo, non distinguitur à termino. Sed contra reddit argumentum factum: quia relatio adæquate sumpta est ad terminum in obliquo; sed relatio adæquate sumpta non est ad aliquod sui constitutum: ergo terminus relationis non est adhuc in obliquo constitutum relationis, & consequenter relatio adæquate sumpta distinguitur à termino. Minor probatur: relatio adæquate sumpta est ad aliud, & non ad se ipsam; sed si esset ad aliquod sui constitutum, esset ad se ipsam, & non ad aliud: ergo relatio adæquate sumpta non est ad aliquod sui constitutum.

4. **Confirmatur:** non est constitutum intrinsecum relationis, quod non includitur in conceptu obiectivo illius; sed terminus, adhuc sumptus in obliquo, non includitur in conceptu obiectivo relationis: ergo adhuc sumptus in obliquo, non est constitutum intrinsecum relationis. Minor probatur: quia si in conceptu obiectivo relationis includeretur terminus, relatio ex suo conceptu obiectivo non haberet terminum extra se ad quem referretur, ac per consequens referretur ad se ipsam,

ac supra se ipsam reflecteret, quod est contra essentialem conceptum relationis: ergo in conceptu obiectivo relationis non includitur terminus adhuc in obliquo.

Secunda conclusio

DICO Secundo: *Relatio predicamentalis realiter distinguitur à fundamento.* Est communis inter Authores præcedentes, & contra eos, qui præcedentem impugnant conclusionem. Probatu primo ex Div. Thom. qui 1. part. quest. 28. art. 2. ait: quod *in creatura, quod invenitur præter id, quod continetur sub significatione nominis relativi, est alia res; in Deo autem non est alia res: sed quod invenitur in creatura, præter id, quod continetur sub significatione nominis relativi, est fundamentum.* & id, quod continetur sub significatione nominis relativi, est ipsa relatio: ergo in creatura fundamentum relationis est alia res ab ipsa relatione, & consequenter relatio realiter distinguitur à fundamento.

6. **Secundo:** Plures relationes creature fundantur proxime in substantia, ut sunt relationes similitudinis specificæ inter Petrum, & Paulum, & relatio dissimilitudinis specificæ inter hominem, & equum; sed iuxta Div. Thom. quest. 8. de potent. art. 2. *Substantia crea-*

ta non potest identificare sibi relationem, quia est definita ad tale genus: ergo fundamentum relationis in creaturis non identificatur secum ipsam relationem, sed ab illa realiter distinguitur. Confirmatur: ideo iuxta D. Thom. substantia nequit identificare secum relationem, quando est creata, quia est definita ad tale genus distinctum à genere relationis; sed quodlibet fundamentum relationis prædicamentalis est definitum ad certum genus à genere relationis distinctum: ergo quodlibet fundamentum realiter distinguitur à relatione. Minor patet; quia fundamentum relationis, vel est substantia, vel quantitas, vel qualitas, vel actio, vel passio, &c. quæ omnia ad certum pertinent prædicamentum à relatione distinctum.

7 Denique probatur ex D. Thom. qui 4. contra gent. cap. 14. ait: *Relatio realiter substantia adveniens postremum, & imperfectissimum esse habet. Postremum quidem, quia non solum præexigit esse substantia, sed etiam esse aliorum accidentium ex quibus causatur relatio.* Sed accidentia, ex quibus causatur relatio, sunt fundamentum illius; ergo relatio præexigit esse sui fundamenti, & consequenter ab illo distinguitur. Et denique D. Thom. pluribus, vel omnibus in locis, in quibus loquitur de relatione reali prædicamentali, loquitur de illa tanquam de

verò accidenti à cæteris omnibus condistincto; pro quo vide repositorium aureum D. Thom. verbo *relatio*.

8 Deinde probatur ratione: Potest existere relatio deficiente fundamento proximo: ergo realiter ab illo distinguitur. Antecedens probatur: transacta generatione permanet relatio paternitatis; sed fundamentum proximum paternitatis est generatio: ergo deficiente fundamento proximo, potest permanere, & existere relatio.

9 Dices: Quod transacta generatione permanet relatio paternitatis quoad denominationem, non autem quoad entitatem, quia relatio paternitatis est denominatio extrinseca desumpta à generatione præterita. Sed contra: non potest permanere relatio quoad denominationem, si realiter entitative non existit: ergo si transacta generatione existit paternitas quoad denominationem, etiam existit quoad entitatem. Antecedens probatur: relationem permanere quoad denominationem, est illam de præsentis denominare subiectum realitè relatum ad filium, & patrem filij: sed nequit de præsentis relatio denominare subiectum realitè relatum ad filium, nisi de præsentis existat realitè entitative: ergo nequit permanere quoad denominationem, quin etiam permaneat quoad entitatem. Minor probatur; nequit for-

forma præbere suum effectum, siue denominationem formalem verè, & realitèr, quando verè, & realitèr non existit; unde albedo de præsentì non existens, nequit denominare subiectum de præsentì album; & actio de præsentì non existens, nequit denominare subiectum de præsentì agens; sed forma denominans subiectum realitèr relatum ad filium est relatio: ergò nequit denominare subiectum de præsentì relatum ad filium; si de præsentì realitèr entitativè non existit.

10. Confirmatur: quia forma denominans generantem est generatio; sed nequit homo denominari generans de præsentì à generatione iam præterita, & transacta: ergò si generatio esset forma denominans hominem realitèr patrem filij, siue relatum ad filium, non posset homo denominari de præsentì realitèr relatus ad filium; si de præsentì non existeret generatio: hoc est falsissimum: ergò forma denominans relatum, siue relatio, non consistit, nec est realitèr generatio, quæ fundamentum est, sed realitèr ab illa distinguitur.

11. Nec verum est, nec solvit argumentum dicere, quod relatio paternitatis est denominatio extrinseca. Non quidem est verum; quia omnis relatio ex suo conceptu est intrinseca subiecto relato, nec potest aliquid referri verè, & realitèr ad aliud, nisi per respectum sibi in-

trinsecum. Nec etiam solvit argumentum: quia adhuc denominatio extrinseca de præsentì nequit præstari, nisi à forma de præsentì realitèr existente. Etenim denominatio cogniti & extrinseca obiecto; & tamen obiectum nequit de præsentì denominari cognitum à cognitione de factò non existente: & denominatio agentis, iuxta adversarios, est extrinseca; & tamen nequit causa denominari agens de præsentì ab actione præterita: ergò denominatio realis de præsentì, adhuc extrinseca, nequit præstari à forma de præsentì non existente, seu præterita. Id amplius alibi confirmabitur.

12. Secundo probatur conclusio: Relatio unius albi ad aliud simile fundatur in albedine subiecti relati; & tamen existente albedine subiecti, potest deficere relatio similitudinis: ergò relatio similitudinis potest realitèr deficere, existente fundamento, & consequenter ab illo realitèr distinguitur. Minor probatur: deficiente termino relationis, deficit relatio; sed potest deficere terminus relationis similitudinis, existente albedine ex parte subiecti: ergò potest deficere relatio, existente albedine ex parte subiecti. Minor patet; quia deficiente omni albo, præter unum tantum, existeret albedo ex parte illius; & deficeret omnis terminus, ad quem relatione

ne

ne similitudinis referretur.
 13 Respondetis: quod
 deficiente termino relationis,
 deficit relatio ex parte subiecti
 quoad denominationem, non
 autem, quoad entitatem; quia
 entitas relationis est albedo
 subiecti; ceterum ut denomi-
 net, requiritur terminus tan-
 quam essentialiter connotatum;
 unde illo deficiente, deficit re-
 latio quoad denominationem,
 non quoad entitatem: sicut ob
 eandem rationem in nostra sen-
 tentia, mortuo secundo filio
 permanet relatio, qua pater ip-
 sum respiciebat, quoad entita-
 tem, non verò quoad denomi-
 nationem.

14 Sed contra sic in-
 surgo: Implicat quod existat re-
 latio prædicamentalis quoad
 entitatem, eius termino forma-
 li deficiente; ergò ruit solutio.
 Antecedens probatur: relatio
 prædicamentalis sumpta quoad
 entitatem, essentialiter conne-
 ctitur cum suo termino forma-
 li: ergò implicat quod existat,
 illo deficiente. Antecedens pro-
 batur, primo à paritate: quia non
 minus connectitur relatio præ-
 dicamentalis cum suo termino,
 quam relatio transcendentalis,
 v. g. actio, unio, intellectio,
 &c. cum suo, cum utraque à
 termino formali specificetur;
 sed relatio transcendentalis sum-
 pta quoad entitatem essentialiter
 connectitur cum suo termino:
 ergò etiam relatio prædicamen-
 talis entitative sumpta. Secun-

do: quia implicat quod existat
 relatio prædicamentalis quoad
 entitatem, quin denominet
 subiectum relatum; sed ut de-
 nominans subiectum relatum
 connectitur essentialiter cum
 termino: ergò etiam sumpta
 quoad entitatem. Maior proba-
 tur: implicat quod aliqua for-
 ma existat in subiecto, quin ei
 præbeat suum effectum forma-
 lem; & primariam denomi-
 nationem; unde repugnat albe-
 dinem existere in subiecto quoad
 entitatem; quin subiectum de-
 nominet album, & intellectio-
 nem in intellectu, quin illum
 denominet intelligentem; sed
 effectus formalis, sive denomi-
 natio: primaria relationis, est
 constituere subiectum relatum:
 ergò implicat, illam existere in
 subiecto entitative, quin illud
 denominet relatum. Confirma-
 tur: repugnat formam existere
 entitative in subiecto, quin
 subiectum denominetur habens
 talem formam: ergò implicat
 relationem existere in subiecto
 entitative, quin illud denomi-
 net habens relationem; sed
 idem est formaliter subiectum
 habens relationem, ac subie-
 ctum relatum; sicut idem est
 album, ac habens albedinem: er-
 gò nequit relatio existere in
 subiecto entitative, quin subie-
 ctum denominetur entitative
 relatum.

15 Nec paritas relatio-
 nis ad secundum filium, aliquid
 prodest: Etenim forma potest
 exi-

existere in subiecto, quin præ-
bet illi effectum formalem se-
cundarium: sicut quantitas exi-
stet in corpore Christi sub Sa-
cramento, & tamen ei non præ-
bet extensionem localem; nec
illud denominat localiter exten-
sum, quia videlicet extensio lo-
calis est effectus secundarius
quantitatis: & etiam gratia in
Christo Domino non consti-
tuit, nec denominat illum Fi-
lium Dei adoptivum, quia hoc
est effectus secundarius gratiæ;
veruntamen impossibile est,
quod forma existat in subiecto,
quin illi præbet suum effectum
formalem primum; unde
quantitas adhuc in Sacramento
denominat Christum quantum,
& gratia in Christo denominat
Christum gratum: in relatione
ergo paternitatis effectus for-
malis primarius est constitue-
re patrem relatum ad filium, il-
lum tamen denominare relatum
ad secundum filium, vel ad ter-
tium, vel ad alium determina-
te, non est effectus formalis, &
primarius relationis, sed secun-
dario, & de materiali se habet;
quia relatio paternitatis per se,
& essentialiter tantum respicit
filium, sive primum, sive se-
cundum, sive alium; unde po-
test quam optime existere rela-
tio paternitatis in subiecto, quin
eum denominet patrem secun-
di filij; implicat tamen, illam in
subiecto existere, quin subie-
ctum denominet relatum ad
terminum formalem.

16 Ex his patet im-
pugnata alia solutio solum in
terminis à precedenti distincta,
dicant enim: Quod relatio im-
portat in recto fundamentum,
& in obliquo terminum, unde
deficiente termino, deficit re-
latio quoad obliquum, & con-
notatum; quando autem forma
deficit quoad obliquum, &
connotatum, licet permaneat
quoad rectum, non præbet suam
denominationem.

17 Contra enim est:
Quia licet forma soleat indigere
aliquo extrinseco connotato ad
prestandum effectum, sive de-
nominationem secundariam; ta-
men effectum formalem prima-
rium per se ipsam essentialiter
præstat, nullo extrinseco expe-
ctato obliquo, aut connotato;
sed effectus formalis primarius
relationis est constituere subie-
ctum relatum: ergo relatio per
se ipsam, & essentialiter habet
præbere talem effectum, sive
constituere subiectum rela-
tum, nullo expectato extrin-
seco connotato. Urgetur: vel
deficiente termino, & con-
notato extrinseco, & perma-
nente fundamento, deficit rela-
tio sub conceptu speciali rela-
tionis, vel permanet sub specia-
li conceptu relationis? Si pri-
mum: ergo relatio sub concep-
tu speciali relationis realiter di-
stinguitur, & separatur à fun-
damento. Si secundum: vel de-
struenda est tota philosophia,
vel debet denominare subie-
ctum

etiam denominatione speciali relationis, hoc est relatum.

18. Denique probatur utraque præcedens conclusio: quia relatio similitudinis, v. g. inter duo alba est aliquid realiter præter fundamentum, & terminum; sed quod est realiter præter fundamentum, & terminum, est adæquate distinctum ab ipsis, quia quod est realiter præter duo, adæquate est distinctum à duobus: ergo relatio realis similitudinis adæquate distinguitur à fundamento, & termino. Maior probatur: quia fundamentum, & terminus prædictæ relationis nihil aliud sunt, quam albedines utriusque extremi; sed relatio illa aliquid est realiter præter albedines utriusque extremi: ergo aliquid est realiter præter fundamentum, & terminum. Probo minorem: quia relatio illa aliquid est præter entitates absolutas; sed albedines utriusque extremi sunt entitates absolutæ: ergo relatio illa est aliquid præter albedines utriusque extremi. Vel igitur negas maiorem, vel concedis? Si concedis, non est locus solutioni, quia minor est innegabilis, & consequenter argumentum convincit. Si negas: ergo re ipsa nihil admittis dari à parte rei præter albedines absolutas utriusque extremi. Sed hoc etiam admittentibus negantes relationes reales: ergo nihil plus admittis, quam illi admittentibus: ergo re-

tum negas, quod illi negabant: ergo negas relationes reales, quas illi negabant, quod iam reputatur absurdum.

19. Dices: Relationem esse aliquid præter albedines seorsim sumptas, quia importat inadæquate aliquid præter quamlibet; sed non esse præter albedines collective sumptas; & simul. Sed contra: quia qui negabant relationem realem, non negabant dari à parte rei albedinis simul, & collective existentes; cum hoc experientia visuali constet: solum ergo negabant aliquid relativum præter eas collective acceptas; hoc etiam tu negas; ergo cum ipsis negas relationes reales.

20. Dices secundo, relationem realem esse aliquid præter albedines simul sumptas, si ly præter dicat solum distinctionem rationis, quia relatio est formalitas relativa per rationem distincta ab utraque albedine simul, sed realiter identificata. Sed contra: formalitas vere relativa imprimis nequit realiter adhuc inadæquate identificari cum termino; nam formalitas realiter identificata cum fundamento, necessario distinguere debet realiter à termino, nisi velis, eandem formalitatem realiter identificari cum extremis realiter inter se distinctis. Deinde nec potest realiter identificari cum fundamento, seu cum albedine subiecti relati: ergo quit solutio. Minor hæc probatur

batur. primo: quia est separabilis realiter a fundamento, ut ostensum manet. Secundo: quia est formalitas diversi generis, & predicamenti; formalitates autem diversi generis, & predicamenti nequeunt identificari realiter. Tertio: quia solum est proprium Dei identificare lineam absolutam cum relativa: ergo non est admittendum in creatis. Ac demum: quia admissa formalitate relativa obiective per rationem distincta a fundamento, & termino, in ea instantur omnia argumenta contrariorum, ut illorum solutione constabit: ergo.

Solvuntur argamenta.

21 **O**BJICIUNT. Primo contrarij ex Arist. & D. Thom. qui saepe asserunt, ut videre poteris in RR. posse advenire relationem subiecto absque illius mutatione; sed quod realiter distinguitur a subiecto, nequit illi advenire absque reali illius mutatione: ergo relatio non distinguitur realiter a fundamento. Secundo: quia iuxta plerosque Philosophos ad relationem non datur per se motus; sed si esset forma realiter a subiecto, vel fundamento distincta, daretur ad illam per se motus: ergo idem, quod prius. Tertio: quia iuxta D. Thom. opulc. 48. tract. 5. cap. 2. *Similitudo sortis non est*

aliqua res alia ab ipse albedine; sed solum est ipsa albedo ut se habet ad albedinem Platon. ergo relatio similitudinis unius albedinis ad aliam non distinguitur ab utraque, sive a fundamento, & termino.

22 **R**espondeo primo instando argumentum. Fundamentum relationis, v. g. albedo nequit advenire subiecto absque illius mutatione; sed relatio potest advenire subiecto absque illius mutatione: ergo relatio realiter distinguitur a fundamento. Deinde distinguo maiorem: relatio potest advenire subiecto in ordine ad terminum primarium, & formalem absque illius mutatione; nego maiorem in ordine ad terminum materialem, & secundarium, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam; quia semel existens relatione in ordine ad terminum primarium, v. g. in ordine ad unum simile, relatio similitudinis potest per eandem relationem absque nova mutatione subiecti referri ad secundum, & tertium simile, hi enim sunt termini materiales, & secundarij. Vel tertio respondeo, quod potest relatio advenire subiecto absque illius mutatione, quae fiat per relationem sub conceptu speciali relationis, scilicet, sub conceptu *ad*, non vero quia mutetur subiectum per relationem quatenus accidens est, & sub conceptu *in*. Etenim ut D. Thom.

Thom.

Thom. ai quæst. 7. de potent. art. 9. ad 7. *Relatio aliud habet in quantum est relatio, & aliud in quantum est accidens, in quantum enim est accidens, habet quod sit in subiecto, & ita est aliquid inherens, licet non ex hoc ipso quod est relatio.* Unde relatio sub conceptu speciali relationis non explicat inherentiam in subiecto, ac proinde sub tali conceptu non immutat subiectum, bene verò sub conceptu communi accidentis, sub quo dicit inherentiam in subiecto.

23 Ad secundum etiam instando respondeo: quia ad albedinem, v. g. quæ fundamentum, & terminus est relationis, datur per se motus; & tamen iuxta Philosophos ad relationem non datur per se motus: ergo relatio distinguitur à fundamento, & termino. Deinde dico, quod ad relationem non datur per se motus, quia relatio non causatur per actionem ad ipsam primario terminatam, datur tamen ad illam motus per accidens, & ratione fundamenti, quia fit per actionem primario terminatam ad fundamentum; ex quo secundo, & per resultantiam sequitur relatio, quæ à fundamento est realiter distincta. Ad tertium dico, quod ibi D. Thom. ait, quod similitudo non est alia res ab albedine, hoc est, quod non distinguitur ab albedine tanquam res à re; hoc autem etiam nos fateamur, quia relatio non distingui-

tur distinctione absoluta à suo fundamento, sed tantum distinctione modali; scilicet, tanquam modus à re, cuius est modus.

24 Secundo obijcies: Nam eò relatio distingueretur à fundamento, quia existente fundamento, potest deficere denominatio relationis; sed hæc ratio est nulla: ergo. Minor probatur primo: quia licet existente solo fundamento, sæpè deficiat denominatio, existente tamen fundamento, & termino, implicat deficere talem denominationem: ergo prædicta ratio non probat, relationem distinguari adæquate à fundamento, & termino simul, & consequenter est nulla. Secundo: quia plures denominationes possunt deficere, etsi permaneat entitative forma, à qua proveniunt: ergo ex eo quod deficiat denominatio relationis, non probatur, quod deficiat relatio entitative sumpta; sive quoad entitatem. Antecedens probatur: tum in sententia probabiliter asserente, unionem esse entitative indistinctam à materia, & forma, in qua tamen potest, existente materia, & forma, deficere denominatio unitarum. Tum in actu libero Dei, qui deficit sæpè quoad denominationem, licet non deficiat quoad entitatem. Tum demum in ipsa relatione paternitatis, quæ deficit quoad denominationem referentis ad secundum

filium, licet daret eadem entitative in ordine ad primum; ergo.

25 Respondeo negando maiorem. Ad primam probationem, dico, quod nos per illam rationem solum probamus, relationem secundum formalitatem relativam ex parte subiecti distingui à fundamento, quod recte probatum manet supra. Relationem autem distingui etiam adæquate à termino, alia ratione probatum manet, sicut etiam distingui à fundamento, & termino simul sumptis, eo quod debet realiter esse aliquid præter entitates absolutas. Ad secundam distinguo antecedens: plures denominationes possunt deficere, existente forma entitative, si sint denominationes primariæ talis formæ, nego antecedens: si sint denominationes secundariæ, concedo antecedens. Cuius probatio solum id suadet. Nam in primis non admittimus, unionem esse indistinctam realiter ab extremis, nisi prius probetur, denominationem eius esse secundariam, & non primariam, quod tom. 2. examinabitur. Actus etiam liber Dei solum potest deficere quoad denominationem volentis in ordine ad creaturas, quæ est denominatio secundaria, non autem quoad denominationem amantis, & volentis divinam bonitatem, quæ est eius denominatio primaria. Ad denique

relatio ad secundum filium, per se primo solum denominat patrem ad filium relatum; quod autem sit ad hunc, vel alium filium est accidentale, & secundariam relationi paternitatis. Vnde nunquam probatur, posse deficere denominationem primariam alicuius formæ, quia deficiat forma entitative à subiecto.

26 Obijcies tertio: Relatio similitudinis inter duo alba non distinguitur ab albedine utriusque; sed talis relatio est predicamentalis: ergo relatio predicamentalis non distinguitur realiter à fundamento, & termino. Maior probatur: per hoc præcisè quod duo extrema habeant formalitèr albedinem, quolibet alio realiter superaddito secluso, illa duo extrema realiter sunt similia in albedine; sed similitudo in albedine est relatio similitudinis: ergo relatio similitudinis non distinguitur ab utraque albedine. Confirmatur: non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate; sed ut duo alba sint similia, non requiritur relatio realitèr distincta, & superaddita ad albedines utriusque; ergo talis relatio non datur. Minor probatur: per hoc præcisè quod album A habeat suam albedinem, nulla superaddita relatione, & similiter album B, suam albedinem habeat, album A est simile albo B: ergo ut duo alba sint similia, non requiritur relatio realitèr distincta, &

superaddita. Antecedens patet: quia per illud præcisè album A se habet sicut album B; sed hoc est album A esse simile albo B, ergò.

27 Respondeo negando maiorem. Ad eius probationem, distinguo maiorem: illa duo extrema sunt realitèr fundamentalitèr similia, concedo maiorem: sunt realitèr formalitèr similia, nego maiorem, & distinguo minorem: similitudo fundamentalis est relatio similitudinis, nego minorem: similitudo formalis, concedo minorem, & nego consequentiam. Et eodem modo ad confirmationem; concessa maiori, nego minorem de similitudine formali. Et ad probationem distinguo antecedens: album A est simile fundamentalitèr albo B, concedo antecedens: formalitèr, nego antecedens. Ad cuius probationem distinguo maiorem: album A se habet sicut album B, *ly sicut* sumpto formalitèr, nego maiorem; sumpto fundamentalitèr, concedo maiorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Itaque duo alba, si considerentur proprii antequam illis superaddatur relatio realis, sive casu; quo Deus auferret ab illis realem relationem, non sunt, nec essent realitèr formalitèr similia, sed tantum fundamentalitèr, quatenus ex se fundant relationem similitudinis; quia similitudo formalis, & relati-

va consistit in respectu intrinseco subiecti, ipsi superaddito. Ex quo inferitur, quod in illo casu vnum album se haberet à parte rei, vt aliud; fundamentalitèr tantum; hoc est, *ly* vnde denotante, seu significante fundamentum relationis, & comparationis; non autem denotante ipsam realem similitudinem; & relationem. Et quidem hoc argumentum etiam probat, relationem non esse formalitatem relativam adhuc ratione distinctam ab entitatibus absolutis; quia etiam præcisa tali formalitate relativa, entitates absolutæ se habent vna sicut alia, quia vna est albedo sicut alia.

28 Sed replicabis primo: Illa duo alba, ablato omni respectu realitèr distincto, essent formalitèr similia in carentia talis respectus: ergò datur similitudo formalis absque respectu superaddito. Antecedens probatur: similitudo fundamentalis sic similitudo formalis per adventum novi respectus; sed similitudo in carentia omnis respectus non fieret formalis, sed potius destrueretur per adventum omnis respectus: ergò non essent fundamentalitèr similia in carentia omnis respectus. Confirmatur: in prædicto casu illa duo alba essent formalitèr similia in virtute fundandi relationem, cum vtrumque album eam virtutem participaret; ergò secluso omni respectu

pectu essent formaliter similia.
26 Respondeo, disti-
guendo maiorem: illa duo alba
essent formaliter similia per res-
pectum rationis in carencia om-
nis respectus, concedo antece-
dens: per respectum realem,
nego antecedens, & conse-
quentiam. Et ad probationem
antecedentis, dico, quod rela-
tio realis similitudinis semper
fundatur in ente positivo, &
realis in carencijs autem, quæ
tantum sunt entia rationis so-
lum potest fundari relatio ra-
tionis. Vnde illa duo alba post
comparationem intellectus es-
sent formaliter similia relatio-
ne rationis; at vero à parte rei,
& ante talem comparisonem,
essent fundamentaliter similia
per ordinem ad similitudinem
formalem rationis. Vnde illa si-
militudo fundamentalis non fie-
ret formalis per adventum rela-
tionis realis, vt bene probat ar-
gumentum, fieret tamen for-
malis per adventum relatio-
nis rationis. Ad confirmatio-
nem nego antecedens, quia vir-
tus fundandi relationem, non
distinguitur ab albedine; vnde
sicut non essent formaliter simi-
lia in albedine vsque dum adve-
niret realis respectus; ita non
essent formaliter similia in vir-
tute fundandi relationem. Nec
obstat, quod vtrumque al-
bum participet formaliter vir-
tutem fundandi, quia hoc est
participare formaliter funda-
mentum, non autem relatio-

nem, aut similitudinem forma-
lem.
30 Replicabis secun-
do: Homo, & equus, secluso
omni respectu superaddito, sunt
formaliter diversi; sed diver-
sitas formalis est relatio præ-
dicamentalis: ergo, secluso om-
ni respectu superaddito, datur
relatio predicamentalis. Maior
probatur: diversitas inter ho-
minem, & equum nihil aliud
est, quam eorum distinctio; sed
per suas entitates, secluso om-
ni respectu superaddito, homo,
& equus sunt formaliter distin-
cti: ergo diversi. Respondeo ne-
gando maiorem, de diversita-
te positive, & relative conside-
rata. Ad probationem nego ma-
iorem, quia diversitas positi-
ve, & relative considerata idem
est, ac dissimilitudo, quæ for-
maliter sumpta in relatione con-
sistit; at vero distinctio forma-
liter sumpta, non est idem, ac
dissimilitudo, cū Petrus, & Pau-
lus realiter formaliter distinguā-
tur in humanitate; & tamen in
illa non sunt dissimiles, vt con-
tra Scotum diximus tract. 3.
universalium quest. 3. nec di-
stinctio importat formaliter re-
lationem, sicut nec identitas,
quia sicut identitas consistit
in eo, quod aliquid sit aliud,
ita distinctio in eo, quod vnum
non sit aliud, quod nullam re-
lationem importat, sed tan-
tum entitates absolutas re-
rum. Et quidem hæc replica
etiam probat, superfluum esse
for-

formalitate[m] relativam obiective distinctam ab entitatibus absolutis; siquidem præsciendū à tali formalitate relativa, entitates absolute realiter distinguuntur, & realiter vna non est alia.

31 Obijcies quarto: Relatio paternitatis est formaliter similis alteri paternitati, absque relatione similitudinis utriusque paternitati superaddita: ergo vna albedo erit formaliter similis alteri, absque relatione similitudinis utriusque albedini superaddita. Antecedens patet: quia si relatio paternitatis esset similis per relationem superadditam, rursus ipsa relatio superaddita esset dissimilis relationi paternitatis per alteram relationem dissimilitudinis; rursusque ipsa relatio dissimilitudinis esset alteri similis per aliam relationem similitudinis; vnde fieret processus in infinitum. Consequentia verò probatur, primo à paternitate rationis: quia si potest relatio similitudinis fundata in duabus paternitatibus adæquate cum illis identificari, eum etiam relatio fundata in duobus albis, non poterit cum illis adæquate identificari? Secundo: quia casu, quo deficeret paternitas ex parte termini, adhuc existente paternitate, quæ erat fundamentum, deficeret relatio similitudinis; & tamen nihil deficeret realiter entitative ex parte fundamenti;

ergo similiter poterit deficere relatio similitudinis inter duo alba per solum defectum termini; licet nihil realiter entitative deficiat ex parte fundamenti. Ergo corrumpit secundum fundamentum nostræ opinionis.

32 Respondeo distinguendo antecedens: est formaliter similis absque omni relatione: superaddita tamen realis, quæ rationis; nego antecedens: absque relatione reali superaddita, concedo antecedens; & nego consequentiam. Ad cuius primam probationem, dico, quod relatio iuxta Div. Thom. 1. contrag. cap. 11. est debilissimæ, & minimæ entitatis; vnde non habet sufficientem activitatem, aut perfectionem; ut relationem aliam realem fundare possit: tantum ergo præbet intellectui fundamentum, ut relationem vnam comparet ad aliam per aliam tertiam relationem rationis; vnde quoties duæ relationes inter se referuntur, referuntur formaliter inter se per relationem rationis; at verò duæ albedines, cum sint qualitates reales per se sufficientes fundare reales relationes, referuntur inter se formaliter per relationes reales superadditas.

33 Ad secundam probationem, distinguo mai. Deficeret relatio similitudinis realis, nego maiorem: relatio similitudinis rationis, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam.

tiam. Itaque deficiente paternitate ex parte termini, deficeret relatio rationis inter utramque, quia iam intellectus non haberet terminum, ad quem compareret primam paternitatem, nulla tamen deficeret relatio realis, quia inter talia extrema propter suam debilissimam entitatem non datur. At vero inter duo alba datur relatio realis, unde deficiente termino, est necessarium, quod ex parte fundamenti deficiat ipsa realis relatio, quae cum termino erat essentialiter connexa, ac per consequens quod deficiat aliquid entitative verum, & reale à fundamento distinctum.

34 Ex quo colliges primo contra Monetam, & alios Thomistas, unam relationem non posse aliam relationem realem fundare. Tum; quia, ut recte probat argumentum, daretur processus in infinitum. Tum etiam; quia omnis relatio propter suam debilissimam entitatem, ut ait Div. Thom. loco citato, habet postremum, & imperfectissimum esse, quod esset falsum, si aliam relationem fundaret, quia iam relatio fundans non haberet postremum esse, cum posterius esset relatio fundata; Nec haberet imperfectissimum esse, quia imperfectior esset relatio fundata.

35 Colligis secundo contra alios RR. duas relationes paternitatis non identificari secundum relationem realem simili-

sudinis. Tum; quia licet illae sint relativae ad filios formaliter, una tamen per ordinem ad aliam absolute se habent, ac per consequens non possunt referri ad invicem, nisi relatione superaddita. Tum, quia relatio paternitatis non potest respicere aequae primo filium, & aliam paternitatem; repugnat enim unicam relationem per se, & essentialiter respicere duos terminos primarios diversi generis. Deinde non potest utrumque respicere ordine primarij, & secundarij; ergo nullo modo per se respicit, aut est relatio ad utrumque terminum. Minor probatur; quia inter paternitatem Pauli, cui sit similis paternitas Petri, & filium ipsius Petri non potest dari ordo primarij, & secundarij, cum omnino disparate se habeant, & absque omni ordine, & connectione; quis enim ordo dabitur inter me ipsum, & paternitatem patris, cui? Ergo non possunt respici ordine primarij, & secundarij. Ac demum quia si duae paternitates sunt similes relative per se ipsas; cum etiam duae albedines non erunt similes per se ipsas relative.

36 Dices esse disparem rationem, quia relationes paternitatis per se sunt de linea relativa, & ideo non egent relatione superaddita; ac albedines sunt absolutae, & ideo non possunt identificare relationem, quia sunt extra genus relativum.

Sed contra : quia paternitates non sunt de linea relativorum, quae fundantur in unitate ; sed solum de linea relativorum, quae fundantur in actione ; & tamen per vos possunt identificare relationem fundatam in unitate, id est, relationem similitudinis : ergo licet albedo non sit de linea relativa poterit identificare relationem. Consequenter probatur : quia non minor difficultas est, quod id, quod non est de tali linea relativa, identificet secum talem lineam relativam, quam quod id, quod absolute non est de linea relativa, identificet secum absolute relationem. Confirmatur : sicut genere differunt absolute, & relativum, ita genere differunt relatio similitudinis, & relatio paternitatis, cum sint relationes diversi generis ; sed quia absolute a relativo genere differunt, non potest illud secum identificare : ergo nec relatio paternitatis relationem similitudinis.

37 Fateor quidem, maiorem diversitatem esse inter relativum, & absolute, quam inter relativum unius generis, & relativum alterius, quia relativum & absolute differunt in genere supremo, relativa vero diversi generis differunt in genere intermedio, vel infimo, vel saltem in specie infima ; ceterum aequalis difficultas est in eo, quod ea, quae differunt genere inferiori, vel specie identificen-

tur realiter, quam in eo quod realiter identificentur, quae genere supremo differunt ; nulla enim ratio assignabitur pro uno, quae non militet pro alio : ergo pure voluntarie negatur identitas relativi cum absolute, si conceditur inter relativa diversi generis, vel speciei. Ac denique : quia omnia, quibus probamus, relationem debere distinguere a fundamento absolute, & quae probant debere distinguere a fundamento relativo, quando relatio fundata est specie distincta a relatione fundante ; nam tunc relatio fundata, scilicet relatio similitudinis, potest deficere quoad de nominationem primariam & specificam assimilandi, permanente relatione paternitatis, quae est fundamentum, siquidem, hac permanente, potest deficere terminus formalis similitudinis. Itemque relatio similitudinis est praeter relationem paternitatis, &c. ergo pure prohibito ponitur relatio similitudinis identificata cum fundamento relativo, & alias distincta a fundamento absolute.

38 Colliges tertio : Omnes relationes, quas concipimus in alijs relationibus fundatas, esse relationes rationis cum fundamento in re, ac per consequens extrema relativa a parte rei esse fundamentaliter similia, vel dissimilia, aut relata per ordinem ad relationem formalem relationis.

39 Objicies quinto : Plures qualitates existentes in re-

rum

rum natura sunt formaliter dissimiles gratiae supernaturalis; non per relationem realiter superadditam, & cum termino connexam: ergo salvatur relatio realis, quae non sit realiter superaddita fundamento, & cum termino connexa, sed eadem realiter cum fundamento, & termino. Minor probatur: qualitates naturales, v. g. vitia, quae sunt dissimilia gratiae, non referuntur, nec dissimulantur gratiae per relationem supernaturalem; sed si relatio, per quam dissimulantur, esset superaddita, & cum termino connexa, esset supernaturalis: ergo non dissimulantur per relationem superadditam, & cum termino connexam. Minor probatur: relatio connexa cum termino supernaturali, est supernaturalis; sed terminus illius dissimilitudinis esset gratia supernaturalis: ergo illa relatio cum suo termino connexa esset supernaturalis.

40 Respondeo, hoc argumentum potius probare contra adversarios, vitium esse supernaturale; quia iuxta ipsos vitium est realiter relatio realis dissimilitudinis cum gratia, cum sit fundamentum talis dissimilitudinis, & relatio identificetur realiter cum fundamento; sed relatio dissimilitudinis cum gratia est realiter connexa cum ipsa gratia; cum haec sit eius terminus: ergo etiam vitium erit connexum, & consequenter superna-

rale. Itaque pro omnibus respondeo, negando minorem. Ad eius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: terminus secundarius, & materialis illius dissimilitudinis esset gratia supernaturalis, concedo min. terminus formalis, & primarius, nego minorem, & consequentiam; quia relatio dissimilitudinis, sicut quaelibet alia, non habet connexionem cum suo termino materiali, sed tantum cum termino formali; terminus autem formalis relationis dissimilitudinis existens in vitio, v. g. non est gratia supernaturalis vitalis, haec enim tantum est terminus materialis, & secundarius; sed terminus formalis illius est qualitas specificè à vitio distincta sub ratione talis; unde illa relatio dissimilitudinis in vitio solum connectitur cum qualitate specificè distincta, non autem cum gratia determinate, siue cum alia determinata qualitate, hoc enim per accidens, & de materiali se habet.

41 Ex quo patet ad aliud argumentum ita fieri solitum: Si relatio esset entitas à fundamento distincta, per positionem novi termini resultaret in fundamento nova entitas realiter distincta; sed hoc est absurdum: ergo. Minor probatur: quia alias sequeretur, quod posito vno albo in India, in omnibus albis Hispaniae resultaret nova entitas distincta, & in ceteris partibus univ. quae de novo

referretur ad illum album; ex quo fieret univertum fore mundandum orbem; sed hoc est absurdissimum: ergo. Pater, inquã, distinguendo maiorem: ad positionem novi termini formalis, concedo maiorem: ad positionem novi termini materialis, nego maiorem, & minorem. Ad probationem dico, quod si de novo produceretur novum album in India, omnia alba, quæ erant in Hispania illud respicerent per eandem rationem similitudinis; per quam mutuo se respiciebant; ille enim terminus superadditus erat tantum diversus materialitèr à præcedentibus, unde non indigebat nova relatione, sed per relationem præ-existentm in omnibus albis Hispaniæ respici poterat. Idemque dico de cæteris partibus univertsi.

42. Sed dices: Demus unum tantum album esse in univertso, & hunc in Hispania, & de novo produci aliud in India; tunc casus album Hispaniæ de novo referretur ad album Indiæ; & tamen in albo Hispaniæ nulla produceretur relatio ab illo distincta: ergo potest album absque relatione superaddita, de novo referri ad terminum formalem. Minor patet; quia illa relatio non produceretur ab agente, quod produxit album Indiæ, quia erat maxime distans ab albo hispano, ac per consequens non poterat agere in illo; nec produceretur ab alia causa, quia non est

alsignabilis: ergo talis relatio superaddita non produceretur de novo. Respondeo negando minorem. Ad eius probationem dico, quod talis relatio produceretur à causa conservante album Hispaniæ ad exigentiam ipsius, quia album Hispaniæ exigat relationem sub conditione termini, unde posito termino, causa conservans iuxta illius exigentiam produceret relationem. Quæ doctrina latius patebit in Phisica.

QUESTIO XI.

Verum relatio prædicamentalis terminetur formalitèr ad relativum?

ILLE Est terminus, qui per se, & immediate illam determinat, ita ut inter illum, & relationem nihil mediet terminans ipsam relationem. Supponimus autem, relationem terminari ad absolutum saltèr mediate, & materialitèr, quia dum una albedo refertur ad aliam, abs audio albedo absoluta se tenens ex parte termini terminat mediate, vel immediate, formalitèr, aut materialitèr relationem similitudinis. Inquirimus ergo: utrum ipsa albedo absoluta ex parte termini sit immediatus, & formalis terminus, an vero terminus immediatus, & formalis sit ipsa correlatio similitudinis albedini superaddita ex par-

Q. XI. Vtrum relatio terminetur formaliter, &c.

te termini. Difficultas autem potest procedere vel de relationibus mutuis, quibus ex parte termini correspondet altera relatio realis, vel de relationibus non mutuis, quibus altera relatio ex parte termini non correspondet. De his igitur sit.

Prima conclusio.

DICO Primo: *Relationes non mutuae non terminantur formaliter ad relativum, sed ad absolutum.* Est communior inter Thomistas, inter quos pro ea eminent Lince, & Collegium Div. Thom. Complutense. Et probatur: relationes non mutuae non terminantur formaliter ad relativum rationis; deinde, nec ad relativum reale: ergo non terminantur formaliter ad relativum. Maior probatur: nam terminus formaliter terminans relationem predicamentalem debet coexistere ipsi relationi predicamentali, quandoecumque ipsa relatio predicamentalis existit; sed relativum rationis non existit quandoecumque existit relatio predicamentalis non mutua: ergo hæc non terminatur formaliter ad relativum rationis. Minor hæc patet: quia relatio predicamentalis non mutua existit ante omnem operationem intellectus, nulloque intellectu fingente; relativum ve-

ro rationis tantum existit, dum actu ab intellectu fingitur. Explicatur: nullo intellectu fingente existit verè à parte rei relatio predicamentalis non mutua; sed in eo casu non terminatur formaliter ad relativum rationis, quia nullo intellectu fingente non datur relativum rationis: ergo relatio predicamentalis non mutua non terminatur formaliter ad relativum rationis. Nec opus est id amplius confirmare, cum in eo conveniant etiam AA. contra quos disputamus. Sola minor primi syllogismi restat probanda: suadetur autem sic; quia relationi predicamentali non mutuae non correspondet ex parte termini relativum reale, aliàs enim esset relatio mutua; sed solum terminari potest ad id, quod sibi correspondet ex parte termini: ergo non terminatur ad relativum reale.

3. Respondent nobiles Thomistæ, quod ex parte termini non correspondet relativum reale intrinsecum; & idè certum est, quod non terminatur ad relativum reale intrinsecum; correspondet tamen ex parte termini relativum reale extrinsecum, id est, terminus ipse vt extrinsecè denominatus à relatione fundamenti, & ad hoc relativum reale extrinsecum terminatur relatio non mutua.

4. Sed eòtra est primo: Quia licet terminus denominetur extrinsecè

sece à relatione fundamenti respectus, aut inspectus quasi passivè, non tamen ab illa denominatur relativus, aut respiciens quasi activè: ergò ex quo relatio terminetur ad terminum, ut extrinsece denominatum à se ipsa, non salvatur terminari formalitèr ad relativum. Antecedens patet primo à paritate: nam relatio transcendentalis, v. g. visio, aut intellectio, solum denominat terminum extrinsece, & quasi passivè visum, aut intellectum, non autem activè videntem, aut intelligentem: ergò pariter relatio. Secundo ex D. Thom. 2. contrag. cap. 13. ubi ait: *Quod à relatione non invenitur aliquid denominari, quasi exterius existente, sed inherente*, intellige secundum propriam denominationem relationis, scilicet, relatum, aut relativum: ergò.

5. Dices: In relatione inveniri duplicem conceptum, & conceptum terminandi, & conceptum referendi: unde ab ipsa sub conceptu referendi nihil potest extrinsece denominari, secus tamen ab ipsa sub conceptu terminandi. Sed contra est primo: nam vel loquimur de conceptu terminandi ipsammet relationem non mutuam, vel de conceptu terminandi aliam relationem. Si primum, talis conceptus implicat in terminis, quia implicat quod in aliqua relatione detur conceptus terminandi se ipsam, cum omnis re-

latio essentialiter terminetur ad aliud. Si secundum, imprimis non est ad rem, nam quod relatio non mutua habeat conceptum terminandi aliam relationem, nihil prodest, ut extrinsece denominet terminum terminantem se ipsam. Deinde est falsum, quia relatio non mutua minime terminat aliam relationem, cum alia relatio sibi non correspondeat: ergò falsum est, quod habeat conceptum terminandi aliam relationem.

6. Contra secundo: Quia ut questio hæc non sit de nomine debent contrarij asserere, relationem terminari ad relativum oppositum, quod sit tale non pure terminative, sed etiam activè, & respectivè; hoc est, ad terminum, qui non solum terminet respectum, & extrinsece respiciatur, seu denominetur respectus, sed ad terminum, qui etiam respiciat, seu denominetur respiciens; sed hoc non salvant AA. contrarij: ergò pate de nomine litigant contra nos. Maior patet: quia nos etiam fatemur, relationem quamlibet terminari ad terminum, ut in actu exercito respectum extrinsece à se ipsa, cum idem sit, relationem respicere terminum, & terminum extrinsece respici, seu denominari respectum ab ipsa relatione: quis enim ambigat, relationem quamlibet terminari ad terminum, qui actu terminat ipsam

rela-

minus visionis, v.g. nō est de nominatio extrinseca, sed id quod denominatur visum: ergō pariter terminus formalis relationis respicientis non est de nominatio extrinseca inspecti, sed id, quod extrinsece denominatur inspectum. Minor vero etiam patet; quia quod suscipit denominationem extrinsecam inspecti, non est ipsa denominatio extrinseca inspecti; sed quid adæquate distinctum ab ipsa; nam suscipiens semper est adæquate distinctum à denominatione extrinseca suscepta; sed quod est adæquate distinctum à denominatione extrinseca relationis, prout sic distinctum, non est relativum reale extrinsecum, sed pure absolutum: ergō quod suscipit talem denominationem extrinsecam est quid pure absolutum, & non relativum reale extrinsecum.

10 Ex dictis colligo, contrarios quantum ad præsentem conclusionem in re nobiscum convenire, quanvis contrarium videantur asserere. Quod clare deducitur; tum ex M. Froylan fol. 593. aicente: *Terminus relationis non mutue, in quo non reperitur intrinseca relatio, pertinere solum ad prædicamentum relationis terminativè, & in obliquo*: ergō sentit nobiscum quod talis terminus formaliter, & in recto est quid absolutum, licet terminativè, & in obliquo dicatur relativus, quatenus terminat relationem, & est obli-

quum relationis. Tum etiam nam contrarij ex parte termini nullam assignant formalitatem relativam correspondentem ex opposito relationi non mutue, sed vnice agnoscunt ex parte termini quid absolutum, licet extrinsece denominatum ab ipsa relatione non mutua: id autem, & nos concedimus; sed hoc minime est, relationem terminari formaliter ad relativum; quia hoc expresse significat dari relativum formaliter ex parte termini, quod ex opposito correspondeat ipsi relationi: ergō si hoc non assignant contrarij, nobiscum re ipsa consentiunt.

11 Colligo secundo, non esse de essentia relationis in communi terminari ad relationem oppositam ex parte termini. Tum; quia quod est de essentia relationis in communi debet convenire cuilibet relationi particulari, siue mutue, siue non mutue; sed terminari ad relationem oppositam ex parte termini non convenit omni relationi, quia relatio non mutua, vt probatum manet, non terminatur ad aliam relationem ex parte termini: igitur hoc non est de essentia relationis in communi. Secundo; quia essentia relationis in communi est univoca omnibus relationibus particularibus; sed non esset univoca, si essentialiter terminaretur ad oppositam relationem ex parte termini: ergō non est de essentia relationis termi-

relationem, aut respicere terminum; qui actu respicitur ab ipsa: igitur de hoc non potest esse quaestio, nisi tantum vocalis, aut de nomine.

7 Explicatur: Vel contrarij, dum inquirunt, relationem non mutuum terminari ad relativum reale extrinsecum, precise intelligunt, quod terminatur ad quid absolutum, ut extrinsece inspectum ab ipsa & per ipsam in actu exercito; vel ulterius intelligunt, quod terminetur ad aliquod relativum, quod ex opposito respiciat, & referatur ad ipsam relationem non mutuum. Si primum, id ipsum nos fatemur, & est quid indubitabile. Si secundum, est manifeste falsum, nec ab ipsis contrarijs sustineri potest: ergo vel quaestio tantum est de nomine, vel contrarij propugnant quid manifeste falsum.

8 Contra tertio: Quia ratio formalis, sive *qua*, sive *sub qua* terminandi relationem debet esse adaequate distincta ab ipsa relatione; sed relativum reale extrinsecum prout tale non est adaequate distinctum a relatione non mutua: ergo non potest esse ratio formalis, nec *qua*, nec *sub qua* terminandi relationem non mutuum. Maior patet: nam relatio essentialiter est ad aliud, & per ly *aliud* semper intelligitur aliquid adaequate distinctum, quod sit ratio *qua*, & *sub qua* terminandi relationem. Secundo: quia ratio,

qua, & *sub qua* debent correspondere ex parte termini, sicut ratio *qua*, & *sub qua* visionis, & intellectionis debent correspondere ex parte obiecti; sed ratio *qua*, & *sub qua* terminandi visionem, & intellectionem ita debet correspondere ex parte obiecti, quod sit adaequate distincta ab ipsa visione, & intellectione: ergo ratio formalis *qua*, & *sub qua* terminandi relationem ita debet correspondere ex parte termini, quod sit adaequate distincta ab ipsa relatione. Minor vero primi syllogismi non minus patet: quia relativum reale extrinsecum denominatur formaliter tale ab ipsa relatione; sicut visum extrinsece a visione; sed visum extrinsece non distinguitur adaequate ab ipsa visione: ergo nec relativum reale extrinsecum distinguitur adaequate ab ipsa relatione.

9 Contra denique: Quia terminus formalis formaliter inspectus a relatione, non est ipsum esse extrinsece inspectum, seu denominatio extrinseca inspecti a relatione, sed id, quod formaliter suscipit talem denominationem, seu quod formaliter inspicitur a relatione; sed quod suscipit formaliter talem denominationem, non est relativum reale extrinsecum, sed quid absolutum: ergo terminus formaliter terminans ipsam relationem non est quid extrinsece relativum, sed quid absolutum. Maior patet: nam terminus

ari ad oppositam relationem ex parte termini. Maior patet; quia relatio in communi est genus supremum, sive predicamentum relationis; sed hoc debet esse univocum: ergo. Minor vero etiam probatur: quia si de essentia relationis in communi esset terminari ad aliam relationem, essentia relationis in communi essentialiter importaret diversitatem, seu distinctionem relationis à relatione, siquidem essentialiter importaret respectum ad aliam relationem; sed essentia, quæ importat essentialiter in communi distinctionem relationis à relatione, non est univoca omnibus relationibus in particulari: ergo si relatio in communi terminatur essentialiter ad aliam relationem ex parte termini, eius essentia in communi non potest esse univoca omnibus relationibus particularibus.

12. Dices, relationem in communi non referri exercite, & formaliter ad relationem ex parte termini, sed solum referri signate, & connexive, quatenus exigit in qualibet particulari relatione exercite, & ut quo referre fundamentum ad relationem ex parte termini. Unde solum in qualibet relatione particulari petit distinguì à relatione ex parte termini; in communi vero non importat actualiter, & formaliter distinctionem ab alia relatione, sicut nec importat exercitum respectum

ad relationem exercitè talem.

13. Sed contra est: Quia licet relatio non exerceatur, nec sit exercitè talis considerata in communi, tamen sic considerata, est essentialiter, & formaliter, licet signate, exercitium referendi subiectum ad terminum formalem: ergo formaliter, & essentialiter, licet signate, importat distinctionem sui ipsius à termino formali; ergo si terminus formalis signate inspectus est alia relatio, importat essentialiter, & formaliter, licet signate, distinctionem relationis referentis à relatione terminante. Sed ratio univoca non potest importare essentialiter, & formaliter, adhuc signate, distinctionem inferiorum in tali relatione: ergo. Confirmatur: nulla res in communi sumpta, & abstracta est exercitè talis, sed tantum signate, v. g. actio in communi non est exercitè actio, nec unio incommuni est exercitè unio, nihilominus tamen unio in communi est formaliter, & essentialiter unio, & ideo essentialiter, & formaliter importat distinctionem extremorum, & actio in communi est formaliter, & essentialiter actio, & ideo essentialiter, & formaliter importat distinctionem à suo termino formali: ergo pariter quavis relatio in communi non sit exercitè relatio, nec exercitè referat subiectum ad terminum formalem, tamen adhuc in communi sumpta est essen-

essentialiter, & formaliter relatio ad suum terminum formalem, & consequenter essentialiter, & formaliter importat distinctionem à suo termino formali,

14. Valde, dum contrarij inquirunt quod relatio in communi solum importat signate, & connexive distinctionem vnius ab alia, manifeste equivocant hunc terminum *signate* cum hoc termino *connexive*. Facit enim, quod relatio in communi solum signate importat distinctionem à suo termino formali, nego tamen quod pure connexive importet talem distinctionem. Sicut enim in communi sumpta solum signate est relatio, seu respectus ad terminum formalem, non tamen pure connexive, sed essentialiter, & formaliter, ita signate tantum importat distinctionem sui à termino formali, non tamen pure connexive, sed essentialiter, & formaliter. Et ratio est, quia de conceptu essentiali relationis in communi est respicere signate, & in communi terminum formalem signate etiam, & in communi acceptum, & hoc quidem importat relatio in communi, non pure connexive, sed essentialiter, & formaliter ex proprio conceptu obiectivo; sed respicere signate terminum formalem signate sumptum, importat essentialiter distinctionem signatam relationis à termino formali signato, sicut res-

picere exercite terminum formalem in particulari, importat essentialiter distinctionem exercitam à termino formali exercito: ergo relatio in communi sumpta non solum pure connexive, sed essentialiter, & formaliter, licet signate, importat distinctionem sui à termino formali: ergo vel terminus formalis inspectus signate à relatione in communi non est relatio ex parte termini, prout nos asserimus; vel relatio in communi sumpta, includit essentialiter, & formaliter distinctionem relationis à relatione, & consequenter non erit univoca.

15. Explicatur: Terminus formalis relationis, ut exercite terminans relationem essentialiter exercite importat distinctionem realem sui à relatione: ergo terminus formalis relationis, ut signate, & in communi terminans relationem importat essentialiter, & signate distinctionem sui à relatione; ergo si terminus formalis relationis in communi est quid formaliter relativum, in tali conceptu communi importatur essentialiter, & signate distinctio relationis à relativo. Urgetur implicat quod concipiatur in communi relatio, seu respectus ad terminum formalem in communi, nisi concipiatur distinctio talis relationis à tali termino formali: ergo relatio in communi, & signate sumpta in suo conceptu formali importat di-

inctionem sui, à termino formali: ergò distinctionem sui ab alia relatione, si terminus formalis sit essentialitèr alia relatio. Antecedens probatur: nam qui concipit habitudinem, seu respectum ad terminum formalem, per ly *ad* formalissime concipit distinctionem respectus à tali termino: ergò implicat, &c.

16 Sed oppones ex D. Thom. 1. ad Anibald. dist. 30. quæst. 1. art. 1. ad 3. aiente: *Terminum relationis non posse intelligi, nisi sub opposita habitudine*: ergò terminus relationis in communi essentialitèr importat oppositam habitudinem: ergò essentialitèr est quid relativum. Respondeo, distinguendo primum consequens: ergò essentialitèr importat ex nostro imperfecto modo concipiendi oppositam habitudinem, concedo consequentiam: ex parte rei significatæ, sive à parte rei, nego consequentiam; quia D. Thom. non ait, terminum relationis esse non posse sine opposita habitudine, sed solum ait, intelligi non posse sine opposita habitudine; ex hoc autem solum probatur, quod terminus relationis ex nostro modo concipiendi sit relativus per rationem, non verò quod re ipsa constitua- tur formalitèr per relationem; sicut dominium divinum ex nostro imperfecto modo concipiendi importat relationem rationis, quia concipi non potest, nisi cum respectu rationis

ad creaturas; & tamen re ipsa non constituitur per talem relationem rationis, sed est quid realitèr formalitèr absolutum in re.

Secunda conclusio

17 **D**ICO Secundo: *Ad huc relatio mutua secundum suam essentiam non terminatur formalitèr ad relativum.* Fateor in hac sententia me recedere à communiori RR. Thomistarum: eam tamen cum Capreolo, Sorcinas, & Soto ex antiquis; & cum Moneta ex RR. qui pro se alios plures refert, propugno, quia longe veritati conformior, & ad mentem D. Thom. magis videtur consona. Unde sic ex ipso probatur: Nam ut inquit 3. parte quæst. 35. art. 5. & alibi sæpè, relationi maternitatis, quam habet B. Virgo non correspondet ex parte Christi alia relatio realis filiationis, in qua sententia conveniunt etiam omnes Thomistæ. Ea autem supposita, sic argumentor: relatio maternitatis ex natura sua est relatio mutua; & tamen secundum suam essentiam non terminatur formalitèr ad relationem sibi oppositam, & consequenter, nec ad relativum formalitèr: ergò. Maior est certa, & minor probatur: implicat quod existat relatio ex parte subiecti, deficiente eius termino formali; sed potest existere relatio maternitatis

tatis ex parte matris, deficiente relatione filiationis ex parte filij: ergo ratio maternitatis non terminatur formaliter ad relationem filiationis. Minor probatur primo ex prædicta sententia D. Thom. iuxta quam ex parte Virginis matris existit relatio realis maternitatis ad Christum, quin ex parte Christi existat relatio filiationis. Secundo: quia potest Deus, supposita relatione matris, suspendere concursum ad relationem filij: ergo.

18 Respondent primo contrarij, ex parte Christi correspondere relationem rationis, qua Christus terminat formaliter relationem matris. Sed hæc solutio iam manet impugnata supra: nam relatio maternitatis, utpote realis, existit à parte rei, & ante fictionem intellectus: ergo ante fictionem intellectus, & à parte rei debet existere eius terminus formalis, cum non possit existere relatio sine suo termino formali adhuc de potentia Dei absoluta; sed relatio rationis ex parte Christi non existit formaliter ante fictionem intellectus, seu à parte rei: ergo non est terminus formalis, nec ratio formalis, qua Christus terminat relationem suæ matris.

19 Confugiunt secundo ad relativum reale extrinsecum. Sed hoc iam etiam manet impugnatum. Et ulterius non tollit, quod prædicta relatio maternitatis terminetur formaliter

ad absolutum; siquidem terminari ad relativum extrinsecum, non est terminari ad aliud correlativum ex parte termini, ut fatentur contrarij, sed est terminari ad absolutum: ex parte termini, quod extrinsece denominatur inspectum ab ipsa, & per ipsam relationem; hoc autem formalissime est terminari ad absolutum: ergo prædicta solutio non tollit, sed potius infert relationem maternitatis terminati formaliter ad absolutum; licet tale absolutum extrinsece denominetur inspectum à tali relatione: quod nemo differri potest.

20 Denique respondet Collegium D. Thom. Complutense, relationem maternitatis non esse essentialiter mutuam, sed rationem mutue esse proprietatem naturaliter exactam ab ipsa, divinitus tamen separabilem. Ex quo infert, quod terminus formalis relationis mutue, ut mutue, est relatio coopposita; terminus verò formalis relationis quoad suam essentiam præscindit ab absoluto, & relativo. Unde relatio maternitatis quia in Virgine matre non est mutua, terminatur ad absolutum; dummodo tamen sit mutua, ut mutua, nequit terminari, nisi ad relativum.

21 Sed hæc solutio, ut fallor, ostendit hunc præclarissimum Thomistam à nostra esse sententia; nam imprimis fatetur, quod relatio secundum suam

suam essentiam non terminatur formaliter ad relativum; in quo nobiscum sentit. Deinde ex hoc inferitur terminari formaliter ad absolutum secundum suam essentiam. Quod sic probo: nam relatio secundum suam essentiam nequit respicere pro termino formali rationem præscindentem, seu communem ad relativum, & absolutum: ergo si non terminatur formaliter ad relativum, terminatur formaliter ad aliquid absolutum. Antecedens probatur: quia relatio secundum suam essentiam nequit respicere pro termino formali rationem analogam; sed ratio præscindens à relativo, & absoluto necessario est analogam, includensque magnam diversitatem, siquidem ad relativum & absolutum nihil datur univocum: ergo. Mai. patet: nam relatio secundum suam essentiam est univoca omnibus relationibus, utpote genus supremum sui prædicamenti; sed relatio univoca nequit respicere pro termino formali rationem analogam: ergo.

22. Secundo fatetur prædictus Auct. relationem maternitatis, quando non est actualiter mutua, terminari formaliter ad absolutum: sed eandem essentiam habet quando est mutua, ac quando mutua non est, nam ut fatetur prædictus Auct. ratio mutue solum est proprietas divinitus separabilis, permanente eadem essentia relationis: ergo iuxta prædictum Auct.

relatio maternitatis secundum suam essentiam terminatur formaliter ad absolutum.

23. Tertio: Nam relatio maternitatis intelligitur cum sua essentia determinata priori antequam resultet proprietas essendi actualiter mutua; omnis enim essentia intelligitur existens determinate pro priori ad suas proprietates; sed pro illo priori non terminatur formaliter ad relativum: ergo pro illo priori terminatur formaliter ad absolutum. Consequentia patet: quia pro illo priori debet habere terminum formalem determinatum, à quo specificetur, cum habeat essentiam specificam determinatam. Minor verò non minus constat: nam pro priori antequam intelligatur in ratione mutue, non intelligitur ex parte termini relatio; sed pro priori, pro quo non intelligitur ex parte termini relatio, non terminatur formaliter ad relativum: ergo. Confirmatur: relatio habens essentiam specificam a thomam, seu ultimo determinatam, non potest respicere terminum præscindentem à termino relativo, vel à termino absoluto, nam essentia specificè determinata non potest respicere specificativum præscindens ab hoc, vel ab alio specificativo, aliàs enim ipsa præscinderet ab hac, vel ab illa essentia specifica; sed relatio maternitatis pro priori ad rationem

actualiter mutua habet essentiã specificam a thomã; ergo pro illo priori non potest habere terminum formalem præcendentem, sed debet habere terminum formalem specificè determinatum; ergo vel determinate absolute, vel determinate relativum; non determinate relativum pro illo priori, ut fatetur prædictus A; ergo determinate absolute.

24. Confirmatur secundo: Relatio maternitatis eadem est specificè in B. Virgine, in qua non est mutua, ac in cæteris matribus, in quibus mutua est; sed relatio specificè eadem debet respicere eundem terminum formalem; nam variato termino formali, necessario variatur essentia specificè relationis; ergo relatio maternitatis in cæteris matribus, in quibus est mutua, eundem terminum formalem respicit, ac in B. Virgine, in qua non est mutua. Tunc sic; sed in B. Virgine terminatur formaliter ad aliquid absolute, ut fatetur prædictus A; ergo etiam in cæteris matribus, in quibus mutua est.

25. Dices: Relationem Virginis Matris solum esse eandem fundamentaliter cum cæteris maternitatibus, non verò eandem formaliter. Sed contra est: nam B. Virgo est Mater Christi, non purè analogice, sed univoce, imò in ratione matris eiusdem speciei cum cæteris matribus, & opposi-

tum dicere haud leve videtur absurdum; sed si relatio maternitatis non sit eadem formaliter in B. Virgine, ac in alijs matribus; non salvatur quod sit mater eiusdem speciei cum cæteris matribus, sed potius in ratione matris esset ab illis formaliter diversa; et ergo. Explicatur: relatio Virginis matris non est supernaturalis, sed naturalis; sed relatio maternitatis naturalis necessario est formaliter eiusdem speciei cum cæteris maternitatibus aliarum matrum; ergo talis relatio non solum fundamentaliter, sed etiam formaliter est eiusdem speciei. Maior probatur: nam ut inquit D. Thom. 3. part. quest. 2. articulo 3. in corp. & ad 2. *Beata Virgo est vera, & naturalis Mater Christi*; sed si relatio maternitatis esset supernaturalis, B. Virgo potius dicenda foret mater formaliter supernaturalis, quam naturalis; ergo.

26. Dices secundo, relationem maternitatis in B. Virgine esse eiusdem speciei formaliter, quatenus respicit terminum, qui in ratione terminantis, seu terminative est formaliter relativum, in quo cæteræ maternitates conveniunt formaliter; non verò quia respiciat ex parte termini aliam relationem sub munere referentis. Sed contra est: nam si cæteræ maternitates conveniunt formaliter in eo, quod est

est respicere, pro termino formali aliquid pure terminative relativum: ergo sicut relatio B. Virginis terminatur formaliter ad aliquid in recto, & formaliter absolute, licet terminative relativum, ita ceterae maternitates terminantur ad aliquid formaliter, & in recto absolute, licet illud dicatur terminative relativum a relatione, quam terminat. Hoc autem, & non amplius nos asserimus.

27. *Contra secundo.* Quia ceterae maternitates, iuxta contrarios, non terminantur formaliter ad aliquid pure terminative, & extrinsece relativum, sed ad aliquid formaliter, & in recto intrinsece relativum; sed terminus formaliter, & in recto intrinsece relativus est terminus specie distinctus, & consequenter specificat distinctam relationem in specie a termino formaliter, & in recto absolute, qui solum extrinsece terminative sit relativus: ergo si relatio B. Virginis specificatur ab hoc termino, necessarium erit formaliter specie distincta a ceteris maternitatibus, quod, ut iam, diximus videtur absurdum.

28. *Secundo probatur conclusio a ratione.* Terminus formalis relationis est a quo formaliter specificatur relatio; sed terminus, a quo formaliter specificatur relatio, non est relatio composita: ergo terminus formalis relationis non est rela-

tiō composita. Minor probatur quia terminus, a quo formaliter specificatur relatio, precedit prioritate naturae ipsam relationem; sed relatio composita non precedit prioritate naturae ipsam relationem: ergo relatio composita non est terminus formalis, a quo specificatur relatio. Minor patet; quia relativa opposita sunt simul natura, & neutra relatio est prior altera prioritate naturae. Maior vero probatur; quia terminus, a quo specificatur relatio, dat speciem relationi, ita ut relatio ideò sit talis speciei determinate, quia habet terminum talis speciei, & non e contra; sed terminus qui hoc pacto dat speciem relationi, est prior natura, quam ipsa relatio: ergo precedit prioritate naturae ad ipsam relationem.

29. *Confirmatur.* Omne specificativum est prius natura suo specificato; sed terminus formalis relationis est specificativum relationis: ergo debet esse prior natura ipsa relatione. Maior probatur: omne specificativum est causa extrinseca specificati; sed omnis causa est prior natura eo, cuius est causa: ergo omne specificativum est prior natura suo specificato.

30. *Dices,* non omne specificativum esse causam extrinsecam specificati, quia specificativum relativum dat speciem relationi, non causando, sed pure terminando. Sed contra est; nam implicat dare speciem relationi,

quin sit causa saltem extrinseca talis speciei: ergo implicat dare speciem, & non causando saltem extrinsece ipsam. Antecedens probatur: quia in creatis quod dat esse alteri semper est causa illius, causa enim definitur: *Quæ influit esse in aliud*: ergo quod dat esse relationi est causa extrinseca relationis.

31 Dices, quod sicut in divinis Pater dat esse Filio, quin sit causa illius propter carentiam dependentiæ unius ab alio; ita in relativis terminus dat speciem relationi, quin sit causa illius, propter carentiam dependentiæ, quia terminus respicitur ut purus terminus. Sed contra est: nam idem in Divinis, licet Pater det esse Filio, non est causa Filij, quia non dat esse aliud, sed esse idem, & quia Filius non est aliud à Patre, sed solum aliud, & propter alias disparitates infra assignandas: sed dum terminus formalis relationis dat speciem relationi, dat ipsi speciem distinctam ab specie intrinseca ipsius termini, terminusque est aliud essentialiter ab ipsa relatione, & non solum aliud: ergo dat speciem relationi tanquam causa formalis extrinseca illius.

32 Confirmatur: Si terminus specificat formaliter relationem, ratio se habet ut accipiens speciem à termino, & terminus ut dans speciem ipsi relationi; sed prius natura est dare, quam accipere; ergo terminus prius

natura intelligitur, quam ratio. Urgetur; iuxta commune proloquium, posito fundamento, & termino resultat ratio; ergo prius intelligitur fundamentum, & terminus relationis, quam ipsa ratio. Amplius; sicut ratio specificatur à fundamento, ita specificatur à termino siquidem iuxta communem sententiam specificatur à fundamento, & termino simul; sed quia specificatur à fundamento, supponit fundamentum pro priori naturæ; ergo quia specificatur à termino, supponit terminum pro priori naturæ.

33 Unde, quando dicitur quod ratio prædicamentalis respicit terminum ut purum terminum, solum excluditur, quod illum respiciat ut obiectum, ut motivum, ut causam efficientem, vel alio modo distincto ab eo quod est pure respici, non autem excluditur quod illum respiciat ut specificativum extrinsecum, à quo ratio lumat suam specificationem intrinsecam; omnes enim fatentur, terminum formalem relationis specificare formaliter relationem, & consequenter esse causam formalem extrinsecam ipsius, non enim assignari potest specificativum formale extrinsecum, quod non sit causa formalis extrinseca specificati. Paritas enim ex Divinis Personis de unipata, potius oppositum suadet, quia Pater Divinus minime specificatur à Filio, nec Filius dat

Q. XI. Verum relatio terminetur formaliter, &c.

dat speciem paternitati, non alia ratione, nisi quia non potest esse causa illius: ergo si in creatis terminus formalis relationis nullo pacto esset causa ipsius relationis, non daret speciem relationi, nec esset significativum illius.

Solvuntur argumenta.

34 **O**BJICIENS Primo ex D. Thom.

1. part. quest. 40. art. 2. ad 4. sic aiente: *Cum dicitur quod relativi esse est ad aliud se habere, per ly aliud intelligitur correlativum, quod non est prius, sed simul natura: sed per ly aliud intelligitur terminus formalis, ad quem terminatur relatio: ergo iuxta Div. Thom. relatio formalis terminatur ad relativum. Sed imprimis huiusmodi D. Tho. verba intelligi non possunt de omni relatione, sed necessario limitanda sunt; nam verificari nequeunt de relatione non mutua; cum enim ipsi non corresponsdeat a parte rei correlativum, alias enim esset mutua, per aliud, ad quod terminatur, non potest intelligi correlativum, quod se ipsa non datur.*

35 Difficultas igitur restat in limitatione assignanda. Collegium D. Thom. Complutense inquit, intelligenda esse tantum, quando est eadem ratio referendi ex utraque parte. Sed

si hoc ita est, sequitur quod in plerisque relativis mutuis, per ly aliud non intelligatur correlativum, nam in plerisque est diversa ratio referendi ex parte utriusque, ut patet in relativis disqui-parantiae, in quibus ex parte unius extremi est actio, & ex parte alterius est passio; & in relativis dissimilitudinis, & diversitatis, in quibus ex parte extremorum, rationes referendi sunt diversae, utpote dissimiles.

36 Secundo idem Auct. per ly aliud intelligit correlativum ex modo concipiendi, non ex parte rei significatae; cum autem correlativum ex modo concipiendi non terminet formaliter a parte rei relationem, sed tantum sit conditio, ut a nobis nostro modo concipiatur terminus relationis, iuxta ipsum ex praedictis verbis minime inferre licebit, quod per ly aliud debeat intelligi relativum, ad quod formaliter terminatur relatio, sed tantum relativum, sine quo non possit concipi terminus relationis.

37 Sed veriore limitationem colligo ex ipso textu D. Thom. contendebat enim quartum argumentum, relationem inter personas divinas non esse primum distinctivum illarum, quia ex ratione sua praesupponit distinctionem subiecti a termino, eo quod definitur per esse ad aliud. Cui argumento respondet D. Th. quod relatio praesupponit distinctionem suppositorum

quin sit causa saltē extrinseca talis speciei: ergō implicat dare speciem, & non causando saltē extrinsece ipsam. Antecedens probatur: quā in creatis quod dat esse alteri semper est causa illius, causa enim dīfini- tur: *Quæ influit esse in aliud*: ergō quod dat esse relationi est causa extrinseca relationis.

31 Dices, quod sicut in divinis Pater dat esse Filio, quin sit causa illius propter carentiam dependentiæ vnius ab alio; itā in relativis terminus dat speciem relationi, quin sit causa illius, propter carentiam dependentiæ, quā terminus respicitur ut purus terminus. Sed contra est: nam idē in Divinis, licet Pater det esse Filio, non est causa Filij, quā non dat esse aliud, sed esse idem, & quā Filius non est aliud à Patre, sed solum aliud, & propter aliās disparitates infra assignandas; sed dum terminus formalis relationis dat speciem relationi, dat ipsi speciem distinctam ab specie intrinseca ipsius termini, terminusque est aliud essentialitè ab ipsa relatione, & non solum aliud: ergō dat speciem relationi tanquam causa formalis extrinseca illius.

32 Confirmatur: Si terminus specificat formalitè relationē, relatio se habet ut accipiens speciem à termino, & terminus ut dāns speciem ipsi relationi; sed prius natura est dare, quā accipere; ergō terminus prius

natura intelligitur, quā relatio. Urgetur; iuxta commune proloquium, posito fundamento, & termino resultat relatio: ergō prius intelligitur fundamentum, & terminus relationis, quā ipsa relatio. Amplius; sicut relatio specificatur à fundamēto, itā specificatur à termino siquidem iuxta communem sententiam specificatur à fundamēto, & termino simul; sed quā specificatur à fundamēto, supponit fundamentum pro priori naturæ; ergō quā specificatur à termino, supponit terminum pro priori naturæ.

33 Undē, quando dicitur quod relatio prædicamentalis respicit terminum ut purum terminum, solum excluditur, quod illum respiciat ut obiectum, ut motivum, ut causam efficientem, vel alio modo distincto ab eo quod est purè respici, non autem excluditur quod illum respiciat ut specificativum extrinsecū, à quo relatio sumat suam specificationem intrinsecam; omnes enim fatentur, terminū formalem relationis specificare formalitè relationem, & consequentè esse causam formalem extrinsecam ipsius, nō enim assignari potest specificativum formale extrinsecum, quod non sit causa formalis extrinseca specificati. Patetas enim ex Divinis Personis de utrupta, potius oppositum suadet, quā Pater Divinus minimè specificatur à Filio, nec Filius dat

Q. XI. Vtrum relatio terminetur formaliter, &c.

dat speciem paternitati, non alia ratione, nisi quia non potest esse causa illius: ergo si in creatis terminus formalis relationis nullo pacto esset causa ipsius relationis, non daret speciem relationi, nec esset specificativum illius.

Solvuntur argumenta.

34 **O**BJICIES Primo ex D. Thom. 1. part. quest. 40. art. 2. ad 4. sic aiente: *Cum dicitur quod relativi esse est ad aliud se habere, per ly aliud intelligitur correlativum, quod non est prius, sed simul natura: sed per ly aliud intelligitur terminus formalis, ad quem terminatur relatio: ergo iuxta Div. Thom. relatio formalis terminatur ad relativum. Sed imprimis huiusmodi D. Tho. verba intelligi non possunt de omni relatione, sed necessario limitanda sunt; nam verificari nequeunt de relatione non mutua; cum enim ipsi non correspondeat a parte rei correlativum, alias enim esset mutua, per aliud, ad quod terminatur, non potest intelligi correlativum, quod re ipsa non datur.*

35 Difficultas igitur restat in limitatione assignanda. Collegium D. Thom. Complutense inquit, intelligenda esse tantum, quando est eadem ratio referendi ex utraque parte. Sed

si hoc ita est, sequitur quod in plerisque relativis mutuis, per ly aliud non intelligatur correlativum, nam in plerisque est diversa ratio referendi ex parte utriusque, ut patet in relativis disqui-parantiae, in quibus ex parte unius extremi est actio, & ex parte alterius est passio; & in relativis dissimilitudinis, & diversitatis, in quibus ex parte extremorum, rationes referendi sunt diversae, utpote dissimiles.

36 Secundo idem Auct. per ly aliud intelligit correlativum ex modo concipiendi, non ex parte rei significatae; cum autem correlativum ex modo concipiendi non terminet formaliter a parte rei relationem; sed tantum sit conditio, ut a nobis nostro modo concipiatur terminus relationis, iuxta ipsam ex praedictis verbis minime inferre licebit, quod per ly aliud debeat intelligi relativum, ad quod formaliter terminatur relatio, sed tantum relativum, sine quo non possit concipi terminus relationis.

37 Sed veriore limitationem colligo ex ipso textu D. Thom. concendebat enim quartum argumentum, relationem inter personas divinas non esse primum distinctivum illarum, quia ex ratione sua praesupponit distinctionem subiecti a termino, eo quod definitur per esse ad aliud. Cui argumento respondet D. Th. *quod relatio praesupponit distinctionem suppositorum*

quando est accidens. Sed si relatio sit subsistens, non præsupponit, sed secum fert distinctionem. Cum enim dicitur quod relativi esse est ad aliud se habere, per *ly aliud* intelligitur correlativum, quod non est prius, sed simul natura; intellige, si relatio sit subsistens, non verò quando est accidens, nam quando est accidens, antecedentè ad relationem præsupponitur distinctio suppositorum, & consequentè præsupponitur aliud, ad quod terminetur relatio, quod sit prius natura ad relationem, & consequentè non formalitèr relativum, sed absolutum. Quando verò relatio est per se subsistens, sicut non præsupponit distinctionem suppositorum, ità non præsupponit aliud, ad quod terminetur relatio, sed tunc casus per *ly aliud* intelligitur correlativum subsistens, quod non est prius, sed simul natura, & hæc videtur genuina mens Div. Thom.

38 Sed replicabis: Div. Thom. explicat *ly aliud* prout ponitur in definitione relationis; sed in definitione relationis definitur omnis relatio, sive sit accidens, sive subsistens, imò potissimè definitur quæ est accidens, nam Philosoph. non agnovit relationem per se subsistentem; ergò Div. Thom. explicat *ly aliud* prout correspondet omni relationi sive accidentali, sive subsistenti. Respondeo distinguendo maiorem; prout

ponitur in definitione relationis applicata relationibus divinis per se subsistentibus; concedo maiorem; applicata relationibus accidentalibus non subsistentibus, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia licet per talem definitionem definiatur omnis relatio, imò quavis sola relatio accidentalis definita fuerit à Philosoph. tamè talis definitio potest applicari; vel relationi create accidentali, vel relationi divinæ subsistenti; nec est opus quod eodè modo intelligatur in vna ac in alia, potissimè cum univoce non convenient, sed tantum analogice; igitur D. Thom. explicavit *ly aliud* in definitione relationis prout applicata relationibus subsistentibus, nam hæc sufficiebat ad solutionem argumenti, non verò in definitione prout applicata relationibus accidentalibus, nam de his faretur, quod præsupponunt distinctionem suppositorum.

39 Sed instabis: Relationes divinæ subsistentes per nos terminantur formalitèr ad oppositam relationem; ergò etiam in creatis. Tum; quia relationes create sunt participationes divinarum; cum quia eodem modo in divinis pater respicit filium, ac in creatis. Respondeo negando consequentiam proptèr multiplicem disparitatem. Primo; quia in divinis non dantur extrema ab-

soluta realiter distincta inter se, nec à relationibus, ac proinde nihil datur, quod possit terminare relationem, nisi relatio; omnia enim absoluta inter se, & cum relationibus realiter identificantur in divinis, ac per consequens nihil absolutum potest referri, aut terminare relationem alterius. Hoc autem impedimentum non datur in creatis, cum ad relationes supponantur extrema absolute distincta. Secundo, quia in divinis una relatio non specificatur à suo termino, cum nihil divinum possit specificari ab aliquo realiter distincto, alias causaretur ab illo; unde bene potest una relatio in divinis ad alteram terminari; ac verò in creatis, ut supra probavimus, relatio specificatur à suo termino formali, ac per consequens nequit una ad alteram terminari, quia alias mutuo specificarentur, & daretur mutua causalitas in eodem genere, quod omnibus philosophis est exosum. Tertio; quia relationes in divinis sunt per se subsistentes, sunt personæ, & supposita; in creatis verò sunt accidentia suppositis superaddita. Unde sicut ob hanc rationem relationes in divinis sunt supposita, & subiecta relata, quin etiam hoc possit accidere in creatis; ita etiam in divinis potest relatio esse terminus formalis relationis, quin hoc possit accidere in creatis.

40 Argues secundo: Terminus formalis relationis paternitatis est id, per quod filius formaliter respicitur à paternitate; sed id, per quod filius formaliter respicitur à paternitate, est aliquid relativum: ergo terminus formalis paternitatis est aliquid relativum. Minor probatur, quia sicut se habet in patre respicere filium, ita se habet in filio respici à patre; sed id per quod pater respicit filium, formaliter est relatio: ergo id per quod filius respicitur à patre formaliter est relativum. Respondeo negando maiorem; quia sicut non est obiectum formale cognitionis id, per quod obiectum formaliter cognoscitur, hoc enim est ipsa cognitio; ita non est terminus formalis relationis id, per quod terminus formaliter respicitur, quia hoc est ipsa relatio.

41 Obijcies tertio: Relativa sunt simul natura, & cognitione; sed si relatio non terminaretur ad correlativum formaliter, non essent simul natura, & cognitione: ergo terminatur ad relativum formaliter. Probo minorem: ea sunt simul cognitione, quorum unum nequit cognosci sine alio, sed si relatio non terminaretur formaliter ad correlativum, posset cognosci sine correlativo: ergo non esset simul cognitione cum illo. Minor patet: quia relatio potest cognosci absque eo quod non est eius terminus formalis.

42. Respondeo negando minorem. Ad probationem respondeo primo, omiſſa maiori, negando minorem; quia relatio nequit cognoſci ſine ſuo termino formali, & licet talis terminus formalis ſit in re quid abſolutum, nequit tamen intelligi ſine oppoſita relatione, ut inquit D. Thom. propter imperfectionem, ſcilicet, noſtri intellectus. Unde licet relatio terminetur formaliter ad abſolutum, recte ſalvatur, non poſſe intelligi ſine oppoſita relatione, quia illud abſolutum in ratione termini intelligi non poſteſt, niſi ſub oppoſita habitudine.

43. Sed quia eſt valde probabile, relationem poſſe definiſi, quin in eius definitione ponatur, aut intelligatur oppoſita relatio, ut in præſenti aſſerit Sotus, ideo ſecundo respondeo ad probationem minoris negando maiorem; quia ut duo ſint ſimul cognitione, non requiritur, quod unum non poſſit cognoſci ſine alio, ſed ſat eſt, quod ſi utrumque cognoſcitur, neutrum cognoſcatur prius alio, nec ut ratio à priori alterius, ſive quod neutrum petat prius cognoſci, quam aliud: hoc autem optimè convenit relationibus mutuis, licet una non ſit terminus formalis alterius; imò, ſi una eſſet terminus formalis alterius, eſſet prior natura, & per prius cognoſcibilis, quam altera; nam terminus formalis ſpecificativus alicuius habitudinis neceſſariò eſt prius

natura, & cognitione tali habitudine.

44. Obijcies quartò: Relationes mutuz opponuntur inter ſe relative; ſed relatio tantum opponitur relative cum ſuo termino formali: ergò relationes mutuz ad invicem ſe reſpiciunt pro termino formali. Respondeo, conceſſa maiori, negando minorem; quia relatio non ſolum opponitur relative cum ſuo termino formali, ſed multo magis cum correlatione ſe tenente ex parte ſui termini formalis ad fundamentum ipſius. Dux enim relationes oppoſitz ſe habent, ſicut dux viæ oppoſitz, v. g. relatio Petri ad Paulum, & relatio Pauli ad Petrum ſe habent ſicut via Matriti verſus Complutum, & via Compluti Matritum verſus; & ſicut iſtæ viæ, ut ſint oppoſitz ex diametro, non requiritur quod una via reſpiciat alteram viam pro termino formali, ſed ſufficit, quod reſpiciant terminos oppoſitos ex diametro, ſcilicet, una Matritum, & altera Complutum. Sic ſimilitèr, ut relationes inter ſe ſint relative, & ex diametro oppoſitz, non requiritur quod una reſpiciat aliam pro termino formali, ſed ſufficit, quod reſpiciant terminos ex diametro oppoſitos per ipſas relationes, v. g. quod una ſit relatio Petri ad Paulum, & alia Pauli ad Petrum.

45. Vel aliter respondeo diſtinguendo maiorem Relationes mutuz opponuntur inter ſe

rela-

relative ut *quo*, concedo: ut *quod*, subdistinguo: quando sunt subsistentes, & extrema ut *quod* relata, concedo maiorem: quando sunt accidentia, & ut *quo* tantum relata, nego maiorem, & consequentiam; quia relationes mutue tunc solum opponuntur relative, ut *quod*, quando sunt subsistentes, & extrema ut *quod* relata, ut contingit in diuinis relationibus; quando vero non sunt subsistentes, sed inherentes, sicut non sunt extrema ut *quod* relata, sed tantum id, quo extrema pre-supposita referuntur ad invicem, ita non sunt ut *quod* relative opposita, sed tantum sunt id, quo extrema pre-supposita relative inter se opponuntur. Ex quo minime sequitur quod una respiciat aliam pro termino formali, alias enim opponeretur cum illa ut *quod* tanquam cum extremo opposito; sed sufficit, quod una sit ratio formalis opponendi fundamentum termino formali, & alia sit ratio formalis opponendi terminum formalem fundamentum: nam fundamentum formale, & terminus formalis sunt extrema ut *quod* relative opposita, relationes vero sunt ut *quo* tantum relative opposita, quatenus una est id, quo fundamentum opponitur relative termino, & alia est id, quo terminus opponitur relative fundamento, non vero quia una terminetur formaliter ad aliam.

46

Replicabis: Ter-

minus relationis, ut talis, est formaliter oppositus ipsi relationi, quam terminat; sed per nos non potest esse formaliter oppositus, nisi per relationem: ergo est formaliter terminus relationes per relationem. Respondeo distinguendo maiorem: est formaliter oppositus ex modo concipiendi, concedo maiorem: in re, subdistinguo: intrinsece, & subiective, nego maiorem: terminative, & extrinsece, concedo maiorem. Et ad maiorem dico, quod terminus relationis ex modo concipiendi importat relationem oppositam ad fundamentum, quia ut inquit D. Thom. non potest concipi nisi sub opposita habitudine, & sic ex modo concipiendi relative opponitur fundamento; in re autem non importat per se, & essentialiter oppositionem relativam intrinsecam ex parte sua ad fundamentum, sed solum terminative, & extrinsece opponitur fundamento per relationem ipsam, quam terminat, a qua sicut extrinsece denominatur inspectus, ita extrinsece denominatur oppositus fundamento; quod vero intrinsece, & subiective opponatur, non habet formaliter, & essentialiter in ratione termini, sed tanquam fundamentaliter, quatenus fundat relationem ad fundamentum, qua resultante, per illam formaliter, & subiective opponitur fundamento.

47 Ex dictis colligo, relationem

nem mutuam secundum suam essentiam terminari formaliter ad quid absolutum, tamen secundum proprietatem suam, si-
 ve reduplicative ut actualiter mutuam recte dici posse quod terminatur ad relativum formaliter ut relativum. Et ratio est: quia relationi secundum suam proprietatem debet correspondere formaliter terminus, non solum secundum essentiam termini, sed etiam secundum proprietatem ex illo resultantem; sed licet terminus relationis secundum suam essentiam sit quid absolutum, tamen est proprietas eius esse correlativum per relationem resultantem: ergo recte dici potest quod relatio secundum suam proprietatem, & ut actualiter mutua terminatur formaliter ad suum terminum, ut actualiter correlativum. Ex quo non inferas specificari ab illo, ut correlativo, quia nec relatio habet speciem ex proprietate sua, nec terminus specificat, seu dat speciem secundum proprietatem termini, sed secundum suam essentiam tantum.

48 Plures alie questiones excitari solent circa essentiam, & proprietates relationis; earum tamen solutio sufficienter patet ex dictis, ideoque brevitatis cau-

sa illas omittimus.

(o)

QUESTIO VLTIMA.

De sex ultimis prædicamentis?

1 **A**RIST. Summa brevitate de sex ultimis egit prædicamentis, ideoque nos ab eius stillo non deviantes, breviter illa percurramus. Quintum prædicamentum est *actio*, quæ sic communiter definitur: est *forma, quæ agens in id, quod subijcitur agere dicitur*, id est exercitium, quod principium constituitur actualiter agens in passum sibi subiectum, ut calefactio est exercitium, quo ignis constituitur calefaciens lignum. Solet etiam actio brevius defini, scilicet: *actio est actualitas agentis ut talis*, quæ definitio recta, & optima est.

2 Nota tamen quod actio est duplex, alia est actio transiens, alia immanens. Actio transiens est, quæ per se primo ordinatur ad perficiendum passum. Actio immanens, quæ per se primo perficit ipsum agens. Hæc secunda actio est qualitas, & pertinet ad prædicamentum qualitatis. Solum autem actio transiens constituit speciale prædicamentum actionis; hoc dico iuxta plurium Thomistarum opinionem pro se citantium D. Thom. quid ego sentiam non decerno.

3 Passio, prout sextum constituit prædicamentum, non est receptio effectus in passum, ut aliqui volunt; hæc enim nihil aliud

Q. Ultima de Sex ultimis predicamentis?

aliud est, quam unio formæ causatæ cum subiecto, quæ minime speciale constituit prædicamentum, sed reducitur ad prædicamentum formæ receptæ; etenim forma substantialis recipitur in materia prima; & tamen talis receptio passio non est, cum passio sit accidens verum, & reale, & illa receptio sit modus substantialis. Definienda ergo est in hunc modum: *Est forma, qua passum subijcitur agenti in actu secundo.* Inter actionem, & passionem assignant philosophi motum: qui quidem defini debet: *Via, sive tendentia ad consumatum esse termini.* An hæc tria distinguantur realiter, scilicet, actio, motus, & passio, ad Philosophiam pertinet.

4 Septimum prædicamentum est *quando*, sive duratio, quæ sic debet defini: *Est forma, per quam res certo temporis spatio constituitur affixa.* V.g. duratio hodierna est forma, per quam res constituitur affixa diei hodierno. Octavum prædicamentum est *vbi*, sive ubicatio, quæ sic debet defini: *Est determinatio rei ad certum locum:* quæ duplex est, alia divisibilis, quæ solet appellari circumscriptiva, alia indivisibilis, quæ solet nominari definitiva. Præsentia, sive ubicatio circumscriptiva, sic definitur: *Est circumscriptio corporis à circumscriptione loci proveniens.* Vel aliter: *Est præsentia localis, qua corpus correspondet toti loco,*

& partes corporis, partibus loci. Ubicatio definitiva est, qua tota res correspondet toti loco, & tota cuilibet parti loci, ut præsentia, quam habet corpus Christi in Eucharistia. De his agemus in Physica.

5 Nonum prædicamentum est *situs*, & sic definitur: *Est determinatio partium in loco, ratione cuius corpus est in figura determinata, ut sedens, stans, curvum, vel rectum, iacens, vel erectum, &c.* Decimum prædicamentum est *habitus*, qui sic definitur: *Est adiacentia eorum, quæ circa corpus sunt, ad ipsum, ut adiacentia vestium ad corpus.*

QVÆSTIO APPENDIX.

De post predicamentis?

1 **P**OST Prædicamentum est proprietas, sive modus subsequutus ad plura prædicamenta; quod ad prædicamentum speciale reduci nequit. Sunt autem quinque postprædicamenta, scilicet, oppositio, prioritas, simultas, motus, & modus habendi. Oppositio est repugnantia extremorum inter se. Et est quadruplex, contradictoria, privativa, contraria, & relativa. Quæ quidem divisio optima est; quia omnis oppositio versatur, vel inter ens, & non ens, vel inter ens, & ens. Si versatur inter ens, & non ens, vel est circa idem subie-

subiectum capax utriusque, & sic est privativa, sicut inter tenebras, & lucem: vel est circa subiectum incapax alterius extremi, vel independenter à subiecto, & sic est contradictoria, ut inter hominem, & carentiam hominis, inter rationale, & non rationale, &c. Si autem est inter eas, & eas, vel illa entia mutuo se excludant à subiecto, & est contraria, aut illa entia mutuo se relative respiciunt, & est oppositio relativa.

2. Secundum post prædicamentum est *prioritas*, quæ contingit quinque modis. Prima est prioritas temporis, quæ accidit inter extrema, quorum unum existit in tempore anteriori ad alterum, ut Avus est prior nepote. Secunda est prioritas nature, quæ accidit quando unum aliquo modo est causa alterius, licet tempore non præcedat, ut sol est prior suis radijs. Tertia est prioritas subsistendi consequentia, quæ accidit inter extrema, quorum unum infert aliud, sed non infertur ex illo, ut animal est prius homine, quia infertur ex homine, hominem tamen non infert. Quarta est prioritas in ordine, ut binarius est prior ternario, & ternarius, quaternario. Quinta est prioritas in dignitate, ut Rex est prior plebeio. Altera solet addi, quæ dicitur prioritas originis, & est quæ versatur inter divinas Personas.

3. Tertium post prædi-

camentum est *similitas*, quæ eodem modo venit dividenda, ac prioritas; contrariorum enim eadem est ratio. Quartum post prædicamentum est *motus*, cuius sex communiter assignantur species, scilicet generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & motus localis; de quibus Deo dante in Physica, & in libris de Generatione, agemus.

4. Ultimum post prædicamentum est *habere*, quod dicitur sex modis. Primo habere qualitatem, ut virtutem. Secundo habere quantitatem, ut tres vlnas. Tertio habere, quæ circumstant, ut habere vestes. Quarto habere partes, ut manus, pedes, &c. Quinto habere ad possidendum, ut agros. Sexto habere ad cohabitandum, ut uxorem. Et hæc sufficiant dicta de prædicamentis, & post prædicamentis, &c.

TRACTATUS VII.

In quo breviter tractatur de scientia, & demonstratione.

POSTQVAM Egimus de prædicamentis sequebantur libri Arist. de prioribus, & posterioribus, in quibus Auctores moderni, & antiqui plures excitant quæstiones circa naturam, proprietates, & dirigibilitatem trium operationum intellectus, de quibus nos

partim in Summulis, partim in
proemialibus aliquale exhibui-
mus noticiam. Cæterum quia
horum librorum præcipuus finis
est noticia demonstrationis, &
scientiæ, idè pro ea assequen-
da vnam, vel alteram propo-
nèmus quæstionem, cæteras, in
quibus agitur de veritate, &
causalitate actuum intellectus
inter se, ad libros de Anima, &
ad Metaph. relinquentes. Sic
ergò.

QVÆSTIO I.

*Quid, & quotuplex sit
scientia?*

PRO Intelligentia nota
primo, habitus intel-
lectus alios esse perfe-
ctos, qui virtutes intellectuales
vocantur, alios imperfectos.
Perfecti sunt, qui determinant
intellectum ad vere cognoscen-
da obiecta. Imperfecti sunt, qui
vel determinant intellectum ad-
pravè, & cum falsitate cognos-
cenda obiecta, vel ad minus il-
lum relinquunt indifferentem.
Primi generis sunt alij speculati-
vi, vt scientia, & lumen prin-
cipiorum; alij practici, vt pru-
dentia, & ars. Prudentia ergò
sic definitur: *Est recta ratio agi-
bilitum.* Ars autem: *Est recta ra-
tio factibilium.* Lumen princi-
piorum sic definitur: *Est habi-
tus, quo assentimur veritatibus
immediatis, & per se notis.* Scien-
tia vero: *Est habitus, quo verita-*

*tes ignotas, & mediatas eviden-
ter demonstramus.* Et denique
scientia subdividitur in sapien-
tiam, & scientiam stricte di-
ctam. Sapiencia est, *qua verita-
tes mediatas per altissimas causas
demonstramus.* Scientia verò est
*qua veritates mediatas per causas
inferiores demonstramus.*

2 Nota secundo, ve-
ritates immediatas esse propo-
sitiones, in quibus prædicatum,
vel est de essentia subiecti, vel
saltem est prima passio illius, ita
vt inter subiectum, & prædica-
tum nullum prædicatum me-
diat ab utroque distinctum,
vt homo est rationalis: homo est
risibilis. Veritates mediatæ sunt
propositiones, inter quatuor
subiectum, & prædicatum me-
diat aliud distinctum, per quod
potest probari passio de subie-
cto, vt propositio, in qua enun-
tiatur de subiecto tertia passio
illius. Propositiones, seu verita-
tes immediatæ vocantur propo-
sitiones per se notæ. Pro quo
nota, aliam esse propositionem
per se notam quoad se, aliam
esse per se notam quoad nos.
Propositio per se nota quoad se
est *Inter cuius prædicatum, &
subiectum non mediat aliud, per
quod possit prædicatum probari
de subiecto.* Propositio per se
nota quoad nos est, *quæ ex ap-
prehensione terminorum nobis ap-
paret evidens, vt quodlibet est,
vel non est: totum est maius sua
parte.* Vbi adverte, posse pro-
positionem esse per se notam
quoad

quoad se; & non esse notam quoad nos; saepe enim ignoramus essentiam, aut primam passionem subiecti, etiam terminis apprehensis, quo in casu propositio, in qua talis essentia, aut passio de subiecto predicatur, est per se nota quoad se, non tamen est nota quoad nos. Unde Theologi communiter asserunt, et hanc propositionem: *Deus est esse* per se notam quoad se, non tamen quoad nos. Igitur dum dicimus, quod per lumen principiorum cognoscuntur veritates immediatae, debet intelligi de illis, quae sunt per se notae quoad nos, quia veritates immediatas, quae tantum quoad se sunt per se notae, non per lumen principiorum, sed per discursum scientificum veniunt cognoscenda. Ad lumen principiorum reducitur fides, quae absque ullo discursu, simplici cognitione principia fidei infallibiliter cognoscit, licet obscure.

Denique nota, habitus, sive actus intellectus imperfecti quatuor communiter assignari, scilicet; opinio, fides humana, dubitatio, & error. Opinio iuxta D. Thom. 2. 2. quaest. 3. art. 4. *Est determinatio intellectus circa alteram partem contradictionis cum formidine alterius.* Opinio est triplex, alia est opinio probabilis, & est determinatio ad unam partem propter levia fundamenta; alia est solertia, quae est promptitudo

inveniendi media probabilia ad probabiliter discurrendum. Fides humana est assensus solo innitens hominum testimonio, quae quidem in obscuritate convenit cum divina; quod enim est evidens, minime creditur per fidem, cum fides, ut ait Gregorius, sit credere quod non vides; differt tamen maxime a divina propter huius infallibilitatem, quia fides divina est metaphysice infallibilis, ac verò fides humana quotidie fallitur. Dubitatio est anceps cognitio sine assensu. Error est assensus, quo intellectus iudicat verum, quod revera falsum est.

4. His ergo suppositis, facilis manet definitio scientiae, illam ergo definit Philoſophus hoc modo: *Scientia est cognitio rei per causam, & quoniam illius est causa, & quod aliter se habere non potest.* Aqua parum differt alia definitio, quam tradunt moderni clariori modo, scilicet: *Scientia est assensus certus, & evidens veritatis mediate, ut ex principijs certis, evidentibusque deductae.* Per ly assensus convenit scientia cum opinione; fide, errore, &c. per ly certus, & evidens differt ab illis, & adhuc convenit cum divina principiorum, sed ab illo differt per sequentes particulas; quia lumen principiorum praebet assensum veritatibus immediatis propter se ipsas absque ullo discursu.

5. Scientia autem dividitur primo in actualem, & habitua-

bitualem. Actualis est predictus assensus. Habitualis est habitus ex illo genitus in intellectu, siue habitus acquisitus per demonstrationem. Rursus scientia dividitur in subalternantem, & subalternatam. Subalternans est, que per se habet evidentiam suorum principiorum. Subalternata est, que accipit certitudinem, & evidentiam suorum principiorum a scientia superiori. Denique scientia dividitur in practicam, & speculativam. De quibus iam supra quæst. 12. & 13. Proemialium. Hic etiam solet inquiri, an scientiæ sumant suam veritatem ab obiecto formali, & an sint simplices, an compositæ qualitates, pro quo etiam vide quæstionem ultimam proemialium.

QVÆSTIO II.

Quid, & quotuplex sit demonstratio?

SI Demonstratio definiatur per suum effectum, est *sylogismus faciens scire*. Si verò melius definiatur per eius materiam proximam est *sylogismus procedens ex primis veris, & immediatis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis*. Igitur præmissæ, siue principia, ex quibus demonstratio deducit conclusionem, primo debent esse prima, hoc est, quod non indigeant demonstrari per alia priora, sed

iam sic intellectus de illis credentem, certificatus. Secundo debent esse vera, quia falsum nequit intellectum certificare, & convincere, ut assentiat conclusioni invincibiliter, prout ad demonstrationem requiritur. Tertio debent esse *immediata*, ita ut non indigeant medio aliquo difficili, quo probentur, vel talis difficultas iam sit victa per alias demonstrationes; quia semel demonstrata, una conclusione evidenter per sua principia, potest deservire per modum principij ad aliam conclusionem demonstrandam. Quarto debent esse *causæ conclusionis*, non semper in essendo, temper tamen in cognoscendo, hoc est, quod intellectus motus ex illis assentiatur conclusioni. Debent denique esse *notiora conclusioni*, quia propter quod unumquodque tale, & illud magis; unde eum conclusio cognoscatur propter præmissas, præmissæ debent esse magis notæ, quam ipsa conclusio.

2. Pro quo nota, solam propositionem necessariam esse demonstrabilem iuxta Arist. itemque principia, ex quibus demonstratur, debere esse necessaria: in omni autem propositione necessaria, prædicatum convenit subiecto per se. Adverte tamen quatuor modos dicendi per se assignare Philosophi. Primus modus dicendi per se est, quando prædicatum est de essentia subiecti; ut *homo est, ratio-*

510
 rationalis. Secundus modus dicendi per se est, quando propria passio prædicatur de subiecto: v. g. homo est risibilis. Tertius est, quando existencia prædicatur de subiecto, vt Petrus existit. Quartus est, quando effectus dicitur de illa causa, à qua procedit per se, v. g. Edificator edificat: Pictor pingit, &c. Propositio ergò, ex qua formatur demonstratio, debet esse per se in primo, vel secundo modo dicendi per se, non autem sufficit, quod sit per se in tertio, vel quarto modo, quia in illis modis propositiones sunt contingentes, principia verò demonstrationis debent esse necessaria.

3. Demonstratio autem dividitur primo in demonstrationem propter quid, & in demonstrationem quia. Demonstratio propter quid est, quæ conclusionem demonstrat per causam propriam, & proximam illius, vt cum demonstratur hominem esse risibilem, quia est rationalis. Demonstratio quia est, in qua demonstratur conclusio, aut per causas extrinsecas, & remotas, aut ab effectu, à signo, vel à pari, vt cum demonstratur existencia Dei per eius effectus, aut æqualitas duarum virgarum inter se ex æqualitate illarum cum tertia.

4. Secundo dividitur demonstratio in demonstrationem à priori, & demonstrationem à posteriori. Demonstratio à priori est demonstratio conclusionis per suam causam. Demonstratio à posteriori est demonstratio causæ per eius effectum. Vbi nota, non omnem demonstrationem à priori esse demonstrationem propter quid, quia demonstratio propter causam remotam est à priori, & tamen non est propter quid; nec omnem demonstrationem, quia esse à posteriori, quia demonstratio à pari, v. g. cum demonstratur æqualitas duarum virgarum ex æqualitate cum tertia, est demonstratio quia, & non est à posteriori; tamen omnis demonstratio propter quid est à priori, & omnis demonstratio à posteriori est demonstratio quia. Hæc licet, breviter, & pure doctrinaliter dicta, sufficiant pro præsentis tractatu; & pro vniuersa Logica, in qua si quid rationi dissonum inueniatur, propriæ adscribendum est ignorantia; quidquid tamen rectæ rationi conforme, & studentium profectui vtile Deo, vt auctori, attribuendum, cui soli honor, & gloria, &c.
 (o)



INDEX QVAESTIONVM.

QVAE IN HAC PRIMA PARTE
CVRSVS PHILOSOPHICI
CONTINENTVR.

TRACTATVS IS AGOGICVS

Summularum.

LIBER I.

- Q. I. Quid, & quotuplex sit signum? fol. 2.
- Q. II. Quid, & quotuplex sit terminus? fol. 5.
- Q. III. Verum voces extra propositionem habeant rationem termini? fol. 12.
- Q. IV. Quid sit nomen? fol. 15.
- Q. V. Quid verbum? fol. 17.

LIBER II.

- Q. I. Quid, & quotuplex sit oratio? fol. 19.
- Q. II. Quid, & quotuplex sit modus sciendi? fol. 20.
- Q. III. Quid, & quotuplex sit definitio? fol. 21.
- Q. IV. Quid, & quotuplex sit divisio? fol. 24.
- Q. V. Quid, & quotuplex sit argumentatio? fol. 25.
- Q. VI. Quid, & quotuplex sit propositio? fol. 26.
- Q. VII. Quas, & quales proprietates habeant termini

- intra propositionem? fol. 29.
- Q. VIII. Quid, & quotuplex sit oppositio? fol. 37.
- Q. IX. Quid, & quotuplex sit equipollentia? fol. 43.
- Q. X. Quid, & quotuplex sit conversio? fol. 44.
- Q. XI. Quid, & quotuplex sit propositio modalis? fol. 46.
- Q. XII. Quid, & quotuplex sit propositio hypothetica? fol. 51.
- Q. XIII. Quid, & quotuplex sit propositio exponibilis? fol. 53.
- Q. XIV. An eadem propositio mentalis possit esse de vera in falsam? fol. 55.
- Q. XV. An ex duobus propositionibus idem omnino representantibus possit vna esse vera, & altera falsa? fol. 67.

LIBER III.

- Q. I. Quid, & quotuplex sit consequentia? fol. 88.
- Q. II. Quid, & quotuplex sit inductio? fol. 90.
- Q. III. Quid, & quotuplex sit syllogismus? fol. 91.
- Q. IV. Qualiter reducantur

INDEX QUESTIONVM.

cur syllogismi imperfecti ad perfectos? fol. 96.

Quæst. V. Quibus principijs, & regulis nitatur ars syllogistica? fol. 98.

Quæst. VI. De syllogismo expositorio, & locis arguendi? fol. 104.

Quæst. VII. An conclusio sit de essentia syllogismi? fol. 106.

LOGICA MAGNA.

TRACTATVS I.

De Proœmialibus.

Quæst. I. Quid, & quotuplex sit logica? fol. 115.

Quæst. II. Quid, & quotuplex sit obiectum in genere? fol. 116.

Quæst. III. Qualiter modus sciendi vocalis sit obiectum Logicæ? fol. 118.

Quæst. IV. Qualiter modus sciendi mentalis sit obiectum Logicæ? fol. 125.

Quæst. V. Qualiter modus sciendi obiectivus sit obiectum Logicæ? fol. 144.

Quæst. VI. Quodnam sit obiectum formale attributionis logicæ? fol. 162.

Quæst. VII. Respectu cuius Logica sit docens, & vtens? fol. 165.

Quæst. VIII. Vtrum Logica docens, & vtens realiter inter se distinguantur? fol. 172.

Quæst. IX. Vtrum Logica sit ars? fol. 179.

Quæst. X. Vtrum Logica sit scientia? fol. 182.

Quæst. XI. Sub qua ratione sit scientia? fol. 187.

Quæst. XII. Quid sit praxis, & an reperiat in intellectu? fol. 194.

Quæst. XIII. An Logica sit simpliciter practica, vel speculativa? fol. 199.

Quæst. XIV. An Logica sit simpliciter necessaria ad alias scientias acquirendas? fol. 211.

Quæst. XV. Vtrum Logica sit simplex qualitas? fol. 230.

TRACTATVS II.

De Enterationis.

Quæst. I. An dentur entia rationis? fol. 242.

Quæst. II. Vtrum ens rationis consistat in aggregato ex extremis realibus, & cognitione ea falso adunante? fol. 248.

Quæst. III. In quo formaliter consistat ens rationis? fol. 250.

Quæst. IV. Vtrum denominationes extrinsecæ sint entia rationis? fol. 265.

Quæst. V. Vtrum ens rationis possit existere per existentiam sui fundamenti? fol. 269.

Quæst. VI. Quotuplex sit ens rationis? fol. 272.

Quæst. VII. Per quam potentiam fiat ens rationis? fol. 283.

Quæst. VIII. Per quem actum intellectus fiat ens rationis? fol. 290.

Quæst. IX. An intellectus diuinus efficere possit entia rationis? fol. 292.

INDEX QVÆSTIONVM.

TRACTATVS III.

De Vniuersalibus.

- Quæst. I. Quotuplex, quid sit, & quas condiciones requirat vniuersale? fol. 303.
- Quæst. II. An dantor nature vniuersales separatæ à singularibus? fol. 305.
- Quæst. III. An gradus superiores, & vniuersales distinguantur à parte rei formalitèr, siuè actualitèr ab inferioribus? fol. 308.
- Quæst. IV. Vtrum detur distinctio virtualis intrinseca? fol. 319.
- Quæst. V. An detur præcisio obiectiua? fol. 331.
- Quæst. V. Vtrum natura vniuersalis habeat à parte rei unitatem formalem minorem numericam? fol. 363.
- Quæst. VII. Vtrum natura à parte rei sit communis pluribus inferioribus? fol. 372.
- Quæst. VIII. Vtrum natura secundum se sit vna, aut communis pluribus? fol. 376.
- Quæst. IX. Vtrum dantur vniuersalia in essendo ab vniuersalibus in repræsentando distincta? fol. 382.
- Quæst. X. In quo consistat, & per quem actum intellectus fiat vniuersale metaphisicum? fol. 390.
- Quæst. XI. Per quem actum fiat, & in quo consistat vniuersale logicum? fol. 402.
- Quæst. X. An perseveret vniuersalitas in actuali prædica-

tionè?

fol. 418.

TRACTATVS IV.

De Prædicabilibus.

- Quæst. I. An divisio vniuersalis in quinque prædicabilia sit adæquata? fol. 422.
- Quæst. II. An vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia? fol. 427.
- Quæst. III. An natura, cui plura repugnant inferiora, sit vniuersalis? fol. 433.
- Quæst. IV. An definitio generis sit bona? fol. 456.
- Quæst. V. Quodnam sit terminum formale in definitione generis? fol. 60.
- Quæst. VI. Respectu quo in natura prædicetur, ut genus? fol. 46.
- Quæst. VII. Vtrum genus possit immediate individuari? fol. 469.
- Quæst. VIII. Vtrum genus prædicetur formalitèr de differentijs? fol. 470.
- Quæst. IX. Quomodo genus prædicetur de suis inferioribus? fol. 473.
- Quæst. X. Quid, & quotuplex sit species? fol. 476.
- Quæst. XI. Vtrum species subijcibilis, ut subijcibilis, sit prædicabilis? fol. 47.
- Quæst. XII. Quid, & quotuplex sit individuum? fol. 47.
- Quæst. XIII. Vtrum ratio diuidui sit vniuersa omnium diuiduis? fol. 47.
- Quæst. XIV. Quid, &

INDEX QUESTIONVM.

- plex sit differentia? fol. 485.
Quæst. XV. An differentia sit
vniuersalis per ordinem ad
speciem? fol. 487.
Quæst. XVI. Quid, & quoru-
plex sit proprium? fol. 490.
Quæst. XVII. Quid, & quo-
tuplex sit accidens com-
mune? fol. 491.
Quæst. Appendix de prædica-
tionibus? fol. 494.

TRACTATUS V.

DE Ente prædicamentis.

- Quæst. I. Quid: sine univoca,
æquivoca, & analogâ? f. 498.
Quæst. II. Ansæns transcendat
differentias? fol. 501.
Quæst. III. Vtrûm possit abstrahere
perfecte ratio communis
entis? fol. 510.
Quæst. IV. An ratio entis sit
univoca? fol. 514.

TRACTATUS VI.

De Prædicamentis.

- Quæst. I. Quid, & quotuplex sit
prædicamentum? fol. 523.
Quæst. II. Quid, & quotuplex
in substantia? fol. 525.
Quæst. III. An Deus ponatur
in prædicamento substan-

- tia? fol. 529.
Quæst. IV. In quo consistat ra-
tio formalis quantitatis? f. 537.
Quæst. V. Vtrûm in substantia
materialis habeat particula-
liter distinctas ante quanti-
tatem? fol. 546.
Quæst. VI. Quotuplex sit quanti-
tatis? fol. 557.
Quæst. VII. Quid, & quotuplex
sit qualitas? fol. 558.
Quæst. VIII. Quid, & quotu-
plex sit relatio? fol. 563.
Quæst. IX. Vtrûm dentur rela-
tiones reales prædicamenta-
les? fol. 565.
Quæst. X. Vtrûm relatio præ-
dicamentalis distinguatur à
fundamento, & termino? f. 570.
Quæst. XI. Vtrûm relatio præ-
dicamentalis terminetur ad
relativum? fol. 586.
Quæst. Ultima. De sex ultimis
prædicamentis? fol. 640.
Quæst. Appendix. De post præ-
dicamentis? fol. 605.

TRACTATUS VII.

De Scientia, & demonstratione.

- Quæst. I. Quid, & quotuplex
sit scientia? fol. 607.
Quæst. II. Quid, & quotuplex
sit demonstratio? fol. 609.

FINIS

